Długosz

[illegible]

Długosz

GMI

Długosz

GMII

Joannis DŁUGOSZ Senioris

Canonici Cracoviensis

OPERA OMNIA

CURA

ALEXANDRI PRZEZDZIECKI

EDITA.

Tomus XI.

JOANNIS DŁUGOSSII
SEU
LONGINI
CANONICI CRACOVIENSIS
HISTORIAE POLONICAE
LIBRI XII.

AD VETERRIMORUM LIBRORUM MANUSCRIPTORUM FIDEM RECENSUIT, VARIIS LECTIONIBUS ANNOTATIONIBUSQUE

INSTRUXIT

IGNATIUS ŻEGOTA PAULI.

CURA ET IMPENSIS

ALEXANDRI PRZEZDZIECKI.

TOMUS II.
LIBRI V. VI. VII. VIII.

CRACOVIAE.
EX TYPOGRAPHIA KIRCHMAYERIANA
MDCCCLXXIII.

LIBER QUINTUS.

ANNUS DOMINI 1140.

Wladislaus consensu omnium baronum Poloniae in Monarchia patri Boleslao succedit et Regnum quadrifariam inter fratres partitur.

Lugubris et immaturus Boleslai Polonorum Ducis e vita excessus, qui cum bello, ferro et armis hostilibus consumi non poterat [1]), dolore et moerore nimio tabefactus et consumptus est, diu Polonos, ne ad substituendum alterum Ducem et ad providendum de rei publicae forma, ordine et statu procederent, tenuit. Mortui enim Principis desiderio adeo habebantur constricti, ut cuiuslibet alterius, illo sibi, sub quo tam mirifici, pavendi et gloriosi evaserant, sublato, Principatum fastidirent. Accedebat altera non dispar pernicies, Regni Poloniae in quatuor partes [2]) secutura divisio, quam velut quandam pestem, civilem collisionis procellam quandoque excitaturam et in civile malum recisuram, haud casso augurio perhorrebant, ex Regni Polonici divisione se quoque ad interitum necessitate quadam pertrahendos ominati: cum omne [3]) divisionem capiens, interitum quoque capere necesse sit. Postquam deinde rerum publicarum vacillatio, Principibus diversa sentientibus,

[1]) posset *Cod. Rozr.* [2]) partes *deest in Cod. Aut.* [3]) omnem *Ed. Dobr.*

diversaque iubentibus, oriri coepit, et Principes quatuor filii Boleslai iuxta paternam ordinationem ad Ducatus et terras eis designatas se admitti flagitarent, fit apud Cracoviam omnium terrarum generalis conventus: ubi post varios tractatus et deliberationes Wladislaus primogenitus et natu maior Boleslao patri in Monarchia [1]), omnium praelatorum et baronum Poloniae consensu succedit, frequentique et fratrum Principum et praelatorum atque baronum assensu et ordinatione decernitur, ut circa Wladislaum [2]) primaevitas et superioritas remaneat [3]), ipse quoque caeteris fratribus, videlicet Boleslao, Myeczslao et Henrico, parentibus imperitet; bella conformiter et ex aequo gerant, assumendi quoque ea circa Wladislaum auctoritas consistat, caeteris non inferendi sed repellendi potestas permissa. His taliter ordinatis, tribus Principibus in suas sortes: Boleslao Crispo in Masoviam, Myeczslao Sene in Posnaniam, Henrico primo in Sandomiriam, secedentibus, Wladislaus Dux et Monarcha in Cracovia relictus est, et illuc stando alios suos Principatus et dominia, remque publicam disponebat. Apud illum quoque Kazimirus infans et quintus Dux relictus est, sibique illius cura tam a caeteris fratribus Ducibus, quam universis [4]) Poloniae satrapis et consiliariis mandata. In hunc modum corpus Poloniae in plures partes scissum [5]), discordantibus processu temporis Ducibus, Polonia arma contra se ipsam sumpsit, ferrumque, quod in hostes versura erat, in propria viscera convertit et furentium [6]) instar iras concepit, gladios corripuit, corpus suum ac membra civili bello mutilatura. Tunc quoque Regni Poloniae decus et fortitudo, quae in partium consistebat integritate, praecipitata fuit, Regno quadrifarie scisso et in monstruosam divisionem partito.

Fundatio monasterii Andrzeoviensis per nobiles familiae Griffonum.

Cum illis temporibus Cisterciensis ordo floridus et celebris haberetur, nobiles de domo Griffonum, videlicet Iohannes alias Ianyk, vir venerabilis, primum quidem Wratislaviensis episcopus, deinde Gnesnensis archiepiscopus, cum germano suo Clemente eius devotione attracti, in praedio suo Brzesznicza vocato in Cracoviensi diocesi monasterium Cisterciensium erigunt, et oppidum Andrzeoviense et septem villas, videlicet Brzesznicza, Rakoszyno, Potok, Lyszakowo, Lanczno, Rachowo, Tharszawa, Chorzowa [7]), pro fratrum sustentatione in dotem illi perpetuo largiuntur. Ex Morimundo monasterio in

---

[1]) Monarcham *Ed. Dobr.* [2]) utque circa eum *Cod. Rozr.* [3]) remaneat, statuunt *Cod. Rozr.* [4]) a caeteris *Ed. Dobr.* [5]) scissum est *Cod. Rozr.* [6]) furentis *Cod. Rozr.* [7]) Chorzawa *Ed. Dobr.*

Burgundia sito fratres accersiti primum locum illum ceperunt [1]: unde et a plerisque monasterium Andrzeoviense eo, quod a Morimundensibus generationem [2]) habuit, Morimundus [3]) vocatum est. Plantationem novellam praefati Andrzeoviensis monasterii beatus Bernardus de nobili prosapia Comitum de Castilione genitus (qui in anno vicesimo secundo constitutus, cum triginta sociis monachatum assumpserat et propter perfectionem vitae regularis, quam in suo ostenderat ingressu, monasterium Clarae vallis regebat) visurus Poloniam, cum fratrum agmine processerat, fratres qui in Andrzeoviensi monasterio degebant, visitaturus et eos in observantia et rigore, verbo et exemplo confirmaturus. Cum autem in huiuscemodi itinere constitutus Spiram venisset, humillimum propositum eius et monasterio, ad quod ordinandum pergebat, et Polonis profuturum, adversa et gravis valitudo damnavit: ea enim correptus et eius invalescentiam veritus, in Claram vallem ad monasterium suum rediit. Fundatores autem et dotatores praefati Andrzeoviensis coenobii Iohannes Gnesnensis archiepiscopus et Clemens miles ad nihil aliud praefatum monasterium voluerunt esse obnoxium [4]), nisi ut in signum factae [5]) a se dotis oppidani Andrzeovienses sibi suaeque proximiori stirpi mactatorum pecorum et pecudum corda, et de singulis halecum vasis in oppido praefato vendendis, aliquot haleca repraesentarent. Quod quidem tam leve tributum cognatio fundatorum per abbatem Andrzeoviensem.....[6]) redimi et aboleri consensit.

Sobieslaus Bohemiae Dux, cupiens minus iuste contra foedus occupare terras Slesiae, moritur.

Sobieslaus Bohemiae Dux pactum et foedus, quod cum Boleslao Polonorum Duce iurisiurandi obstrictione pepigerat, praevaricatus, audiens Boleslaum Ducem Polonorum obiisse et Poloniae Regnum quadrifariam scissum esse, Regnum Poloniae et Slesianam [7]) oram cum exercitu hostili invadit, depopulatur et vastat. Sed neque vastatione hostili contentus, cum Wladislaus Poloniae Dux, cui ea ora obvenerat, iniuriae opportunus videretur, in animum inducit, ut oram Slesiticam sibi faciat aut tributariam, aut proprietariam, aut feudalem; quapropter in vico Kosczan [8]) vocato, undique paludibus et lacubus septo, et naturali situ plurimum munito, oppidum et munitionem constituere [9]) et illi suum praesidium imponere satagens, plures dies in opere moliendo consumit. Verum ultio divina, quae in quoslibet foederum

[1]) coeperunt inhabitare *Cod. Rozr.* [2]) originem *Cod. Rozr.* [3]) Moribundus *Ed. Dobr.* [4]) obligatum *Cod. Rozr.* [5]) sancitae *Ed. Dobr.* [6]) *Nomen abbatis deest in omnibus Cod. et Edit.* [7]) Silesiticam *Ed. Dobr.* [8]) Kościan *Ed. Dobr.* [9]) construere *Cod. Rozr.*

transgressores ferire solita est, illico illum percussit: nam febribus correptus, coepto abscedere compulsus, et a suis ambitionem suam et foedus praevaricatum carpentibus Pragam reductus, invalescente febre Sedecimo Calendas Martii mortuus et in Wischegradensi ecclesia sepultus, tres filios, Sobieslaum, Odalricum [1]) et Wenceslaum relinquens. Successit tamen ei, filiis non obstantibus, Wladislaus filius Wladislai [2]) in Bohemiae Ducatu.

Decima die Februarii Iaropolkus Wladimirowicz Dux Kyoviensis moritur et in ecclesia Sancti Andreae sepelitur. Et licet Wyeczeslaus [3]) frater suus sedem Kyoviensem accepisset, Wszewoldo tamen Olhowicz in Kyow cum militia sua veniente, ne dimicare secum cogeretur, per medium metropolitani [4]) pacificantur, et de Kyow excedit et vadit in Turow. Wszewoldus autem Kyoviensem in pace sortitus est Principatum.

ANNUS DOMINI 1141.

Wladislaus multis uxoris suae precibus et persuasionibus ad expellendum fratres suos de Regno Poloniae inducitur.

Regni Poloniae quadrifaria (quam demonstravimus) scissura haud multo tempore aequis animis poterat perferri, sed pene in ipso sui initio intestinorum bellorum excivit stridores. Wladislaus siquidem Polonorum Dux primogenitus et natu maior, etsi inter fratres potiorem et magis insignem portionem, Cracoviensem videlicet Ducatum, accepisset, et tam patris, dum viveret, quam praelatorum, baronum et procerum Poloniae designatione, fratrum insuper consensu, superioritas et Monarchia Regni circa eum consisteret, omnes tamen eos Principatus et dominia, quae in fratrum sortem cesserant, detractos et ereptos [5]) sibi ratus, multifariis angoribus, anxietatibusque spiritum gestabat turbulentum et afflictum, frequentesque coram amicis huius suae ignominiae et spolii repetebat querelas. Animum autem Wladislai Ducis suapte huiuscemodi ambitionis et livoris peste flagrantem et infectum, superbum et immitem, consortis suae Ducissae Cristinae filiae [6]) Imperatoris Henrici, sermones contumeliis et improperiis referti, ad hauriendam ampliorem in facinus bilem inflammabant. Non in hanc, inquit, tam truncatam et tenuem, quae tibi relicta est, portionem, sed in totius Poloniae Regni spem, unius filia Caesaris [7]) et alterius soror, sponsa aetate viridis tibi tradebar poten-

---

[1]) Udalricum *Ed. Dobr.* [2]) Wratislai *Cod. Rozr.* [3]) Wieczislaus *Cod. Rozr.* Wiceslaus *Ed. Dobr.* [4]) Metropoliti *Cod. Rozr.* Metropolitae *Ed. Lips.* [5]) detracta et erepta *Cod. Rozr.* [6]) sororis *Cod. Rozr.* [7]) Caesaris existens *Ed. Dobr.*

tiori et ditiori, nisi haec spes genitorem Caesarem fefellisset, desponsanda. En ad quam vilem et miseram conditionem, te marito redacta sum, satis [1]) perspicio: in ampliorem [2]), nisi interea aliquid provideris, cum prole ex te suscepta redigenda. Ex eo siquidem Regno, in quo te morituri patris voluntas et maior sanguis, splendidumque, quod ex me nactus es, coniugium, haeredem et Monarcham efficiunt, in quartam tantummodo partem es detrusus, laceratoque tuo Principatu et in tres alios fratres, quos magis tibi servire et tuo parere imperio, quam ex aequo principari conveniebat, translato, non nisi semiprinceps mereris vocitari [3]), tribus filiis in spem totius Regni Poloniae genitis exiguam sortem et obscuriores fasces atque titulos relicturus. Eligibilius mihi fuisset fatis absumi, quam in tam ignobile connubium, generis mei splendorem fuscaturum [4]), prolapsam esse. Expergiscere itaque, et tam foedam conditionem, tibi et proli tuae perpetuum dedecus inusturum dissolve, omnesque Principatus a fratribus occupatos repete [5]), et tam tuae quam meae praesenti et futurae ignominiae, si virum te censes non feminam, dum licet, consule. Ad quod si te communis nostra non movet conditio, saltem moveat prolis communis respectus, sortem miseram, nisi prospexeris, subiturae. His et pluribus aliis muliebribus colloquiis sedulo aegra mens Wladislai Ducis stimulabatur, et tam animo, quam vultu, his vocibus illum et frangi et torqueri apparebat. His quoque et aliis pluribus suggestionibus incendebat virum, donec ipsum affectu germanitatis enecato, in bellum contra fratres perliceret et suis suasionibus ad scelestas dementiae tenebras praecipitaret, ut animo obtemperans suo, germanis excidium inferret, idque quod detestabilius est, qui curandos illos paterno testamento, non exhaeredandos [6]) susceperat.

Radosthoni episcopo Cracoviensi succedit Robertus episcopus Wratislaviensis, et huic Magnus.

Cracoviensium [7]) antistes Radosth decima nona Ianuarii, cum annis viginti quinque Cracoviensem ecclesiam rexisset, cum demortuus esset [8]) et in ecclesia Cracoviensi sepultus, Robertus [9]) seu Rupertus, secundum alios Ropecius, episcopus Wratislaviensis in sedem Cracoviensem ab Innocentio Papa secundo translatus, per ordinationem Ducis Wladislai, qui et Cracoviensem et Wratislaviensem regebat Principatus, successit. Ad ecclesiam vero Wrati-

---

[1]) multo ut *Cod. Rozr.* [2]) peiorem *Cod. Rozr.* [3]) vocari *Cod. Rozr.* [4]) obfuscaturum *Cod. Rozr.* [5]) iterum et repete *Ed. Dobr.* [6]) exhaereditandos *Ed. Dobr.* [7]) Cracoviensis *Ed. Lips.* [8]) tum demortuus est *Ed. Lips.* [9]) Huic Robertus *Cod. Rozr.*

slaviensem per huiuscemodi translationem vacantem Magnus in episcopum est promotus per Innocentium secundum, Gnesnensis custos, Wratislaviensis et Cracoviensis canonicus, ducalis cancellarius, genere Polonus nobilis de domo Zaramba.

Secundo Idus Februarii Bela caecus Hungariae Rex, cum annis novem, mensibus undecim regnasset, moritur et in Alba regali sepelitur, et quatuor filios Geyszam, Ladislaum [1]), Stephanum et Almum [2]) reliquit. Cui maior natu Geysza in Regno successit, biennio post mortem patris in Dominica Invocavit coronatus. Consors autem Belae caeci Regis Helena filia Imperatoris Constantinopolitani, septuaginta Hungariae barones, qui caecationem Belae procuraverant, capite damnavit et bona eorum ecclesiis distribuit, etiam post mortem mariti in caecationis suae autores et in omne genus eorum saeviens, aut exilio, aut bonorum confiscatione mulctavit.

ANNUS DOMINI 1142.

Wladislaus contra vota consiliariorum, Ruthenorum auxiliis a fratribus subiectionem et tributum petit.

Ad occupandum germanorum suorum, Boleslai, Myeczslai et Henrici, sortes et Principatus Wladislaus Polonorum Dux animum dietim [3]) intendens et gravidans, dum iam muliebribus suggestionibus inescatus ad executionem propositi sui procedere decrevisset, frequenti numero praelatorum et baronum in Cracoviam advocato, an cogitata per eum prosequenda sint, cum illis deliberat. Adhibita est ad id consilium, quo in votum ducale consiliariorum sententiae [4]) facilius irent, Ducissa Cristina, pluraque ad colorandum ambitionis fervorem callido ingenio proposita, inter quae id unum praecipuum erat: expedire rei publicae Polonorum unum esse Principem, unum rectorem, unum Monarcham, divisionemque Principatuum inter fratres celebratam pro subsistentia [5]) totius corporis rescindendam, et fratres non provinciis, non Principatibus, sed aliquibus oppidis et villagiis donandos, eosque non pares, sed subiectos et obsequentes Wladislao, velut Monarchae a patre et universo Polonorum concilio designato, fieri oportere. Secus re acta et corpore Regni Poloniae in plures sortes scisso, et Poloniam perditum, eversumque iri, et in praedam vicinis regionibus oportune virtute debilitata concludebat exponi. Ad haec et Sbignei fratris naturalis Boleslai Ducis Polonorum defuncti opera,

---

[1]) Wladislaum *Ed. Dobr.* [2]) Alvium *Ed. Dobr.* [3]) in dies *Cod. Rozr.* [4]) mentes et sententiae *Cod. Rozr.* [5]) salute *Cod. Rozr.*

quibus et in fratris et in totius rei publicae crebro grassabatur perniciem, memorabantur, nec eo vivo et superstite Poloniam a mutua caede et collisione, vicinorumque hostium oppugnatione, nisi salubri consilio deperisset, quieturam unquam fuisse. His et pluribus aliis recitatis, moestum et pene obstinatum silentium consiliarios aliquanto [1]) tenuit, apparebatque iam tunc illos in sententiam Ducis Wladislai et suae consortis Ducissae Cristinae minime transituros. Requisitis deinde consiliariorum sententiis, primores omnes fere propositum ducale detestabantur, impiumque astruebant et crudele, et ab humanitate alienum, fratres de suis sedibus atque sortibus exturbari, iuraque gentium et instituta tam divinarum quam humanarum legum pessundari et confundi, nihil sancti, nihil pensi, nihil iusti inter homines hoc exemplo relinqui. Nec eam rem impune cessuram, sed Divinitatem laedendae [2]) contra ius fasque parti propitiaturam [3]). Causam Sbignei naturalis fratris Boleslai nullo pacto huic conformandam: cum ille ex pellice susceptus, hi iusta matrefamilias, sua quidem matertera et imperatoria sorore, sint producti, nullo facinori eorum, quibus Sbigneus detestandus erat, obnoxii. Orabant deinde Wladislaum Ducem, quatenus a tam exitiali crimine, sibi et suis nocituro, animum averteret et germanitatis memoriam subire in pectus pateretur, horrendos eventus, stirpisque suae domus et Principatus eversionem, clades insuper quam plurimas et non subditorum solum suorum, sed et forensium execrationes et caeteras res suo nomine indignas, si destinata effectui mandare ire pergeret, subiturus, pluresque alios ipsis cladibus involuturus. In hanc sententiam cum pene omnes consiliarii pedibus iissent, Dux etiam Wladislaus illam secuturus sperabatur; natura tamen potentior [4]) et uxoris amor et paucorum consiliariorum respectus, qui assentando magis quam consulendo in rem ibant, modestum eius propositum et labefactavit et pervicit. Itaque uxoris tam consiliis, quam precibus et improperiis [5]) expugnatus, in facinus dudum cogitatum consentiens, primum quidem ne tyrannides [6]) sua ab omnibus notaretur, subventionem [7]) et tributum ab omnibus Principatibus, qui in fratrum suorum sortem cesserant, iubet sibi velut Monarchae Polonorum persolvi. Mox deinde iubet sibi et nulli alteri per singulas regiones parere, rebelles et contumaces aut verbere, aut carcere, aut bonorum ademptione percelli. Et quoniam Polonorum proceres, nobilesque ad id facinus tute perpetrandum rebatur sibi parum fidos, ex Ruthenis (cum et ipse matre Ruthena genitus sit) quosdam auxiliares accersit, eorumque ministerio occupationem bonorum fraternorum peragit, eo quoque processit

[1]) quanto tempore *Cod. Rozr.* [2]) laesae *Cod. Rozr.* [3]) patrocinaturam. *Cod. Rozr.* [4]) naturae tamen impotentia *Ed. Dobr.* [5]) imperiis *Cod. Calv.* [6]) tyrannis *Cod. Rozr.* [7]) subiectionem *Ed. Dobr.*

iniuriae, ut ex omnibus possessionibus fratres deturbaret. Nam cum esset invidus et ambitiosus, uxoremque sortitus fastu arrogantiae tumidam et procacem, in rebus etiam ad se trahendis rapacem, ipsum quidem per vitium invidiae, Regnum Poloniae decernit [1]) fratribus suis communicandum non debere; ex ambitione vero decrevit fratres ipsos de terra exterminare. Uxor vero sua fastu tumens superbiae, consortia et mores aspernata Polonorum, officiales etiam suos, pincernas et dapiferos ad mensam suam vetabat accedere, dicens: sibi taedium ex eorum aspectu generari, eo quod anhelitu foeterent et amictu inculti eius displicerent oculis: unde et leviros suos dedignabatur, fastidiebatque. Per avaritiam vero, praetextu palliatae honorificentiae sibi non immerito exhibendae, populo terrae mandabat, ut in magnis festivitatibus pullos gallinarum, porcos, aucas [2]), mel, triticum, avenam, quilibet pro sui a possibilitate et facultate [3]) honorifice ad mensam Ducis liberaliter praesentaret. Quibus aliquot vicibus praesentatis, decrevit, ut haec in posterum ad fiscum annuatim persolvantur, et per hanc astutiam populi libertatem in debiti necessitatem et servitutem obnoxiam convertit.

Idem pene furor apud Bohemos, qui et apud Polonos, ea tempestate (sive id coelestium vis, sive ambitionis fomes causabat) erat. Bohemi siquidem Principatum Wladislai Ducis sui, propterea quod vegetioris sensus erat et quosdam eorum officiis submoverat, quibusdam vero [4]) frena licentiae adegerat [5]), non ferentes, Cunradum Marchionem Moraviae, filium Leutoldi filii Cunradi fratris Wratislai primi Regis Bohemiae, ad occupandum Principatum Bohemiae vafro et doloso ingenio subornant. Cunradus itaque Marchio Moraviae praedictus, ferentibus sibi solatia et ipsum personis et gentibus suis adiuvantibus [6]) Ottone Olomuczensi Duce, Wratislao filio Odalrici fratris dicti Cunradi, Wladislao filio Sobieslai filii Wratislai primi Bohemiae Regis, Spitigneo et Leupoldo [7]) filiis Borziwoy filii Wratislai primi Regis, qui et ipsi a suis sedibus et Ducatibus pulsi, ad novandum res, quibus illis suus status reddi posset, animum intenderant, cum valido exercitu in Bohemiam ingreditur, et illam caedibus, igne et spoliis plurimum, velut terram hostilem, vexat et contorquet. Eam vastationem Dux Bohemiae Wladislaus non ferens, in monte Wiszoka Septimo Calendas Maii cum nonnullis militibus, qui partes suas sequebantur, occurrens, confligit, et caede magna et plusquam civili utrinque edita, Wladislaus succumbit et in Pragam refugit. Sed nec illic subsistere tutum ratus, ad Cunradum Imperatorem, cuius sororem Gertrudim nomine in consortem habuerat, auxilia petiturus, decurrit. Cunradus interim

---

[1]) decrevit *Cod. Rozr.* [2]) anseres *Cod. Rozr.* [3]) pro suis facultatibus *Cod. Rozr.* [4]) etiam *Cod. Rozr.* [5]) remiserat *Cod. Rozr.* [6]) ferentibus sibi tum milite tum praesentiis suis auxilia *Cod. Rozr.* [7]) Zbigneo et Leutoldo *Cod. Rozr.*

Marchio Moraviae victorem exercitum ad Pragam admovens, Pragam [1]), Theobaldo fratre germano Ducis Wladislai ad tuendam civitatem Pragensem relicto, nequicquam resistente, expugnat et conquirit [2]), ecclesiamque cathedralem et monasterium Sancti Georgii, pluraque alia loca Deo dicata et profana incendit aut [3]) subvertit, magnaque caede et crudelitate in ecclesiasticos et saeculares usus, Ducatum Bohemicum sortitur, a quo post paucos dies Cunrado Imperatore genero [4]) suo Wladislao personale ferente auxilium [5]), deiectus est.

ANNUS DOMINI 1143.

Fratres Wladislai Ducissam Cristinam pro gratia obtinenda accedunt, et nullam impetrant.

Gliscente in dies Wladislai Polonorum Ducis in fratres suos Boleslaum, Myeczslaum et Henricum Duces saeva tyrannide, dum [6]) iam fratres ii [7]) pluribus castris, civitatibus, oppidis, munitionibus et possessionibus a praefato Wladislao Duce, quem suae pupillaris conditionis protectorem speraverant, exuti forent, quid agant, quo se vertant, cuius opem implorent, resistantne fratri Duci Wladislao, an suos Principatus occupari sinant, prorsus ignorant. In publicum quidem venire cum fratre certamen, et aetas infirmior et fratris Wladislai potentia suis [8]) viribus longe superior, eos, consulentesque pro illis [9]) prohibebat, veritos [10]) etiam, ne in victos gravius quicquam Dux Wladislaus irritatus consuleret, gerique [11]) rem armis et ferro inter fratres, nemini eorum, qui pro pupillis stabant, satis placebat. In misericordia itaque et precibus omnem spem reponendam censebant et orandum Wladislaum Ducem, ut sua sorte contentus, fratrem se ageret [12]) non hostem. Primum tamen consortem suam [13]) Ducissam Cristinam, omnium eorum, quae tum agebantur, commentatricem adire suadebant: eaque [14]) placata, et virum ad pietatem flecti posse, muliebri vero ira non expugnata, et maritum inexorabilem fore. Eo consilio primum Ducissae Cristinae per pupillos supplicatum [15]), prostratique tres Duces in feminae conspectu, non tam vocibus, quam fletibus et lamentis, per communem sanguinem, qui illis cum viro et secum esset, orabant: quatenus Principatus et possessiones, quas pro suis sortibus, et

[1]) eam *Cod. Rozr.* [2]) acquirit *Cod. Rozr.* [3]) atque *Cod. Rozr.* [4]) socero *Cod. Rozr.* [5]) subsidium *Ed. Dobr.* [6]) cumque *Cod. Rozr.* [7]) fratres ii *deest in Cod. Aut.* [8]) illorum *Cod. Rozr.* [9]) et qui ab illorum partibus erant *Cod. Rozr.* [10]) veritis *Cod. Rozr.* [11]) statueret, geri omnino *Cod. Rozr.* [12]) exhiberet *Cod. Rozr.* gereret *Ed. Dobr.* [13]) illius *Cod. Rozr.* [14]) ea enim *Cod. Rozr.* [15]) supplicatum est *Cod. Rozr.*

Polonorum more et gentium iure, ipso etiam Wladislao Duce factum ratum[1]) tunc habente, acceperant, sinerentur quiete retinere; ne quoque Dux Wladislaus in eos amplius saeviret et dominia eorum per scelus et nefas occuparet, atque iura sanguinis, aequitatis et iustitiae, omni Principatu atque Regno duceret potiora, plus ignominiae et dedecoris quam honoris, plus damni quam profectus, oppressis orphanis tandem habiturus. Non movit trucem feminam neque iacentium ad pedes suos Ducum et levirorum fratrum etiam suorum respectus, non preces, non lacrimae, non eiulatus. Obstinato ad omnia haec pectore preces pupillorum repudians, Ducem Wladislaum virum suum, respondit, iustam et necessariam rem egisse, neque ob id carpendum fore, cum status rei publicae Polonorum, nisi Regno reunito, servari et prosperari non possit; scisionem eius, si et ipsi sapere possent, cunctis exitialem esse. Salubrius eos atque magis sensate acturos, si se et sua arbitrio et voluntati Ducis Wladislai velut natu maioris, permitterent, rebellionem quamlibet et resistentiam in capita eorum, quique illis adhaererent, recisuram. Ita rigidiore Ducissa Cristina pupilli sua spe[2]) inventa amariores discedunt, quae nec salubres admittens timoratorum hominum consultationes illam a proposito revocantes, nec levirorum submissas preces, nec advocari[3]) se quidem passa est, nec leniri.

Roberto Cracoviensi episcopo succedit Mathaeus.

Aprilis mensis duodecima die Robertus Cracoviensis episcopus, biennio tantummodo, postquam de Wratislaviensi in Cracoviensem ecclesiam translatus fuit, in eius regimine exacto, moritur et iusto honore in ecclesia Cracoviensi, quam vivens dedicaverat, conditur: vir singularis probitatis, cuius optimarum virtutum fragrantia effecit, ut Cracoviensis ecclesia hunc potius pro suo regimine postulatum[4]) deposceret, quam aliquem de suis legeret. Mathaeus Roberto succedens ab Innocentio secundo ecclesiae Cracoviensi praeficitur, Wladislao Poloniae Duce eius substitutionem promovente, prodigus[5]), in gulositatem praeceps, ex scholastico Stobnicziensi, praefato Wladislao Duce operante, cui[6]) in quadam necessitate subvenerat pecuniario subsidio.

Firmato Principatu et solio suo Wladislaus Bohemorum Dux, et adversariis suis, assistentia et robore Cunradi Imperatoris Romanorum, soceri sui[7]), ex Bohemia effugatis et deiectis, Moraviam cum hostili exercitu ingressus,

---

[1]) divisionem hanc ratam *Cod. Rozr.* divisionem sacratam *Ed. Dobr.* [2]) quam sperassent *Cod. Rozr.* [3]) orari *Ed. Dobr.* [4]) postulans *Ed. Dobr.* [5]) sumptuosus, prodigus *Cod. Rozr.* [6]) eo quod illi *Cod. Rozr.* [7]) soceris suis *Ed. Dobr.*

primum Cunradi Marchionis Moraviae, deinde Ottonis provincias crudelibus flammis, spoliis, caedibus vastavit, ducensque varia spolia et praedas, dum Marchiones Moraviae pugnam detrectassent, in Bohemiam revertitur, cum fere universam [1]) Moraviam exussisset.

ANNUS DOMINI 1144.

Petrus Dacus Comes de Skrzin, qui pupillis astabat et ioco detraxerat famae Ducissae Cristinae, ad illius importunitatem lingua et oculis privatur, multisque fundatis monasteriis et ecclesiis in Regno Poloniae, tandem diem clausit extremum.

Repudium precum suarum Boleslaus, Myeczslaus et Henricus Duces apud Ducissam Cristinam Wladislai Polonorum Ducis et Monarchae, glotis suae [2]), passi, ab omni spe retinendi sortes suas dilabuntur. Iam enim Sandomirienses, Maioris Poloniae, Masoviae [3]), Lublinensesque [4]) barones, crescente in dies Wladislai odio in pupillos, spem potentioris adiuvandam rati [5]), nonnulli vero largitionibus et promissis corrupti, orphanis desertis ad Wladislaum deficiebant. Duo tantummodo reperti, Petrus de Dacia (qui et Pyotrko Magnus et Comes de Skrzin appellabatur) et Wszeborius Sandomiriensis Palatinus, qui libera fronte pro pupillis starent, causamque eorum, quoad poterant, tutarentur. Et Wszeborius quidem armis et ferro rem gerens, etiam in quibusdam particularibus certaminibus superior evadebat, spemque Wladislai improbam retardabat. Comes vero Skrzinensis Petrus Swanthoslai filius, divitiis et potentia, caeterisque eius generis ornamentis clarus, probitate vero et existimatione, quamvis externus et advena, facile in Regno Polonico Princeps, ne ab invidia invaderetur, quod magnis viris natura quodammodo ipsa comparatum est, evitare non potuit. Caput autem et origo suae invidiae ex hinc coepit. Dum etenim [6]) frequentibus, familiaribusque sermonibus Wladislaum Ducem accedens, tyrannidem coeptam et hactenus continuatam carpebat, damnabatque, ostendens non verbis solum sed exemplis, eum in propria viscera et propriam perniciem grassari, nec ea tyrannide universale Regni Poloniae dominium assequi illum, sed et proprium et legitimum verti in discrimen, nullaque re magis, quam fraterna unanimitate et sociabili [7]) concordia in altum statum, quem tantopere cuperet, evasurum: non surdis autem tan-

---

[1]) omnem *Ed. Dobr.* [2]) consortem *Cod. Rozr.* [3]) Moraviae *Ed. Lips.* [4]) Lubucensesque *Ed. Dobr.* [5]) iudicantes *Cod. Rozr.* [6]) Quod *Cod. Rozr.* [7]) sociali *Cod. Rozr.*

tum auribus, sed et iniquis, quae a Petro Comite Skrzinensi dicebantur, audita sunt; tantam insuper et tam fervidam, primum suspitionem, deinde indignationis flammam Wladislaus Dux Polonorum a Petro Comite reprehensus hausit, ut in illum iuxta ac in fratres tyrannidem vertendam cogitaret, veritus quam maxime, ne Petrus Comes Skrzinensis (qui ea tempestate tam genere, quam facultatibus clarus et potens habebatur) orphanis adiunctus, et propositum suum ad irritum deduceret, et potentiam suam vel confunderet, vel languidaret. Infensum suapte Wladislai Ducis Polonorum in Petrum Comitem Skrzinensem animum coniunx Wladislai Ducis Cristina, cum qua Dux Wladislaus de rebus quibusque consultare solitus erat, cum et ipsa dudum gravida [1]) ira Petro Comiti Skrzinensi infesta esset, in ampliorem bilem accendit. Ferarum siquidem venationes quodam tempore tam Duce Wladislao, quam Petro Comite una simul tractanti [2]), cum fera cursu suo utrumque in desertum et longe a stativis distans nemus abduxisset, rugiensque fame stomachus, carne comprehensae bestiae aegre, fastidioseque impletus, sitim glacie et nive exclusisset, ambo insuper nuda humo et somnum et quietem capturi, delicias suas quae illis et ex cibariis, potibusque [3]) et ex parum molli strato contigerant, familiari confabulatione recenserent: Mollius, inquit Wladislaus Dux, coniugem tuam, Petre, cum abbate Strzelnensi [4]) reor, quam nos quieturam [5]). Huic faceto dicto et ad levandam praesentem difficultatem a Duce Wladislao prolato, Petrus Comes sororium [6]) responsum redditurus liberius respondit. Quid scis [7]), inquit, non meam tantummodo cum abbate, sed et tuam cum Dobyesz molles nunc cepisse somnos. Erat autem Dobyesz miles a Ducissa Cristina amatus, cuius contubernium [8]) pudicitiam Ducissae Cristinae in sugillationem apud plerosque perduxerat. Concepit illico Dux Wladislaus ex ea responsione iras., cautius tamen eas supprimens, cum et saeviendi opportunitas parum tunc tuta esset, et Petrum Comitem velut affinem suum, qui matris suae propinquam sororem pro consorte habebat, maiori ultra omnes barones aestimatione colens, nollet habere alienatum et infensum, sub silentio et patientia rem in praesens absolvit. In domum vero reversus tristitiam animi in vultu etiam praeferens [9]), sciscitanti uxori mutationis causam, cum diu [10]) nequicquam restitisset, expugnatus tandem sedula importunitate, secretum avida investigatione [11]) exigentis mulieris vel indignabundus, vel ut plerisque placet, iocabundus, sermones, quos praecedenti nocte cum Petro Comite de uxoribus invicem cecinissent [12]), ex ordine aperit. Qua relatione Ducissa Cristina, dum pudicitiam suam per illos in dubium revo-

[1]) gravi *Cod. Rozr.* [2]) tractantibus *Cod. Rozr.* [3]) potuque *Cod. Rozr.* [4]) Skrzynensi *Cod Rozr.* [5]) quiescere. *Cod. Rozr.* [6]) simile *Cod. Rozr.* [7]) Quid scit *Ed. Dobr.* [8]) familiaritas *Cod. Rozr.* [9]) praeseferens *Cod. Rozr.* [10]) diei *Ed. Dobr.* die uno *Ed. Lips.* [11]) instigatione *Cod. Rozr.* [12]) confabulassent *Ed. Dobr.*

cari credidisset, torta adeo et exacerbata est, ut ab illo tempore muliebri more, qualiter eam iniuriam ultum iri posset, variis studiis, varioque aestu mentis certaverit, et irae impotens, neglectam a viro et nimis leviter latam iniuriam suam indignabunda, qualiter de Petro Comite severius ultum iri possit, exquisitione [1]) volvebat. Ea itaque occasione (quam retulimus) oblata, omni conatu, omnique nisu, consilio atque suasu, ut de Petro Comite sumatur ultio, Wladislai Ducis viri sui aegrum [2]) animum perlicit, suggerens eo incolumi ullo [3]) pacto plenum Regni Poloniae dominium Ducem Wladislaum obtenturum. Studiosius quoque deinde compositis simulationibus, et per se et per alios, quos sibi ad id scelus facilius conficiendum adiunxerat, in necem Petri Comitis, quasi rebellionem et deiectionem, atque venenis [4]) necem ducalem meditantis, animum viri urgere coepit. Et licet, ne id ageret, a timoratis viris admoneretur, nihil tamen divinum, nihil dignum, nihil salubre auris admittebat mulieris, maiorique ultionis flagrabat ardore, quae potius pro debito coniugalis muneris errata viri reprimere et officiis suis etiam flagitiorum invidiam compensare debuisset. Caeterum cum ad explendum in Petro Comite facinus, quod muliebri animo comparatum erat, fidus minister, et cui arcanum illud tute, ne proderetur, committi posset, necessarius consereretur [5]), cum appareret, rem per se execrabilem, et quae non sine administrantis illam evidenti propter Petri Comitis, qua pollebat, potentiam, periculo confici posset [6]), singulos quoque aspernaturos, Dobyesz ad id idoneus visus, privatam et ipse contumeliam in Petro Comite ulturus, deligitur. Qui etsi onus detestandum in Ducissae Cristinae favorem, quae etiam illi in facinoris praemium Petri Comitis, quo vigilantius, studiosiusque rem ageret, bona pollicebatur, suscepisset, parum tamen se validum, ut id consequeretur, censebat, una ad id commodosa [7]) muliebri ingenio aperiebatur via, si Petrum nihil ex praeparato agentem in alienis aedibus oppressisset. Desponsaverat etenim [8]) Petrus Skrzinensis Comes filiam suam Iaxae Duci Serbiae, celebrationemque nuptiarum in Wratislaviensi civitate, ut receptaculum hospitibus esset, et hastarum ludos, praemio proposito victoribus, indixerat. Illic Dobyesz frequentia satellitum fultus accedens, Petrum Comitem Skrzinensem incautius se in hospitis morem gerentem captivat, vinctumque ex Wratislavia educit et Duci Wladislao praesentat, nuptiarumque solennitatem perturbatis convivis [9]) foedat. Diu in eum Wladislaus Dux quicquam gravius consulere cunctabatur, et innocentia viri, et meritorum eius in se et patrem, patriamque recordatione deterritus; verita Ducissa Cristina, ne misericordia viri capti-

---

[1]) exquisitius *Ed. Dobr.* [2]) egregium *Ed. Dobr.* [3]) nullo *Cod. Rozr.* [4]) venena in *Cod. Rozr.* [5]) quaereretur *Cod. Rozr.* [6]) confici posset *deest in Cod. Aut.* [7]) commodissima *Cod. Rozr.* [8]) Nuptum dat *Ed. Dobr.* [9]) perturbans, convivium *Ed. Dobr.*

vum Petrum absolvisset, non precibus solum et consiliis, sed minis discessuram se ab eo, si violatam suam honestatem a Petro inultam iri sineret, contestans, perpulit virum, ut supplicium de optimo atque bene merito milite sumeretur. Missi carnifices, qui linguam incidunt [1]) et utroque lumine Petrum caecant. Ita vir et virtute et opere egregius, femineo furore pro crimine proditionis affícto ad poenas raptus, nobilioribus membris spoliatus et exutus, indigna ultione mulctatus est. A scriptoribus Polonorum tantum uni huic viro tribuitur, ut pro insigni suae innocentiae atque virtutis memoria referatur, divina propitiatione et miraculo, in quem tot pietatis facinora contulerat, et oculos, plenamque potentiam visivam [2]) et integram loquelam, lingua instaurata, illum recuperasse et quinquennio, quo posthac vixit, monasteriis, ecclesiis et piis locis, his praesertim, quae ipse fabricaverat et fundaverat, largas donationes fecisse, caetera quoque supplenda, quae locis piis ac monasteriis praedictis deerant, filiis Constantino et Aegidio in morte mandavisse. Celebrem decedens habuit in monasterio Sancti Vincentii extra muros Wratislavienses ordinis Praemonstratensis, quod ipse vivens fundaverat, in chori medio terrae mandatus sepulturam, magna Polonorum frequentia eius cohonestante exequias, ipsisque funebriis monstrante, quantum vivum amaverant. Sed et in hanc diem Petri Comitis Skrzinensis nomen apud Polonos extat sonorum ac celebre. Consors sua Maria expost fatis intercepta, in eadem, qua Petrus urna, mariti consocianda cineribus, condita est; duo insuper versus sepulchro huiusmodi inscripti, utriusque attestantur [3]) sepulturam, qui tales sunt:

Hic situs est Petrus, Maria coniuge [4]) fretus,
Marmore splendente, Patre Wilhelmo peragente.

Extant usque in haec tempora plures in Polonia ecclesiae, quae ab eo feruntur muris aedificatae, licet maior illarum numerus sit iam per novarum constructionem demolitus, videlicet ad Sanctum Vincentium, item ad Sanctum Michaelem in Wratislavia, in Strzelno, in Klobuczsko, in utraque Skrzin, in Zarnow, in antiqua Szyewyor, in Payaczno, in Ruda, in Chelmcze, in Wierczicow [5]), in Lancicia, in Kiie [6]), in Opatow, in Pkanow, in Chalino [7]), in Thinyecz, in Chlewyszka, in Kosczelec Wladislaviensis [8]) diocesis, ad Sanctam Mariam in Arena, ad Sanctum Martinum in Wratislavia, ad Sanctum Laurentium in Kalisch, ad Sanctum Salvatorem ante Cracoviam, in Zwyerzinyecz, ad Sanctum Swiradum [9]), ad Sanctum Laurentium in Kazimiria,

---

[1]) illi praecidant *Ed. Dobr.* [2]) visionis *Ed. Dobr.* [3]) attestantes *Ed. Dobr.* [4]) consorte *Ed. Dobr.* [5]) Wierzycow *Ed. Dobr.* [6]) Kygye *Cod. Aut.* [7]) Chelmo *Ed. Dobr.* [8]) Wratislaviensis *Ed. Dobr.* [9]) Suiridum *Ed. Dobr.*

ad Sanctum Iohannem et ad Sanctum Andream Cracoviae, in Kazimirz [1]) ad Quinque Fratres, in Msthow, ad Sanctum Petrum in Nyssza [2]), in Antiqua Konin, in Kothlow [3]), in Numborg Sanctimonialium Praedicatorum, in [4]) Rambino, in [5]) Czirwyony Kosczioł, in Lawin conventualis et parochialis duae, in [6]) Tulcze, in [7]) Gecz, Sancti Aegidii ante Krobya et in Iezewo [8]). Constat insuper praefatum Comitem Skrzinensem ingentis animi et spiritus virum extitisse et pro amplificanda, exornandaque Polonorum regione raram et homine magnifico et liberali dignam monstrasse curam. Qui dum duas amplas provincias, Calissiensem videlicet et Crusviciensem suo regimini a Duce Boleslao Krzywousty commissas, administraret et frequentia itinera de una in alteram perageret, longitudinem itineris, qua una distabat ab altera, mensus, in earum meditullio columnam de saxo, quam etiam in praesens in cimiterio ecclesiae parochialis in Konin cernimus, locari disposuit, cui etiam ea metra insculpi iussit:

De Kalisch hic medium in Cruszwicze [9]) fore punctum,
Indicat ista viae formula iustitiae,
Quam fieri fecit Petrus Comes Palatinus.

Innocentius Papa secundus, cum annis tredecim, secundum aliquos quatuordecim, mensibus septem, diebus octo sedisset, Romae moritur et in concha porphirica miro opere fabricata in ecclesia Lateranensi honorifice sepelitur. Cui Coelestinus secundus, natione Tuscus de Castro Felicitatis, succedit, vir religione et scientia praeditus, cum magna Cardinalium unanimitate ad Sedem Petri electus.

ANNUS DOMINI 1145.

Wladislaus congregato ex Ruthenis maximo exercitu, duos fratres expellit, et per archiepiscopum propterea anathematisatus; expulsi autem cum Myeczslao se concludunt in castro Posnaniensi, prius mori quam se furori fraterno committere eligentes.

Petro de Dacia [10]) Comite Skrzinensi detestabili crudelitate mutilato, caecatoque, Wladislaus Polonorum Dux tyrannidem coeptam superintendens, non ad occupandum solum fraternos Principatus et sortes, sed ad eliminandum

[1]) Cazimiria *Cod. Rozr.* [2]) Nissa *Cod. Rozr.* Hisza *Ed. Dobr.* [3]) Kotow *Ed. Dobr.* Korow *Ed. Lips.* [4]) in *deest in Cod. Aut.* [5]) in *deest in Cod. Aut.* [6]) in *deest in Cod. Aut.* [7]) in *deest in Cod. Aut.* [8]) Iezow. *Cod. Rozr.* [9]) Cruszviczam *Cod. Rozr.* [10]) Dania *Ed. Dobr.*

eos [1]) de patria, studia sua, conatusque convertit, cum ad id non solum ambitionis ardore et uxoris irritamento, sed et impunitate scelerum et assentatione improborum ferreretur, nullo [2]) eius tyrannidi post crudelitatem in Petro Comite Skrzinensi depromptam obstare, aut eius conatus carpere, seu quae vera et legitima essent, dicere auso. Contracto itaque ex omnibus Principatibus et dominiis [3]) exercitu, Ruthenorumque auxiliariis frequentiori numero quam unquam alias accersito [4]), (Wszewolodus enim Kyoviensis Dux filium suum Swanthoslaum, item Ducem Iszaslaum, item Ducem Wszewoldimirum [5]) Haliczienseni cum copiis Ruthenorum in solatium [6]) transmiserat) Boleslaum de Ploczensi, Henricum de Sandomiriensi castris fratres germanos depellit, caeteraque eorum praesidia deiicit et omnes eorum Principatus et terras, iustis Principibus fugatis, subiugat. Unus tantummodo Myeczslaus Senex vocatus restabat, Gnesnensis, Posnaniensis et Maioris Poloniae Dux, ad quem biduo [7]) fratres, Boleslaus Crispus Masoviae et Henricus Sandomiriensis Duces sedibus suis pulsi diffugerant, arcemque Posnaniensem omnes tres adeuntes, etiam viris, armisque eam munierant, resistentiam Duci Wladislao, si illic quoque impeterentur, oppositui. Quod ubi Wladislaus Dux agnovit, ocyus illic ire pergit, celeriori quoque quo potest cursu exercitum admovit et Posnaniense castrum fortissima obsidione vallavit, universos fratres uno loco, unaque obsidione debellaturus et comprehensurus. Cinxit deinde sepibus et frequentibus turribus Posnaniense castrum, ne cui de obsessis liceret de illo efugere, bombardis quoque et arietibus illud nocte et interdiu quatiebat, omnibus ingeniis et artibus humanis ad eius conquisitionem intentus. Principes autem Boleslaus, Myeczslaus et Henricus, videntes se per obsidionem illam plurimum coartatos, ne vivi in manus hostiles venirent, ne quoque in captos quicquam gravius consuli [8]) contingeret, mittunt nuntios ad Wladislaum Ducem rogantes: ut nubilo suae indignationis mitigato, illos hostiliter impetere et Principatus eorum occupare desineret, solveretque obsidionem et fratrem se atque defensorem, non hostem ageret [9]), sorteque sua contentus esset, neque in exterminium eorum, qui eodem patre essent geniti, et aequale in Poloniae Regno sibi ius cum eis foret [10]), aspiraret, memor humanarum rerum, et suam fortunam modeste gereret [11]) et alienam ne urgeret. Legationem autem huiusmodi Wladislao Duce fastuose repellente et irridente, nihil quoque pacati respondente, Ducibus Myeczslao, Boleslao et Henrico, et omnibus cum eis obsessis maior pavor incessit, fortunamque suam miserandam et miserabilem lachrimosis eiulatibus crebro deplorabant. Pro more deinde

---

[1]) eos ipsos *Cod. Rozr.* [2]) nemine *Cod. Rozr.* [3]) dominiis suis *Cod. Rozr.* [4]) accersitis *Cod. Rozr.* [5]) Wszevolodimirum *Cod. Rozr.* [6]) auxilium *Cod. Rozr.* [7]) hi duo *Cod. Rozr.* [8]) statui *Cod. Rozr.* [9]) gereret *Ed. Dobr.* [10]) cum eo haberent *Cod. Rozr.* [11]) regeret *Cod. Rozr.*

ingenii humani ad conditiones pacificationem [1]) aliquam laturas versi, deditionem plerique facere, ceteri de aliqua sorte Principatuum cedere, et furorem, ambitionemque Ducis Wladislai utcumque placandum decernebant. Sed cum conditio utraque gravis et intolerabilis videretur, et Dux Wladislaus non aliter existimaretur quieturus, donec cum fratrum exterminio plenum illi Regni Poloniae regimen proveniret, perseverare in obsidione, eamque tolerare et omnia pati extrema diffiniunt, sperantes Divinitatem, quae pro iusta causa stare consuevit, se et suam oppressionem aliquando respecturam.

Sub ipso autem obsidionis tempore Wladislai Ducis exercitus, auxiliares praecipue Rutheni, praedis, spoliis et innumerabilibus maleficiis non contenti, etiam ingenuis matronis et virginibus stupra, plerisque caedes et corporum cruciatus, caetera quoque abominanda et catholicis [2]) indigna, rabie barbarica inferebant. Quibus malis venerandus Iacobus tunc sedis metropolitanae Gnesnensis antistes permotus, in castra Ducis Wladislai quadriga vectus [3]), gravis enim iam annis excesserat, amictu et mitra pontificali, quo terribilior esset [4]), vestitus advenit, et in eadem qua vehebatur quadriga papilionem Ducis Wladislai ingressus [5]), prudenti et digesto sermone, ut armis depositis, obsidioneque soluta, in gratiam cum fratribus rediret, patriamque, quae illum produxerat ac [6]) extulerat, barbarica invasione, stupra, caedes, spolia, praedas et incendia in eius exterminium et ludibrium inferendo, persequi et vexare desisteret, et sua sorte contentus, aliena contra ius fasque non ambiret, benignius quo poterat, exhortabatur, certum illum reddens, ea mala quae egisset, non sibi impune cessura, sed fusum, fundendumque sanguinem in eius perniciem redundaturum, huiuscemodique illum convenit sermone: Venio, inquit, ad te clarissime Princeps, senio quidem gravi, sed anxietate et dolore maiori confectus, rogaturus, ut bello pernicioso omisso, quo fratres eliminare contendis, summoto, labem etiam, qua te et genus tuum foedare instituisti [7]), attendas, eo quidem maiorem, quo testamento patris curator fratrum scriptus, amplitudinem illorum non exterminium procurare debueras. Tu siquidem ex curatore insidiator, ex amico inimicus, ex fratre hostis, arma, quae pro fratribus opponere conveniebat, in ipsos vertis, quos tutandos assumpseras, quatis multifarie et collidis, humani generis res, fidem, societatem, fraternitatem, sanctissima foedera, ipsum denique sacrosanctum humani generis vinculum violas, securitatis auxilia in metum vertis, malorum omnium unde minus expectabantur, pericula in fratres et patriam congeris. Optimum crede temperamentum, oppressa ambitione, qua cales, deposita tyrannide, quam exerces,

---

[1]) pacem *Cod. Rozr.* [2]) Christianis *Cod. Rozr.* [3]) ingressus, cum quadriga advectus esset *Cod. Rozr.* [4]) videretur *Cod. Rozr.* [5]) intrans *Cod. Rozr.* [6]) ac *deest in Cod. Aut.* [7]) constituisti *Cod. Rozr.*

cum fratribus ex aequo vivere, et post bella execranda, post vultus et actus minime fraternos, subituram tandem aliquando tibi germanitatis et curatoris [1]) memoriam. Horrendam hanc existima, quam prosequeris, et plusquam civilem discordiam, stirpem vestram, illustre dominium et Regnum funditus, nisi celerius resipueris, eversuram: honorem amplum et fructum cumulatissimum, si monitis meis parueris, sin minus, divinam et humanam ultionem percepturus. Revolve animo, quam foedum, quamque plenum dedecoris et iniquitatis est, te hominem christianum et Principem de Deo suo et eius assidue pendentem iudicio id agere, quod gentiles occulta [2]) veri Dei et catholica [3]) religione alienos constat execrari, ut plus in pectore tuo possit cupiditas Regni inanis, quam fraternae pietatis affectus. Wladislaus autem [4]) Dux fuga et discessione fratrum in unam arcem elatus, salubres pontificis monitus, clara voce sibi successuum varietatem praedicantem, aspernari sustinuit et prosperitatis suae velocem cursum, vana sibi quaedam ominans et pleno velo semper se navigaturum confidens, a moderationis contubernio exclusit; sed renitendo tam optimae consulationis et prudentissimae persuasionis bono declaravit, quod non in omnes cadit donum prudentiae salutaris, nec quemlibet patitur possessorem, et superborum atque insensatorum Principum avaritia obcaecatorum more in sua persistendum duxit sententia. Obstinato ad ea, quae a praesule optimo dicebantur, edito a Wladislao Duce responso, dum appareret illum a rabie concepta nullo pacto quieturum, Iacobus archiepiscopus praedictus a spiritu divino impletus, scutum fidei et loricam spei velut praeliabundus assumens, e sella [5]), cui insederat, altius consurgens: Postquam inquit, lege divina et humana prophanata, iure etiam gentium et naturali praevaricato, tantos ausus assumpsisti, ut neque Dei metus et reverentia, neque humanae persuasiones et monita, neque meae exhortationes et consilia, te queunt a pravis et execrandis facinoribus abstrahere et ad rectum inclinare, auctoritate Dei omnipotentis, cuius vices in hac parte prosequor, te velut Principatuum fraternorum iniustum, violentumque invasorem, fidei et patriae hostem, legum divinarum et humanarum transgressorem et meorum paternorum monitorum rebellem contemptorem, ad omnia salutaria obstinatum, Pharaonicam cordis duritiem praeseferentem, primum quidem coram praesenti, quae astat, multitudine, excommunico, deinde velut pertinacem anathematiso, et ultimo velut incorrigibilem ultioni divinae puniendum relinquo. Execratus deinde in caput et exercitum Wladislai Ducis et hospitales [6]), Superos, violatae ab eo religionis et fidei, sui quoque saluberrimi spreti consilii testes

---

[1]) curationis *Cod. Rozr.* [2]) gentiles a *Cod. Rozr.* [3]) Christiana *Cod. Rozr.* [4]) At Wladislaus *Ed. Dobr.* [5]) moxque e sella *Ed. Dobr.* [6]) ac etiam in auxiliares copias *Cod. Rozr.*

invocans, anathemate quoque illum [1]) damnans, in vehiculo vectus ex papilione ducali recedebat, interminans stipendia, quae fratribus inferebat [2]), a se propediem per fratres iustius expetenda. Sed neque is ingestus terror saxeum movit pectus [3]), nec excruciatam ambitionis igne mentem sanavit. Non tamen in praesulem se ferientem contumeliis, improperiis aut comminatione Principum more utendum duxit, sed singula sub patientia perferens, nihil se aut corripiente indignum deprompsit, motusque omnes animi in potestate habuit. Egrediente archiepiscopo de tabernaculo ducali, auriga archiepiscopi quadrigam et equos incautius agens ultimo axe columnas, quibus papilio ducalis sustentabatur, evertit, tabernaculum quoque exinde corruens usque ad solum decidit; nec longe abfuit, ut suo prolapsu Wladislaum Ducem opprimeret. Eum quoque casum Dux Wladislaus ira supressa, quam moris sui esset, patientius tulit et non bili [4]) tantum, sed nec [5]) obiurgationi indulsit, pluresque suae patientiae admiratione tenebantur. Nonnulli vero lapsum [6]) tabernaculi scrupulosius notantes velut praesagium et evidens futuri casus adversi signum augurabantur accidisse, in brevi [7]) temporis spatio, post eas, quas a metropolitano suo salubres admonitiones spretum iri sciverat [8]), post fratrum suorum, quos praeter iustum aequumqué paterna haereditate exuere aestuabat, humiliationem supplicem, quam ludibrio habuerat, Ducem Wladislaum ominantes ruiturum. Unde et ab aliquibus suis consiliariis aditus atque rogatus est, ut feroci animo deposito, pacificari fratribus sub aequis conditionibus dignaretur, vereri se asserentibus, ne pro armis iniuste sumptis, secum una simul divina obruerentur ultione.

Obturatas ad omnia salutaria monita aures et obstinatum animum Wladislai Ducis, dum Principes Boleslaus, Myeczslaus et Henricus, et barones Principatuum suorum, Sandomiriensis, Maioris Poloniae, Masoviae et Cuiaviae, qui causae eorum turpe et foedum deesse putarunt, literis [9]) et nuntiis Iacobi archiepiscopi Gnesnensis singula ex ordine, quae pro illis gessiset, denuntiatis [10]) sensissent, in ultimam desperationem versi, etiam in mortem et in omnia quaeque indigna, antequam se tam impio fratri et iniusto hosti dederent, devovent et destinant. Videntes insuper se longa obsidione inclusos et maceratos, undique insuper constrictos, nec ullum effugii locum esse in misericordia et pietate fraterna, archiepiscopo Gnesnensi illum inflectere non valente, nihil amplius restare spei, ipsa [11]) desperatione sumpsere audaciam, promptioresque in pugnam et in mortem faciebat ultima necessitas et praeruptum periculum, et unusquisque ita animatus accingebatur in id [12]), quod

[1]) anathemateque illas *Cod. Rozr.* [2]) exigebat *Cod. Rozr.* [3]) movere pectus poterat *Cod. Rozr.* [4]) sibi *Ed. Dobr.* [5]) sed et aurigae *Ed. Dobr.* [6]) casum *Cod. Rozr.* [7]) brevi scilicet *Cod. Rozr.* [8]) permiserat *Cod. Rozr.* [9]) ex literis *Cod. Rozr.* [10]) denuntiantis *Cod. Rozr.* [11]) ex ipsa *Cod. Rozr.* [12]) ad id *Ed. Dobr.*

futurum esse debuerat, praelium, ut devoveret se potius telis hostilibus, si ita sors ferret, quam miserationi fraternae saepius petitae et nunquam obtentae, caput obiecturum. Una et ipsa tardior, quam tempus postulabat, evadendi spes erat, si hiberno tempore subveniente, solvi hostilem exercitum inopia pabulorum et intemperie hiemis contingeret: sed interim quoque et apud se noscebant defutura alimenta. Res itaque suas videntes ad extremum versas, nocte et interdiu suum exitium metiebantur, et crescebat assidue in singulorum pectoribus desperatio: quoniam nulla ratio tolerantiam amplioris obsidionis, dum nulla ventura auxilia expectare fas erat, afferebat. Complexi deinde se invicem certissimum moriendi propositum, datis dextris, factisque osculis, quam primum occasio suberit, assumunt. Crebro itaque in stationes hostiles et in opera insilientes, magnam stragem conficiunt. Sed dum ob eam rem militum numerus pro tuendis operibus duplicaretur, obsessorum Principum milites per multiplices insidias incautos intercipiunt. Saepius quoque certamine inter utrosque accenso, mirificum praelium sequebatur; plures tamen de exercitu Wladislai Ducis aut capti, aut occisi, quotidie succumbebant, in Ruthenos tamen maior, quam pro numero, in congressionibus et excursionibus huiusmodi caedes edebatur. Pluribus deinde diebus ab obsessis nihil movebatur, Principesque obsessi suos omnes intra arcem continebant, cum lacessendi magis, quam sustinendi hostes levibus certaminibus experientiam accepissent, nulla parte virium hostibus pares. Dilapsi et [1]) ex stationibus, custodiaque operum [2]) Wladislai milites, postquam ab obsessis copia pugnae non fieret, corpora curabant, aut luxui, ebrietatique operam dabant, omniaque in castris Wladislai, quasi victi et expugnati hostes forent, solutiora; fractos quoque et ultima desperatione fatigatos Principes, Boleslaum, Myeczslaum et Henricum, eosque qui una secum obsidebantur, ratus, laetus et gloriabundus deditionem eorum Wladislaus Dux operiebatur. Contemptus deinde hostium, post negligentia in exercitu Wladislai, velut a re prospere succedente et successura, haberi coepta sunt [3]). Paucis ad stationes et opera relictis, caeteri se in varia loca sparserant, plerique in lasciviam explendam abierant, pars aut ludo aut comessationi vacabat, quidam hesternam eructantes crapulam somno strati iacebant inermes, inordinati, ut quibus velut pro comperto erat, obsessos de caetero nihil hostile moturos. Ubi satis Principes obsessi contemptum sui viderunt apud Wladislaum et milites eius insedisse, scirentque ex captivis et profugis negligentiora omnia apud hostes esse, arma suos capere, fortunamque tentare iubent, gloriosius aliquanto in pugna adversis vulneribus, quam in arce fame et inedia strati, morituri. Omnibus tam equiti-

---

[1]) Dilapsi hostes *Cod. Rozr.* [2]) operum ac caeteri *Cod. Rozr.* [3]) coeptus est. *Cod. Rozr.*

bus, quam peditibus ad erumpendum praeparatis, signum quoque rubrum in turris cacumine Principum iussu erectum est. Cuius erectio dum militibus in exercitu Wladislai, Ducibus praesertim Russiae, Swanthoslao, Iszaslao et Wszewoldimiro tunc ad latus Wladislai considentibus, admirationem ingessisset, significatum signi Ruthenorum Principibus operosius sciscitantibus Wladislaum Ducem respondisse ferunt: Principes obsessos et deditionem offerre et misericordiam flagitare. Cumque Ruthenus parci victis seque dedentibus, abstinerique fraterna [1]) et propriorum caede, summopere aequum censuisset, ferox Wladislai pectus sive ultionis, sive exterminii fratrum avidum respondit: Clementiae et reconciliationi locum de caetero non superesse. Sub hac confabulatione et sermone Principes obsessi cum fortissimis et exercitatissimis militibus, morique [2]) quam cedere persuasis, adhaec cum promiscua cuiusque ordinis aetatisque, quae castro claudebatur, turba [3]), media ferme die, dum magis sopiti aut epulis hostes intenti essent, erumpunt, clamorque ab omni etiam infirma aetate sublatus diu Wladislaum Ducem et suum exercitum suspensum et attonitum [4]), amentiam enim illam non audaciam plerique rebantur, tenuit. Ubi vero effusissimo et subito cursu eos ad se pergere advertunt, omnibus rebus vehementer perterriti, neque consilii habendi, neque arma expediendi spatio dato [5]) perturbabantur. Tum primum trepidatio, sive numine occulto metum illis ingerente, sive quod se nudos, impraeparatos et inermes cernerent, sive quod causae suae et futuro certamini iniustis armis tractando parum fiderent, iuxta ac si insidiis circumventi forent, coorta est: diversi diversa moliebantur, nulli, quid potissimum agendum esset, constabat. Nec homines solum, sed et equos terror ex tumultu et rumore [6]) pervaserat. Pauci itaque inermes equis utrinque correptis, dum ordinatis et armatis occurrerent, facile trucidantur sparsi et semisomnes [7]) opprimuntur. Nonnullis [8]) res pretiosiores servandi cura erat: diversa [9]) rerum conspiciebatur facies, nec quisquam prae [10]) trepidatione aliquid consulebat in commune. In castra hostilia igne ingesto, incendium late diffundi coepit, materia arida et sicca ex culmo et stramento, quo castra operta erant, alimentum subministrante. Fuga deinde passim ferrum et flammam evitare conantium, et expost [11]) caedes erat: sub modico intervallo validum robur ex Polonis et Ruthenis congestum, fusum fugatumque et castris exutum est. Et dum in omnes partes capessunt fugam, equites fugientes persecuti magnam caedem in fugientibus, Ruthenis praesertim, ediderunt. Nonnulli ab undis suffocati Wartham et Glownam [12]) fluvios, ad quos certamen gerebatur, cadaveribus impleverant. Wladislaus Polonorum

---

[1]) a fraterna *Cod. Rozr.* [2]) mori potius *Ed. Dobr.* [3]) multitudine *Ed. Dobr.* [4]) attentum *Cod. Rozr.* [5]) relicto *Cod. Lig.* [6]) clamore *Cod. Rozr.* [7]) fere omnes *Ed. Dobr.* [8]) Nullis *Cod. Rozr.* [9]) adeo diversa *Ed. Dobr.* [10]) sibi *Ed. Dobr.* [11]) postea *Cod. Rozr.* [12]) Glowniam *Cod. Rozr.*

Dux cum Ruthenorum Ducibus et paucis quibusdam effugiens, versus Cracoviam a suis desertus concessit, moerensque et calamitate plenus, equos mutando, Cracoviam sine militum frequentia, velut si [1]) privatus foret, pervenit [2]), documentumque suo exemplo et praesentibus et posteris dedit, ne quis de potentia confidens, in aliorum oppressionem cum legis divinae et humanae praevaricatione et salutarium monitorum obauditione inexorabiliter aspiret. Principes Boleslaus, Myeczslaus et Henricus victoria modeste usi, omnes qui ex Polonis capti fuerant, libertate donaverunt. Ex eoque tempore res eorum contra Wladislaum fratrem prosperatae sunt, et omnia quae illis abstulerat brevi recuperata. Castris insuper tam Wladislai Polonorum, quam trium [3]) Ruthenorum Ducum potiti, variis quoque ex manubiis utriusque exercitus, Polonici videlicet et Ruthenici, ditati rebus, plures pro sui solatio, non ex propriis tantummodo, sed etiam ex forensibus milites armaverant. Ruthenorum Duces Swanthoslaus, Iszaslaus et Wszewoldimirus [4]) per fugam Cracoviam advenientes, exinde tam militibus, quam rebus nudati, in Russiam cum paucis commilitibus rediere.

Coelestinus secundus Papa, cum mensibus quinque, diebus tredecim tantummodo sedisset, Romae moritur et apud Lateranum [5]) sepelitur; cui Lucius secundus, natione Bononiensis ex patre Alberto, succedit, vir pro mansuetudine et humilitate sui, officio Summi Sacerdotis dignus, qui ex Presbytero Cardinali tituli Sanctae Crucis in Papam assumptus, totam illam ecclesiam et claustrum renovavit. Is [6]) a Romanis gravem persecutionem passus, venire Cunradum Romanorum Regem ad suam defensionem literis invitavit. Romani enim priscum fulgorem resumpturi, creatis senatoribus et patriciis, Lucium Papam de oblationibus et decimis antiquorum sacerdotum more vivere cogebant, omnium regalium intra Urbem et extra sibi nequiter usurpando potestatem. Horum malorum taedio Papa vexatus brevi tempore supervixit.

Henricum Olomunczensem episcopum Romam proficiscentem Cunradus Marchio Moraviae pacifice [7]) captivare nitebatur. Qui dum manus suas effugisset, Cunradus Marchio familiaribus aliquibus episcopi trucidatis, omnique sua supellectili usurpata, hospitio etiam episcopali incenso, recessit.

Fundatio monasteriorum in Landa et in Wangrowyecz, eorumque praerogativa.

Divinae propitiationi humanam gratiam Myeczslaus Senex Dux Maioris

---

[1]) perinde atque *Ed. Dobr.* [2]) advenit *Ed. Dobr.* [3]) omnium *Ed. Dobr.* [4]) Wszewlodimirus *Cod. Aut.* [5]) in Lateranensi ecclesia *Ed. Dobr.* [6]) Qui *Cod. Aut.* [7]) occulte *Cod. Rozr.*

Poloniae pro consecuta nobili et memorabili victoria, quam de germano suo Wladislao Cracoviensi Duce et Russiae Principibus contra suam et omnium spem retulerat, relaturus [1]), ad fluenta fluvii Wartha in villa sua ducali Landa [2]) monasterium ordinis Cisterciensis fundat et erigit, et illud ducali munificentia villis, praediis et amplis introitibus [3]) donat, dotat et libertat [4]). Ad monasterium autem huiusmodi [5]) et aliud eiusdem ordinis vocatum Wangrowyecz, monachi in primaria [6]) monasteriorum huiusmodi fundatione ex monasterio, quod vocatur Vetus mons, tribus milliaribus a Coloniensi civitate supra Rhenum sita distante, sumpti sunt. Ab eo autem tempore mos fuit laudabilis et omni commendatione dignus, usque ad tempora mea observatus, quod nemo in monasteria praefata in regularem observantiam assumitur, nisi sit genere Coloniensis. Ex quo nimirum provenit, quod monasteria praefata optimo diriguntur [7]) ordine tam in spiritualium, quam temporalium gubernatione, passura illico et religionis et rei familiaris naufragium, si hunc morem quandoque deseruerint. Nec mos ipse nude et fortuito, sed rationabiliter et ex evidenti causa et merito praefatis duobus monasteriis pro iure perpetuo et lege perenni ob eam causam fuit concessus. Visitante siquidem Myeczslao Maioris Poloniae Duce ecclesiam Aquisgrani et corpora Sanctorum [8]) Trium Regum in Colonia, dum a Coloniensibus maximis certatim celebraretur honoribus, hanc Coloniensibus refundit gratiam, super qua et privilegium scripsit, ut in vicissitudinem officii sibi a Coloniensibus exhibiti, nullus ad duo monasteria praefata, nisi sit Coloniensis, possit assumi, aut in eisdem tolerari.

ANNUS DOMINI 1146.

Wladislaus desperans rebus suis, relictis uxore et filiis Cracoviae, fugit ad Regem Romanorum. Capta tamen Cracovia, missa uxor cum filiis ad ipsum, et Boleslaus Monarcha eligitur.

Principatibus propriis Boleslaus, Myeczslaus et Henricus, miro omnium baronum et nobilium favore et consensu recuperatis, cum praeter insitam invidiam et execrationem, qua erga Wladislaum Ducem occupatorem iniustum milites Poloniae tenebantur, etiam in eam partem versi erant, quo se iam fortuna inclinaverat, collectis tam equestribus quam pedestribus copiis, ad

---

1) redditurus *Ed. Dobr.* 2) Lenda *Ed. Dobr.* 3) muneribus *Ed. Dobr.* 4) liberat. *Ed. Lips.* 5) hoc *Cod. Rozr.* 6) prima *Cod. Rozr.* 7) reguntur *Cod. Rozr.* 8) Sanctorum *deest in Cod. Aut.*

Cracoviensem urbem et arcem, in qua Wladislaus post fugam delitescebat, procedunt, Wladislaum inde propulsaturi et suas iniurias, damnaque, antequam ex clade apud Posnaniam accepta se reficeret, ultum iri [1]), rati eo Monarchiam Polonorum obtinente, novis bellis cum Ruthenorum assistentia se quandoque infestaturum [2]). Wladislaus autem Dux clade Posnaniensi perculsus et tam militibus, quam fortunis, armisque exutus, cum et omnes homines, omnia loca, temporaque, nec satis cuique fideret, omnium animis ab eo alienatis, suspecta haberet, de Cracovia in Ratibor, et exinde in Almaniam per Slesianam [3]) oram ad Cunradum Romanorum Regem, auxilia sua imploraturus, ne in iratorum et pro suo demerito [4]) sibi infestorum fratrum manus incideret, confugit, uxore et tribus filiis in arce Cracoviensi relictis. Cracovienses autem cives, dum Ducibus Boleslao, Myeczslao et Henrico urbem obsidentibus aliquantis diebus obstitissent, tandem dum nihil spei in Wladislao et filiis eius sibi viderent superesse, portas aperiunt, pacti [5]) ne quid hostile paterentur. Nec ita post multos dies arx cum uxore, filiisque Wladislai dedita est, in quam etsi magnitudo acceptae iniuriae, consultatioque et instantia nonnullorum, et praesertim amicorum Petri Comitis Skrzinensis id magnopere et deposceret et exigeret, neque animadversum quicquam, neque saevitum est, sed sine iniuria, sine contumelia habita est, et omnis illi honos ab exacerbatis, iustaque [6]) ira candentibus victoribus Ducibus et leviris servatus. Quia tamen liquebat, ea in Polonia manente, Poloniam satis pacificam esse non posse, verebanturque Principes, Petrum Comitem Skrzinensem aut propinquos et affines eius, suam quandoque caecitatis iniuriam in ea contumelia [7]) aut occisione ultum iri, ne futurae calamitatis aut mortis eventus sibi inferendus esset, ipsos quoque Duces in sugillationem adduceret, in Almaniam cum tribus filiis suis ex Wladislao susceptis, Boleslao Alto, Myeczslao [8]) et Cunrado Loripede, ad virum suum deducta est. Et quae alienos Principatus ardentius expetiit, iustissimo Dei iudicio etiam proprios amisit. Consortem suam Cristinam cum pignoribus ex Polonia propulsam ad se venire Wladislaus Poloniae Dux conspiciens, contritione geminata affligebatur, quod et Ducatus Poloniae amiserat, et in externas regiones cum uxore et filiis stipe aliena victurus, exulatum ire coactus fuerit. Tunc quoque primum in malis, quae illi acciderant, reatum suum in Deum et fratres recognoscens, de aspernata admonitione Gnesnensis archiepiscopi Iacobi corpore et animo torquebatur; tum quoque primum muliebris consilii, quod praeceps magis quam necessarium senserat, illum [9]) poenitere coepit.

---

[1]) ulturi *Cod. Rozr.* [2]) infestaturos. *Ed. Dobr.* [3]) Silesiae *Ed. Dobr.* [4]) merito *Cod. Rozr.* [5]) timentes *Ed. Dobr.* [6]) iniustaque *Cod. Aut.* [7]) contumeliis *Cod. Rozr.* [8]) Mieczslavo *Cod. Aut.* [9]) illum *deest in Cod. Aut.*

Pulso Wladislao Duce ex Polonia, pulsaque tandem Ducissa Cristina consorte sua, pulsis filiis, dum pax [1]) integra per omnes regiones Poloniae affulsisset, Boleslaus Crispus cognomine, inter fratres secundi matrimonii natu maior, et fratrum, praelatorumque et omnium baronum, militariumque consensu, maiorem Principatum et Monarchiam Polonorum obtinuit, et sorte sua, Ducatu videlicet Masoviae et Cuiaviae in [2]) eius ditione integre remanente, etiam Cracoviensis Principatus illi, ita ut fratrem minorem [3]) natu Kazimirum, cui a patre nulla sors relicta erat, curaret, adiectus est. Qui cupiditatis causas et occasiones, propter quas animadvertebat inter fratres a Wladislao procellam gravium caedium et bellorum exortam esse, succidens, fratres omnes magna colebat affectione et charitate, nec solum modestiam summam in eos exercuit, sed etiam liberalitatem, plerasque possessiones iuris sui eis largiens et condonans: qua quidem munificentia et modestia effecit, ut illi summa fide, summa devotione ab omnibus pareretur, et fratres absque querela et murmure eius obirent iussiones et imperia. Qui etiam Kazimiri germani iunioris curam et regimen suscepit: cuius iam tunc tam continentes, tam culti et ornati a singulis notabantur mores, ut vim aetatis superarent. Sub quo tempore a Polonis maxime vulgata practica [4]) notatum est: quam validissima res est iustitia, eo altius emergens, quo obscenius fuerit proculcata, temeratoresque suos atrociori mulcta percellit, graviorem poenam infligens in se delinquentibus et criminosis.

Lucius Papa secundus cum mensibus undecim, diebus quatuor, in Sede Petri sedisset, moritur Romae et in Lateranensi ecclesia sepelitur. Post cuius mortem Cardinales in ecclesia Sancti Caesarii de Urbe in conclavi inclusi [5]), dum super eligendo futuro Summo Pontifice in vota varia scissi essent, aliquantoque tempore concordia inter illos provenire non posset, in Bernardum abbatem Sancti Anastasii extra Urbem ordinis Cisterciensis, beati Bernhardi conversatione filium et virtutum suarum aemulatorem, virum reverendae senectutis et vitae sanctae, natione Pisanum, ex insperato dirigunt vota sua, et ipsum in Papam per inspirationem [6]) eligunt. Qui Eugenius tertius vocatus est in consecratione, quam dum non auderet Romae explere, in Farfense monasterium se transferens, illic eam accepit. Ad hunc [7]) beatus Bernhardus Librum de consideratione, vitia praelatorum, clericorum et Romanorum evidentissime carpens, scripsit. Iordani autem patricii et Romanorum suscitatam in se persecutionem vitaturus, in Galliam se transtulit, et a Lodovigo [8]) Franciae Rege gloriose susceptus, concilio Remis celebrato, praedi-

[1]) quies *Ed. Dobr.* [2]) et *Ed. Dobr.* [3]) minimum *Ed. Dobr.* [4]) experientia *Cod. Rozr.* [5]) conclusi *Cod. Rozr.* [6]) auspicationem *Ed. Dobr.* [7]) hunc etiam *Cod. Rozr.* [8]) Ludovico *Ed. Dobr.*

cari crucem in subsidium Terrae Sanctae multipliciter tunc a Saracenis afflictae mandavit: et multos Principes praedicatio ipsa ad assumendam crucem et ad transfretandum accendit [1]). Hunc Deus, quia simplex, purus et rectus erat, mirabilem [2]) ostendit, perfusum gratia in facundia et sermone. Sub eius Pontificatu, dum apud Viterbium ageret, ab ultimo pene Oriente ab Armenorum Ecclesia et illorum patriarcha venerunt solennes nuntii, grate ab Eugenio suscepti, omnem illi subiectionem et obedientiam offerentes, formamque sacrificii, pro qua cum Graecorum contendebant Ecclesia, a Romana Ecclesia velut omnium magistra sibi dari deposcunt. Quos Romanus Pontifex, suo sacrificio eos astare et cunctos ritus ad plenum addiscere iubens, plene edoctos remisit. Princeps autem legationis unus ex illis episcopus inter sacrificandum Summo Pontifice divina agente, splendido fulgore radium solis super caput eius coruscare et in ipso duas columbas ascendentes et descendentes vidit: quo miraculo in obedientiam Romanae Ecclesiae accensus, cunctis quae viderat, aperuit.

Magno Wratislaviensi episcopo succedit Iohannes secundus.

Moritur eo anno Magnus Wratislaviensis episcopus, cum paulo plus quam lustro uno cathedrae Wratislaviensi praesedisset, et Iohannes secundus, vocatus Ianik, de consensu et favore Boleslai Crispi Polonorum Ducis et Monarchae, concorditer a capitularibus [3]) electus, succedens, ordinatur a Iacobo primo Gnesnensi archiepiscopo: natione Polonus et genere nobilis de domo Griffonum, quem cum germano suo milite Clemente in patrimonio suo Brzesznicza monasterium Andrzeoviense fundasse et dotasse in superioribus monstravimus.

ANNUS DOMINI 1147.

Excipitur honeste a Rege Romanorum Wladislaus, et obtinet ab eo legatos mitti ad fratres, sortem dominii eius petituros: iis narrata sunt facinora Wladislai Ducis; quibus auditis, Rex Romanorum omne auxilium et favorem illi negat.

Venientem ad se Wladislaum Polonorum Ducem Cunradus Romanorum Rex [4]) primo benigne, comiterque excipiens, cum adventus causas intellexis-

---

[1]) ad transferendam induxit. *Cod. Rozr.* [2]) mirabiliter *Ed. Dobr.* [3]) capitulo *Cod. Rozr.* [4]) Imperator *Ed. Dobr.*

set, spe bona data, animumque bonum habere Wladislaum [1]) iussit. Postquam vero et Wladislai consors Ducissa Cristina cum tribus filiis a leviris de Polonia expulsa, suos et mariti, filiorumque casus et aerumnas longo sermone Cunrado Romanorum Regi enarrasset, ut sui et filiorum suorum misereri dignaretur et per ius sanguinis et per officium imperatorium, adiectis lachrimis precabatur; Wladislaus quoque [2]) Polonorum Dux et per se ipsum et per aulicos Regis sedulis precibus Cunradum Regem, ut suae calamitati praestaret solatia [3]) et se cum uxore et filiis in exilio consenescere non sineret, fatigabat. Ad Ducem insuper Bohemorum Wladislaum personaliter se conferens, Ducem vero Ruthenorum per nuntios sollicitans, ut se in Regnum suum restituant, variis conatibus instigabat. Rumoribusque continuis Boleslaus Crispus Polonorum Dux et fratres sui Myeczslaus Senex et Henricus primus terrebantur, tam Cunradum Romanorum Regem, quam Wladislaum Bohemiae Ducem cum potentiis validissimis ad restituendum fratrem eorum in Regnum contra se ab una, Ruthenum [4]) ab altera, partibus venturos. Aequo tamen animo vulgatos et iniectos excipiebant terrores, et futurae resistentiae atque dimicationi se parabant. Cunradus autem Romanorum Rex, etsi precibus Wladislai Polonorum Ducis et consortis suae Cristinae Ducissae motus, auxiliaturum se eorum causae et restituturum in Regnum pollicitus frequentius fuisset, rebus tamen Imperii et calamitatibus, quae Terrae Sanctae et Christianis in ea habitantibus inferebantur, pluribusque aliis publicis et privatis negotiis, ne, quam pollicitus fuerat, opem [5]) Wladislao praestaret, avertebatur. Expugnata siquidem ea tempestate fuerat civitas Edissa, quae in Sacra Scriptura Arach nominatur, per Regem Alaph de Turcorum genere, qui omnes Francos, quos illic invenit, aut morte aut servitute damnavit, archiepiscopum vero civitatis cum toto clero in confessione Christi constantissime se gerentem, felici cruore necavit [6]). Adhaec et super aram beati Iohannis Baptistae speciosissimae et nobiles matronae et virgines stupra pati coactae sunt, et civitas, quae ab Abgaro [7]) Rege (cui Christus ante suam passionem epistolam direxerat) orthodoxe instituta, tunc primum a gentibus profanatur. Ex hoc autem casu Christianitas in partibus Orientis plurimum debilitata, succurri sibi magnopere flagitabat. Ne autem Cunradus Romanorum Rex causam Wladislai Polonorum Ducis prorsus deseruisse et ex animo licentiasse [8]) putaretur, primum quidem gentes armorum [9]) illi concessit, quorum adiutorio castra duo Nyemcze et Greedis construens, pluribus excursionibus Poloniam lacessebat; deinde nuntiis et literis apud Boleslaum Crispum Polonorum Du-

---

[1]) Wladislao Polonorum Duci *Cod. Rozr.* [2]) autem *Ed. Dobr.* [3]) auxilia *Cod. Rozr.* [4]) et Ruthenos *Cod. Rozr.* [5]) fidem *Ed. Dobr.* [6]) coecavit. *Ed. Dobr.* [7]) Agaro *Cod. Aut.* Agabaro *Ed. Dobr.* [8]) remisisse *Cod. Rozr.* [9]) Almanorum *Ed. Dobr.*

cem et Monarcham, fratresque suos instituit, quatenus sors Wladislaum contingens sibi redderetur, sibi quoque adimeretur necessitas et affinem et oppressum adiuvandi. Huic legationi a Boleslao Crispo Polonorum Duce et fratribus modestum responsum edebatur [1]): Nihil se [2]) unquam in fratrem Wladislaum Ducem hostile molitos esse [3]); sed tyrannicum suorum [4]) Principatuum spolium ab eo passi, mox quoque etiam exterminium, dum omni humanitate nedum germanitate exutus, nullis precibus, nulla aequitate, nulla submissione placari [5]) posse videretur, passuri, ex obsidione, qua inclusi et pene extincti eramus, erumpentes, pro Principatibus et sortibus, pro spoliis, pro ipsa quoque vita cum fratre inexorabili, non aliud quam sanguinem nostrum sitiente, acie decertare compulsi, ipsum propitia Divinitate cum exigua manu vicimus, bellumque illatum et mucronem nostris cervicibus impendentem, Deo iuvante [6]), abegimus et [7]) repulimus. Scire se aeque atque magis [8]) quam Wladislaum Cunrado Romanorum Regi sanguine iunctos esse, suam quoque [9]) causam iustiorem fore, et ob id sui magis velut Romanorum Regis [10]) quam maxime interesse [11]), ne iniusto bello se miscendo contaminet et se affinibus [12]) et innocentibus bellum illaturum [13]) cogitet. Discernat, appendat [14]) et calculet Imperator, quantus hostis noster fuerit, quo insidiis [15]) nos petiverit, quot suis, quot auxiliaribus potentiis in capitis nostri periculum usus fuerit, quanto studio, quanto ardore necem nostram maturaverit. Habeat potius iratum [16]) Caesarem, quam propitium, qui crudeliter nos excarnificare contenderat, non [17]) insidiatoris modo, sed cum insidiae parum processissent, hostis publici, carnificis et percussoris speciem induens gessit [18]), preces quoque [19]) archiepiscopi Gnesnensis, quibus vitam nobis deposcebat relinqui, repudiavit. Talem eum fuisse Imperator sciat, ut nec quid ageret, nec quid sentiret, aut diceret, dummodo nos aut propelleret, aut deleret, quicquam pensi habebat. Et proinde induxisse se in animos [20]) (caesareanos nuntios certificant) [21]) cum hoste potius, quam fratre se placitaturos [22]). Expulit enim illum non livor noster sed suus, non nostra ambitio sed uxoria [23]), non nostris eiectus est armis, sed moribus suis, quibus nobis principandi po-

---

[1]) editum est *Cod. Rozr.* [2]) Nil nos *Cod. Rozr.* [3]) moliti sumus *Cod. Rozr.* [4]) nostrorum *Cod. Rozr.* [5]) flecti *Cod. Rozr.* [6]) propitia Divinitate vicimus *Cod. Aut.* [7]) et *deest in Cod. Aut.* [8]) Scimus vero nos aeque ac magis etiam *Cod. Rozr.* [9]) scimus quoque suam *Cod. Rozr.* [10]) et ob id Romanorum Regi *Cod. Rozr.* [11]) interest *Cod. Rozr.* [12]) et ne affinibus *Cod. Rozr.* [13]) inferat *Cod. Rozr.* [14]) perpendat *Cod. Rozr.* [15]) hostis noster Wladislaus fuerit, quoties insidiis *Cod. Rozr.* [16]) ipse iratum *Cod. Rozr.* [17]) quique non *Cod. Rozr.* [18]) contra nos gessit *Cod. Rozr.* [19]) qui etiam preces *Cod. Rozr.* [20]) induximus in animum *Cod. Rozr.* [21]) sic postremo Caesaris nuntiis respondent *Cod. Rozr.* [22]) hosti potius quam fratri conciliari velle. *Cod Rozr.* [23]) uxoris *Ed. Dobr.*

testate ablata, exilium inferre et mortem, regnandi cupidine omnem pietatem et archiepiscopalia monita, mulieri soli morigerari ardens, perosus maturabat. Hac responsione Cunradus Rex adeo fractus, mollitusque est, ut ardor, quem ad promovendam causam Wladislai Ducis Polonorum ex ingeminatione querelarum Wladislai et suae consortis hauserat, prorsus in eo defluxisse [1]) notaretur. Exulem insuper Wladislaum Poloniae Ducem carpens, iuste id illi exilium contigisse, iustam quoque fratrum suorum iram esse deducebat [2]). Qua correctione ipse amplius quam exilio tortus, omnem sui exilii culpam in consortem Cristinam tacitis et crebris suspiriis retorquebat. In Almania autem consistens, ex honorato contemptus, ex divite egenus, usu et processu temporis esse coepit. Unica spes in fratrum miseratione [3]) restabat, quam cum sibi videret negari, quotidie crescentis inopiae altiori gemitu vim perferebat, neque se a sua calamitate brevi liberatum iri sperabat.

Iturus Romanorum Rex ad recuperandam Terram Sanctam cum Duce Bohemiae iter facit per Poloniam: ubi per Boleslaum et fratres eius optime usque ad mare tractatus, non potuit Wladislao gratiam apud fratres obtinere.

In subsidium Terrae Sanctae Cunradus Romanorum Rex, qui iam a beato Bernhardo in Frankfordia supra [4]) Moenum [5]) cum multis Principibus et baronibus Germaniae [6]) ad passagium complendum cruce insignitus erat, transfretaturus, iter suum per Poloniam destinavit [7]), quod et compendiosior et expers periculorum esset via, simul quod sperabat inter Wladislaum Ducem Polonorum et Boleslaum, Myeczslaum et Henricum discordias sua interpositione sedaturum. Qui cum frequentissimo et Principum et baronum numero, equestris quoque et pedestris ordinis milite (nam et Bohemiae Dux Wladislaus cum fratre germano Henrico et Spitigneo [8]) patrueli se illi cum suis copiis coniunxerat) ad fines Poloniae accessisset, Boleslaus Polonorum Dux et Monarcha cum utroque fratre Myeczslao et Henrico illi ad terminos Regni Poloniae occurrit et per omnes regiones Poloniae Regno subiectas regio apparatu excepit, omnesque sumptus et commeatus, quibus exercitus regius indigebat, liberaliter, ut Regi Romanorum et se conveniens erat, subministravit et in honorem Caesaris pontes in fluminibus, transitusque difficiles munivit [9]). Qua quidem comitate adeo se Boleslaus Dux et fratres sui Myeczslaus et Henricus Cunrado Romanorum Regi et suis Principibus insinuaverat,

---

[1]) in eodem debilitari *Ed. Dobr.* [2]) dicebat. *Cod. Rozr.* [3]) misericordia *Cod. Rozr.* [4]) circa *Ed. Dobr.* [5]) Maym *Cod. Aut.* [6]) Almaniae *Ed. Dobr.* [7]) facere destinavit *Cod. Rozr.* [8]) Zbigneo *Ed. Dobr.* [9]) transitu difficilibus construxit. *Ed. Dobr.*

ut alienatione mentis, quam contra illum ad Wladislai Ducis Polonorum suggestionem conceperat, abrogata, miro illis affectu et familiaritate iungeretur. Egit tamen Romanorum Rex Wladislai Ducis Polonorum apud Boleslaum et fratres suos Myeczslaum et Henricum, causam, instare quoque, quo [1]) in Polonia moratus est, non desiit, ut Boleslaus Polonorum Dux et fratres sui praeteritarum iniuriarum obliti, cum Wladislao Duce in amicitiam redirent. Nec Caesar solum, sed et Wladislaus Bohemiae Dux, caeterique Almaniae Principes, ut cum fratre Duce Wladislao in gratiam redirent, Boleslaum et fratres eius crebris obsecrationibus perurgebant. Boleslaus contra haec etsi multis facinoribus, quibus a Wladislao Duce ipse et fratres sui petebantur [2]), enarratis, omnem reconciliationem maiores motus, perniciosioresque utrisque simultates, livores, bellorumque stridores suscitaturam respondisset, in Caesaris tamen potestate, postquam passagio prospere acto rediret, se et fratres suos futurum pollicebatur. Ita Caesar rebus Wladislai Ducis Poloniae magis tentatis quam sanatis, nolens tam munifico et amico hospiti molestus esse, ex Polonia per Russiam et Walachiam procedebat; inde quoque non per Poloniam solum, sed per Russiam et Walachiam, prosequente Boleslao Polonorum Duce et praeparante omnia, ad mare Leoninum perventum est: ubi et Caesar et Principes navibus ad id praeparatis, milite et armis impositis, versus Constantinopolim navigarunt, et apud Iconium se Lodovigo Francorum Regi et Principibus Galliarum et Hispaniarum coniungens, res Terrae Sanctae aliquanto tempore prospere gerens, Ascalonam coepit, licet multi de peregrinis, Alexio Constantinopolitano Imperatore et Graecis calcem farinae immiscente [3]), infirmati obierint. Sed nec Deus Alexii Imperatoris facinus tam horrendum tulit: nam et ipse pessima morte, et omne genus suum interiit. Ex baronibus insuper et militibus Poloniae aliqui voluntarii [4]) cruce assumpta praemium propositum merituri, secuti Imperatorem transfretarunt et in suo exercitu, donec rediret, militando versati sunt.

Martino Posnaniensi episcopo succedit Boguphalus.

Martinus Posnaniensis episcopus annis decem et novem pontificatu administrato obiit, et in ecclesia Posnaniensi in choro sepultus, Boguphalum [5]), genere Polonum nobilem de domo Rosze [6]), custodem Posnaniensem, per capitulares concorditer electum et a Iacobo Gnesnensi archiepiscopo, Myeczslao

---

[1]) instareque quamdiu *Cod. Rozr.* [2]) eius afficebantur *Ed. Dobr.* [3]) immiscentibus *Cod. Rozr.* [4]) voluntarie *Cod. Rozr.* [5]) Boguchwalum *Cod. Rozr.* [6]) Rosae *Cod. Rozr.* Kossy *Ed. Dobr.*

Duce Posnaniensi consentiente [1]), apud Zneinam confirmatum et consecratum [2]) habuit successorem.

Post discessum Wladislai Ducis Bohemiae in Terram Sanctam Sobieslaus filius Sobieslai Ducis Bohemiae, sed de patria exiliatus [3]), ex Almania rediit, Ducatum Bohemiae Duce Wladislao absente (foventibus [4]) et adiuvantibus nonnullis Bohemorum baronibus spem suam) [5]) invasurus. Verum dum plerosque barones Bohemiae dulcibus sermonibus et promissis ad votum suum inclinare contendit, a Theobaldo Duce Bohemiae Wladislai germano, cui Bohemiam regendam Wladislaus commiserat, capitur et custodiae carcerali deputatur in Przemunda [6]), bellumque intestinum in Bohemia accedendum captivitate praefati Sobieslai oppressum est.

Duodecima Iulii moritur Wszewoldus Dux Kyoviensis, et Dux Ihor [7]) filius Wszewoldi occupat sedem Kyoviensem. Quod cum Kyoviensibus molestum fuisset, Dux Iszaslaw Pereaslaviensis ab eis accersitus, venit in Kyow. Contra quem etsi Dux Ihor cum fratre suo Swanthoslao egressus fuisset, dimicatione tamen non tentata fugit uterque, et Iszaslaus in castrum Kyoviense introiit cum favore et gloria. Post quatuor autem dies Ihor adducitur ad Iszaslaum captivus, quem in monasterio Sancti Iohannis in Pereaslaw, adhibitis custodibus, tenuit in carcere: cuius cruciatus evasurus, petivit, ut liceret ei in sacerdotem tondi, et permittente Iszaslao, tonsus est. Nec post multos dies conspirantibus fratribus Ihor Ducibus de Czirnyeow [8]), seditione Kyoviensium exorta, quam Wlodimirus frater Iszaslai sedaturus, parum abfuit, quin et ipse violaretur, de ecclesia, in qua Ihor orabat, eductus interficitur.

Suggestione hostis generis humani Duces Russiae, videlicet Georgius, Rosczislaus, Oleh et Swanthoslaus, stimulis invidiae agitati contra Iszaslaum Kyoviensem Ducem insurgunt, de sede Kyoviensi illum exclusuri: qui collectis copiis vadit contra eos. Et quamvis metropolitanus Kyoviensis recipere pacem multifarie persuasisset, Iszaslaus tamen in multitudine sui exercitus confisus [9]), fideli consultatione reiecta [10]), congreditur, et multis hic inde cadentibus, ad extremum succumbit. Pluribus quoque de suis aut desideratis [11]) aut captis, ipse fugiens venit in Kyow, obsidionemque a victoribus veritus, recepta uxore et filiis, in Luczsko divertit. Georgius vero Dux, caeteris illum Ducibus adiuvantibus, primum Pereaslaw ingressus, posthaec in Kyow pervenit et in sede paterna et avita consedit. Iszaslaus autem Dux et sedem Kyowiensem recuperaturus et cladem acceptam correcturus, coepit in Polonos et

---

[1]) consentiente *deest in Cod. Aut.* [2]) in episcopum consecratum *Cod. Roer.* [3]) sede patria pulsus *Cod. Roer.* [4]) faventibus *Ed. Dobr.* [5]) spe sua *Ed. Dobr.* [6]) Przemenda *Ed. Dobr.* [7]) Ior *Ed. Dobr.* [8]) Czernieiow *Ed. Dobr.* [9]) confidens *Cod. Roer.* [10]) consilio reiecto *Cod. Roer.* [11]) occisis *Cod. Roer.*

Hungaros donativum erogare: veneruntque illi in suffragium [1]) in hieme anni eiusdem duo germani, videlicet Boleslaus Cracoviensis et Masoviae et Henricus Sandomiriensis Duces cum gentibus et militibus suis; veniunt et Hungari, integraque hieme apud illum [2]) immorati, ad decernendum cum hostibus adversariis suis aestuabant, positis circa Czemyerin [3]) stativis. Verum videntes eum cunctanter omnia agere et virum pavidum esse, tam Duces Polonorum Boleslaus et Henricus, quam Hungarorum copiae faciunt ab eo discessionem: quo Duces Russiae comperto, veniunt contra illum, videlicet Georgius Dux Kyoviensis cum duobus filiis Rosczislao et Andrea, item Wyeczeslaus [4]) frater Georgii, pluresque alii Duces auxiliares [5]), et obsident Iszaslaum in Luczsko, non sinentes aliquid ad obsessos importari. Cum autem Iszaslaus diutius obsidionem tolerasset, auferunt illi Duces usum aquae. Qua necessitate, difficultateque Iszaslaus cum suis perculsus, pacem, quam alias spreverat, per Wlodimirkonem Ducem coepit petere: cuius petitioni Rosczislaus filius Georgii Kyoviensis et Georgius filius Iaroslai Duces adversabantur. Andrea vero filio Georgii Kyoviensis Ducis [6]) pacem dari petitam persuadente [7]), Georgius Kyoviensis Dux cum caeteris Ducibus Russiae in eius sententiam vadens, pacem cum Iszaslao conficit et eam firmat iureiurando, solvensque obsidionem in Kyow revertitur [8]).

In concilio seu Synodo generali Remensi pro medio Quadragesimae per Eugenium tertium celebrata, iunior Henricus, qui patri successerat, missis nuntiis cum bulla aurea, et sublimationem suam ad Romanum Imperium Papae significat, et querelam contra tres Duces Poloniae, videlicet Boleslaum, Myeczslaum et Henricum deponit, quod quartum fratrem suum germanum Wladislaum in Regno dividendo in sorte sua et portione sua excluserant. Querebatur et contra Iacobum archiepiscopum Gnesnensem metropolitanum Poloniae, et alios episcopos Poloniae suffraganeos suos [9]), videlicet Mathaeum Cracoviensem, Magnum Wratislaviensem, Swidgerum Crusviciensem, Bernhardum Lubuczensem, Boguphalum [10]) Posnaniensem, Alexandrum Ploczensem, quod contra iusiurandum patri suo Duci Boleslao praestitum, in exclusionem praefati Ducis Wladislai consensissent.

---

[1]) auxilium *Cod. Rozr.* [2]) eum *Cod. Rozr.* [3]) Cziemierni *Cod. Rozr.* Czernieiow *Ed. Dobr.* [4]) Venceslaus *Ed. Dobr.* [5]) et auxiliatores *Ed. Dobr.* [6]) Ducis *deest in Cod. Aut.* [7]) suadente *Cod. Rozr.* [8]) *Rem hanc de expulsione Izaslai Kyoviensis Ducis in Codd. Aut. Calv. Ciesz. ad annum 1147 annotatam, Codd. Rozr. Lis. Lig. itemque Ed. Dobr. Lips. rectius ad annum 1149 ponunt: nam et vetustissimi Annales Ruthenorum factum hoc anno 1149 evenisse narrant.* [9]) illius *Cod. Rozr.* [10]) Boguchwalum *Cod. Rozr.*

ANNUS DOMINI 1148.

Rediens Romanorum Rex ex Terra Sancta, per oratores suos iterum pro Wladislao exule fratres rogat, qui ambiguum responsum ab eis retulerunt.

Vix annum cum dimidio in Terra Sancta Cunradus Romanorum et Lodvigus [1]) Franciae Reges et Principes, qui secum una illuc laturi Christianis auxilium conscenderant [2]), immorati, dum (ut praemisimus) magna multitudo militum ex pane calce et farina, malitia Graecorum et Turcorum cocto infecta deperiisset, in Regna et Principatus suos irritatis [3]) magis quam confirmatis rebus Terrae Sanctae, reversi sunt. Cunradum itaque Romanorum Regem ex passagio praedicto reversum Wladislaus Polonorum Dux exilium in Almania agens, accedit et ut rebus suis, filiorumque suorum consulat, flagitare coepit. Cunradus vero, quia in sua ad Terram Sanctam profectione a Boleslao Polonorum Duce [4]) speificatus erat [5]), singula pro arbitrio suo Boleslaum Polonorum Ducem in ea re obedienter facturum, Wladislaum Ducem et ipse quibus potest verbis, eam spem sequi confirmat. Mittuntur itaque a Cunrado Romanorum Rege ad Boleslaum Polonorum Ducem nuntii, qui Boleslao apud Cracoviam offenso mandata caesarea edicunt, precanturque, ut pollicitationi suae praestita virtute [6]) Wladislaum Polonorum Ducem in sortem suam et Cracoviensem ac Slesiaticum [7]) Principatum restituat, commiserationemque fratri tanto tempore cum uxore et filiis exulanti impendat, satis eum poenarum [8]) pro temeritate et piaculo suo exsolvisse. Boleslaus autem Polonorum Dux, legatis caesareis magnifico sumptu, magnificis quoque donariis tractatis, ambiguum edit [9]) responsum: Restitutionem Wladislai Ducis in Poloniae Regnum sibi quidem et fratribus suis Myeczslao et Henrico aiens non adversam esse, pro honoreque et benevolentia Caesaris, desiderio et voluntati suae se et fratres suos morem gesturos. Sed non vereri se solum, sed etiam probe prospexisse et nosse [10]), reditum Wladislai Ducis statum Regni Poloniae hactenus pacificum turbaturum, cladibusque [11]) et sanguine civili foedaturum. Proinde in re taliter qualificata sic utrisque, cum pari sanguine utrique sibi [12]) iungantur, Caesarem prospicere aequum cense-

---

[1]) Ludovicus *Ed. Dobr.* [2]) condescenderant *Cod. Rozr.* [3]) variatis *Ed. Dobr.* [4]) ex Boleslai Polonorum Ducis verbis *Cod. Rozr.* [5]) spem conceperat *Cod. Rozr.* spe certificatus erat *Ed. Dobr.* [6]) fide *Cod. Rozr.* [7]) Cracoviensem videlicet et Silesticum *Ed. Dobr.* [8]) poenae *Ed. Dobr.* [9]) dat *Cod. Rozr.* [10]) Verum probe sibi perspectum ac notum esse *Cod. Rozr.* [11]) caedibusque *Ed. Lips.* [12]) sanguine omnes fratres Caesari *Cod. Rozr.*

bat, ne dum suae instantiae et decreto paritum sit, bellicus furor inter fratres altius serpens mutua collisione Regnum Poloniae horrenda pernicie, ipsi etiam Caesari miserabili [1]) involvat.

Iacobo archiepiscopo Gnesnensi succedit Iohannes episcopus Wratislaviensis, et huic Walterus.

Absumptus est eo anno Iacobus Gnesnensis archiepiscopus, vir optimus et grandaevus, qui in ecclesiae Gnesnensis regimine multas de se probitates et virtutes annis octo et viginti vivens monstraverat, in ecclesia Gnesnensi pontificali honore tumulatus. Successit autem ei Iohannes alias Ianik sive Ianislaus Wratislaviensis episcopus, de ecclesia Wratislaviensi, ordinante Boleslao Crispo Polonorum Duce, a Papa Eugenio tertio translatus; Wratislaviensi vero ecclesiae ex translatione huiusmodi vacanti, Walterus Polonus genere, praefectus est, scholosticus Cracoviensis et canonicus Wratislaviensis, a Gnesnensi archiepiscopo Iohanne iuxta electionem canonicam confirmatus et consecratus, nobilis de domo Zadora, qui ecclesiam Wratislaviensem ad id tempus ligneam muro fabricavit et ecclesiae Lugdunensis ex Galliis habitum et cultum in eam introduxit.

ANNUS DOMINI 1149.

Cunradus Rex Romanorum cum Duce Bohemiae, exercitu magno congregato, vadunt in Poloniam, Wladislaum exulem secum ducentes; quibus sub fide Boleslaus obviam factus, astu et ingenio persuasit ad propria redire.

Ambiguum Boleslai Polonorum Ducis et fratrum suorum Myeczslai et Henrici responsum Cunradus Romanorum Rex ad nauseam et fastidium accepit, et ignibus iracundiae contra Boleslaum Polonorum Ducem et fratres eius, haustis etiam per Wladislaum Bohemiae Ducem, qui partes Wladislai Polonorum Ducis in Boleslai Ducis et Polonorum odium promovebat, pluribus ad id accendebatur irritamentis. Ipse insuper Wladislaus Polonorum Dux in conspectu Cunradi Regis assidue versatus, ut in patriam restitueretur, non tantum quotidianis precibus et querelis, sed ipso solo aspectu commiserationem et pollicitum suffragium exigebat [2]). Cunradus itaque Romanorum Rex non amplius differendum ratus, expeditionem contra Poloniam indicit, ex re-

[1]) et ipsum Caesarem miserabiliter *Ed. Dobr.* [2]) exigebatur. *Ed. Dobr.*

gionibusque Almaniae Imperio subiectis, tam pedestribus quam equestribus copiis collectis, Poloniam invasurus et Wladislaum Ducem exulem et secum praesentem restituturus, procedit. Sed et Wladislaus Bohemiae Dux, Polonorum hostis quam Almanus [1]) infestior, cum omni suorum exercituum ex Bohemis et Moravis collecto robore personaliter adveniens, caesareum exercitum suapte [2]) magnum, frequentiorem effecerat. Crescebat Wladislao Polonorum Duci exuli certa in dies spes, et quanto propinquius Caesar et exercitus suus gradum et stativa promovebat, tanto ampliori fiducia replebatur. Iam ad metas Poloniae perventum erat, Odra quoque fluvius tunc solito undis intemperantior [3]), et quidam motus ex Almania nuntiati, Cunradum Regem et suum exercitum, an [4]) traiiceret, distinebant. Boleslaus interim Polonorum Dux, fratribus suis Myeczslao et Henrico enixius adiuvantibus, etsi gentes, quas hostibus opponeret, ex Polonis tantummodo contraxisset, non tamen rem fortunae committere et in casum universae dimicationis venire, terrente illum confertissimo hostium numero ex variis nationibus et regionibus collecto, audebat: sed patrium [5]) morem secuturus, milites locaverat, qui in impeditis et iniquis locis caesareum exercitum lacesserent et occasionem bene gerendae rei non omitterent, plus se eo genere pugnae, quam dimicatione aperta ratus perfecturum [6]). Verum antequam res ad ferrum et arma veniret, ingeniis, verbisque magis quam acie dimicaturus et superimminentem bellicam molem, cui se nequaquam videbat parem, dissoluturus, in caesarea castra, petita et praestita securitate, pervenit, in frequentique concilio a Caesare dato, fraternis facinoribus, Ducis videlicet Wladislai, expositis, adeo de iustitia sua atque aequitate disseruit, ut Caesar et Principes responsione Wladislai Ducis ad liquidum satisfaciente [7]) a furore concepto lentescerent et de pace magis, quam de bello agendum, componendasque fraternas discordias putarent. Sed et ius hospitii, quod Cunrado Regi cum Boleslao Polonorum Duce erat, in caesareum, ne quid illi hostile moliretur, subibat pectus. Verbis extemplo Boleslaus Polonorum Dux res adiecit, et primum Cunradum Regem, deinde primores Principum et baronum, eos praesertim, quorum consiliis et monitis didicerat Regem agi, sumptuosa largitione et donatione pervicit, permulsitque [8]), ut discessionem, reversionemque frequentes decernerent, nec in eo bello, quod non inter domesticos solum, sed etiam germanos gerendum erat, (Boleslao Polonorum Duce et fratribus eius, quicquid Caesar aequum censebit, acceptare [9]) offerentibus) immorandum. Et licet Wladislaus Dux Polonorum adiutorio etiam Wladislai Bohemiae Ducis fretus, id decre-

---

[1]) Almanorum *Ed. Dobr.* [2]) ex se *Cod. Rozr.* [3]) plus undis inflatus *Ed. Dobr.* [4]) ne *Cod. Rozr.* [5]) paternum *Ed. Dobr.* [6]) profecturum. *Cod. Rozr.* [7]) Ducis satis facile *Cod. Rozr.* [8]) effecitque *Cod. Rozr.* [9]) censeret, acceptare se *Cod. Rozr.*

tum quam maxime improbare et avertere conatus fuisset, Principibus tamen et militibus Almaniae ad penates [1]) et coniuges redire anhelantibus, nullo pacto poterat infirmari. Motisque altera die castris, Cunradus Rex cum suo exercitu et Wladislao Polonorum Duce in spe sua ludificato, in Almaniam rediit, et [2]) Boleslaus Polonorum Dux bellum ingens sine dimicatione et sine armis, solo astu et prudentia conficiens, magnus et gratus in suis et exteris [3]) coepit haberi.

ANNUS DOMINI 1150.

Cunradus ob adversam valitudinem saepius flagitatum subsidium Wladislao ferre non valens, certos illi reditus largitur.

Maximo et periculoso bello, in quod universam Almaniam et Bohemiam constabat arma sumpsisse, a Poloniae Regno ingenio et prudentia Boleslai Polonorum Ducis depulso, tranquillae apud Polonos res erant, Principes quoque Poloniae aut iura reddebant populis, aut venationes tractabant. Non quievit tamen Wladislai Poloniae Ducis instantia, quin Cunradum Romanorum Regem in novam expeditionem Poloniae inferendam accenderet; consecutusque fuisset Wladislaus Polonorum Dux suarum molitionum effectum, nisi interim Cunradum Regem valitudo adversa oppressisset, cuius diutinus [4]) languor Wladislaum Ducem instantiam suam remittere coegit. Nonnullas tamen possessiones et reditus Wladislao Duci Caesar largitus est, quo et aequanimius restitutionem suam, bellumque contra Poloniam instaurandum ferret, et honestati atque conditioni suae congruum statum ageret. Sed et filium praefati Wladislai Ducis minorennem [5]) Cunradum nomine, propterea, quod in tibia deformis esset et ob id Loripedis cognomen sortitus, abbati Fuldensi asservandum et tam literis quam moribus imbuendum, ut successu temporis religionis eum amor caperet, commisit: uterque enim parens eius ipsum ob deformitatem tibiarum monasterio magis quam saeculo destinabat.

Boguphalo episcopo Posnaniensi succedit Pianus.

Boguphalus Posnaniensis episcopus cum annis duobus sedisset, senio, incertum est, confectus an morbo, fato absumptus et in Posnaniensi ecclesia

---

[1]) penates suos *Ed. Dobr.* [2]) sic *Cod. Rozr.* [3]) inter suos et exteros *Ed. Dobr.* [4]) diuturnus *Ed. Dobr.* [5]) minorem natu *Ed. Dobr.*

sepultus est. Capitularibus discordantibus, Pianus Italus nobilis genere, ab Eugenio Papa tertio provisus [1]) succedit.

ANNUS DOMINI 1151.

Boleslaus et Myeczslaus Polonorum Duces duas Russiae Ducis filias sibi accipiunt in uxores.

Boleslaus Polonorum Dux et Monarcha cognomine Crispus, Poloniae Regnum undique pacatum et solium suae Monarchiae Divinitate propitia animadvertens prosperatum, volens illi ampliorem pacis procurare [2]) amoenitatem et stabilimentum, cum Wszewoldimiro Russiae tunc Principe Halicziensi affinitatem iungit et filiam suam Anastasiam nomine accipit in uxorem. Quae cum ampla dote a patre et Principibus Russiae Cracoviam deducta, Boleslao praefato copulata est, et nuptiarum solennitas pluribus diebus Cracoviae habita, praelatis et baronibus Poloniae sua praesentia, militibus vero hastarum lusu [3]), caeterisque militaribus actibus eam cohonestantibus. Exemplum cuius [4]) Myeczslaus alias Myesko Maioris Poloniae Dux secutus, alteram Wszewoldimiri Russiae Ducis filiam, Eudoxiam nomine, accipit in uxorem, nuptiasque ex more apud Posnaniam celebrat; quae brevi tempore supervivens, masculini sexus prole infoecunda obiit.

Piano episcopo Posnaniensi succedit Stephanus.

Pianus Posnaniensis episcopus, cum anno uno, mensibus sex sedisset, fato absumitur et in Posnaniensi ecclesia sepelitur. Cui Stephanus, genere Polonus nobilis de domo Agricolarum, quae in campo rubro rosam albam cum [5]) duobus [6]) vomeribus defert pro insigni, electus a capitularibus, et a Ianislao archiepiscopo Gnesnensi confirmatus et consecratus, succedit de Myeczslai Principis Maioris Poloniae [7]) consensu.

Mortuum hoc anno ferunt Iohannem de Temporibus natione Gallicum [8]), qui cum armiger Caroli Magni extitisset, communem tamen et usitatum aetatis et vivendi modum excedens, tricentis septuaginta et duobus annis pro comperto habitus est vixisse, ut priscorum aetate perfunctus, magnum mira-

---

[1]) datus *Cod. Rozr.* [2]) facere *Cod. Rozr.* [3]) ludo *Cod. Rozr.* [4]) Exemplum vero fratris sui *Cod. Rozr.* [5]) cum *deest in Cod. Aul.* [6]) tribus *Cod. Rozr.* [7]) de Mięcyslai Ducis *Ed. Dobr.* [8]) Gallum *Ed. Dobr.*

culi specimen praesenti et futurae aetati de tam protenso vitae suae spatio reliquerit.

ANNUS DOMINI 1152.

Wladislaus collectis militibus fines Poloniae ingreditur et duo castra intercipit, quae mox Boleslaus Princeps et Monarcha recuperat.

Ex diutino languore Cunrado Romanorum Rege ad meliorem valitudinem paulisper redeunte, Wladislaus Polonorum Dux in Almania cum uxore et filiis exilium agens, novis precibus Caesarem, ut sui et filiorum misertus, illum amplius exulem non patiatur fore, fagitat. At Cunradus Rex, etsi subveniendum Wladislao decrevisset, subventionemque ipsam [1]) crebro polliceretur, Imperii tamen rebus dietim ad se confluentibus impeditus [2]), sperare magis Wladislao Polonorum Duci suffragium [3]) caesareum, quam habere licuit [4]). Moram itaque tam longam atque continuatam Wladislaus non ferens, militiam [5]) sibi saltem a Cunrado Rege dari expetiit: quam [6]) cum liberalitate Caesaris impetrasset, Poloniam advenit [7]) et duo castra superiori tempore a se constructa, videlicet Greedis [8]) et Nyempcze [9]) ex trabibus, roboribusque fortificat, fossisque et vallis munivit, et militum praesidio utrique imposito, Wratislaviensem civitatem, quae vicinior extabat, caeterasque Polonici Regni oras affligere et infestare coepit. Non tulit eam Boleslaus Polonorum Monarcha iniuriam, sed cum utroque germano, Myeczslao videlicet et Henrico, et exercitibus dominiorum suorum consurgens, utrumque castrum obsidione vallavit, populationemque Regni sui prohibuit. Wladislaus Dux superimminentem obsidionem non ferens, sed strenuis militibus in castris relictis, ad Cunradum pro solatio [10]) militum, quo obsidio [11]) solvi posset, rediit. Et quamvis milites Wladislai animose castra fidei suae credita tutati fuissent, longa tandem mora obsidionis fracti, dum et ex Almania ferendum subsidium spes eorum refellisset et fames primum, morbi deinde in corpora succrescerent, castra Boleslao [12]) Duci et Monarchae, pacti ne quid hostile paterentur, tradunt.

Rediit ex Francia in Urbem Eugenius Papa tertius, et tam a clero, quam populo, cum tanto humilitatis fervore susceptus est, ut universa concio in laudem suam vociferatione alta depromeret: Benedictus qui venit in no-

---

[1]) auxiliumque ipsi *Cod. Rozr.* [2]) adeo impediebatur, ut *Cod. Rozr.* [3]) auxilium *Cod. Rozr.* [4]) licuerit. *Cod. Rozr.* [5]) milites *Cod. Rozr.* [6]) quos *Cod. Rozr.* [7]) in Poloniam venit *Cod. Rozr.* [8]) Gredisz *Ed. Dobr.* [9]) Niemcze *Cod. Rozr.* [10]) auxilio *Cod. Rozr.* [11]) obsidione *Ed. Dobr.* [12]) Boleslao Crispo *Ed. Dobr.*

mine Domini; Romanis omnibus pollicentibus, nunquam se de caetero illum, sed nec successores eius [1]) in iuribus ecclesiae Romanae vexaturos.

Secundo Calendas Iunii Geysza Hungariae Rex, filius Belae caeci, moritur, cum annis viginti regnasset, quatuor filios Stephanum, Belam, Arpad [2]) et Geyszam relinquens, cui filius eius maior natu Stephanus in Regnum successit [3]).

ANNUS DOMINI 1153.

Myeczslaus Dux Poloniae filiam Belae Hungariae Regis ducit in uxorem.

Maioris Poloniae Dux Myeczslaus propter prudentiam singulari indole in eo ab aetate tenera relucentem Senex appellatus, qui in Maioris Poloniae et Pomeraniae regionibus (quemadmodum in superioribus praemisimus) principabatur, Iohannis Gnesnensis archiepiscopi, caeterorumque praelatorum et baronum dominiorum suorum actus persuasione et consilio, filiam Belae caeci Hungariae Regis Gertrudim nomine, virginem et moribus et forma inclytam [4]) accepit in consortem, quae ex Hungaria in Poloniam traducta, splendidam et magnificam dotem in vasis aureis et argenteis, caeteraque supellectili invexit; nuptiarum quoque solennitas in Posnaniensi civitate pluribus diebus, sub frequentia plurimorum hospitum habita. Ea enim [5]) affinitas ideo expetita et accepta est, ut priorum veterumque discordiarum et bellorum inter Belam Hungariae Regem et Boleslaum Polonorum Ducem Krzywousty vocatum, patrem Myeczslai, initarum obliteraretur memoria, et inter finitima sibi Hungariae et Poloniae Regna quies et animorum identitas atque tranquillitas proveniret.

Undecimo Calendas Martii Cunradus Romanorum Rex Ducum Poloniae Boleslai, Myeczslai, Henrici et Kazimiri avunculus, apud Haynberk [6]), postquam de transmarinis partibus redierat, continua infirmitate decumbens, vita decedit, Regni sui anno quinto decimo, sepultusque est in eadem Haynberk civitate. Hic licet imperialem benedictionem, assiduo languore eum prementе, sortitus non fuerit, nihil tamen illi, praeter solum titulum, ad imperialem deerat splendorem, cum et virtute militari fuerit strenuus, et in singulis actionibus providus et animosus. Ne autem diutina esset Imperii vacatio, electores Imperii apud Frankfordiam in Quadragesimae medio Fridericum

---

[1]) suorum *Cod. Aut.* [2]) Arphat *Cod. Rozr.* [3]) *Mentio de obitu Geysae II. Regis Hungariae in Cod. Aut. atque reliquis Codd. et Edit. per errorem hicce facta, repetitur denuo ab auctore rectius ad annum 1161.* [4]) egregiam *Ed. Dobr.* [5]) vero *Cod. Rozr.* [6]) Haimberck *Cod. Rozr.* Naimberk *Ed. Dobr.* (Bamberg *fortasse).*

primum filium Friderici Ducis Sueviae et Cunradi Romanorum Regis defuncti nepotem germanum, in castro nobilissimo, quod Stuffa vocatur et altitudine sua aethera tangere videtur, natum, summo omnium favore et consensu (magnam enim de se atque raram transmarinis partibus sub Cunrado Romanorum Rege et patruo suo militans, probitatem, comitatemque monstraverat) in Romanorum Regem assumunt, qui ab Arnoldo [1]) Coloniensi archiepiscopo Aquisgrani in Dominica Laetare coronatur [2]). Hic successu temporis Fridericus Barbarossa cognomen, cum adusti crinis et cholerae [3]) esset, sortitus, octuagesimus sextus ab Augusto, strenuus, nobilis atque facundus [4]).

ANNUS DOMINI 1154.

Henricus Dux Sandomiriensis cum exercitu ad subsidium Terrae Sanctae ferendum profectus, annum illic exegit, tandem rediit.

Tribus Polonorum Ducibus et Boleslai Krzywousty filiis, Wladislao videlicet, Boleslao et Myeczslao, et terrenarum actionum occupatione deditis et matrimoniali iugo alligatis, Henricus germanus illorum in geniturae ordine quartus, cui Sandomiriensis et Lublinensis provinciarium Principatus obtigerat, a suorum dominiorum baronibus et consiliariis ad nuptiarum foedus subeundum non poterat impelli: sublimioris etenim [5]) animi illum ceperat cura, magnusque animus terrenis et infimis contemptis, magna quotidie, quibus et virtus enitescere et propitiari Divinitas [6]) posset, meditabatur. Id tamen in desiderio suo praecipue versatum est, ut in Terrae Sanctae subsidium, cuius pro ea tempestate a Regibus et Principibus catholicis recuperatio agebatur, cum militia qua posset ampliori se conferret, praesidium publicis catholicorum [6]) rebus laturus. Quod cum superiori tempore et per aetatem et propter bellorum patriam infestantium repressionem mandare executioni non posset, quietis tempus, quo Poloniae Regnum in pacis amoenitate siluerat, nactus, voluntariorum militum facto delectu, in Terram Sanctam cum pulcherrimo militum apparatu, terris suis Sandomiriensi et Lublinensi in conditionem et gubernationem Boleslai Polonorum Ducis et Monarchae commendatis, transfretavit. In ipse autem profectionis suae articulo ecclesiam parochialem in Zagoscz villagio suo [7]) ad fluenta Nidae sito [8]), in honorem Sancti Iohannis Baptistae fundat, et ampla illi dote collata, eam fratribus Cruciferis Hospi-

---

[1]) Arnolpho *Cod. Rozr.* [2]) in Regem diademate coronatur. *Cod. Rozr.* [3]) ex cholera *Ed. Dobr.* [4]) et fecundus. *Ed. Dobr.* [5]) enim *Ed. Dobr.* [6]) Deus placari *Cod. Rozr.* [7]) Christianorum *Ed. Dobr.* [8]) Iagoscz villa sua *Cod. Rozr.* [9]) sita *Cod. Rozr.*

talariis, qui et Templarii vocitabantur [1]), quorum religio propter defensionem Terrae Sanctae magna colebatur devotione, cum ad illius defensionem primario respectu fuerit instituta, commendat in regimen. Postquam vero Terram Sanctam incolumis attigit, Sancto Sepulchro adorato, militiae Balduini Hierosolymorum Regis se coniungit, fortissimique militis in certaminibus cum Saracenis habitis opera exercens, martyrii palmam se suspirabat [2]) adepturum. Verum cum haec illi sors tunc obtingere non posset, anno integro illic exacto, aliquibus militibus suis, partim in conflictibus huiusmodi occisis, partim intemperie aëris absumptis, in patriam sospes rediit, et tam a germanis suis Boleslao et Myeczslao, quam universis Poloniae optimatibus, maximo [3]) honore et animorum gratulatione exceptus est; cuius relatione qualitas, conditio, statusque Terrae Sanctae, et quam acerrima, quamque fortissima cum barbaris pro illius defensione agantur praelia, coepit [4]) vulgari et diffundi.

Andrzeoviense monasterium reditibus augetur. Nomina villarum, quibus monasterium Andrzeoviense dotatum est.

Cum Andrzeoviense coenobium Cisterciensis ordinis in fundo nobilium Griffonum Brzesznicza vocato, Cracoviensis diocesis, tenuibus reditibus provisum esset, nec numerus fratrum in eo Deo militantium subsistere illic posset, Iohannes Gnesnensis archiepiscopus, qui illius primarius extitit, dum adhuc minor illum haberet status, fundator certas illi mensae archiepiscopalis decimas largitus est. Cui quidem loco, antequam conventualis esset, Maurus primum, deinde Radosth, Cracovienses episcopi etiam aliquas decimas mensae episcopalis Cracoviensis donaverant. Exinde autem locus ipse amplificatus et tunc [5]) quidem coepit subsistere, et hactenus propitia Divinitate subsistit. Contulit autem monasterio praefato Iohannes Gnesnensis archiepiscopus praefatus patrimonii sui villas: Brzesznicza, Rakoschino [6]), Potok, Lysszakowo [7]), Lanczino, Rachowo [8]), Tharszawa [9]), Chorzewa [10]), contulit et decimas manipulares mensae suae archiepiscopalis Gnesnensis in eisdem villis consistentes. Maurus item episcopus Cracoviensis monasterium praefatum consecrando, donavit eidem decimas manipulares in villis Marowicze [11]), Przewyezlanye [12]), Konari, Michowo [13]), Weglowo [14]); Radosth vero alius episcopus Cracoviensis, in villis Borowa, Przekopa, Lunyowo [15]): hasque omnes uterque episcopus

[1]) vocabantur *Cod. Rozr.* [2]) sperabat *Cod. Rozr.* [3]) in maximo *Cod. Rozr.* [4]) coeperunt *Ed. Dobr.* [5]) extunc *Cod. Rozr.* [6]) Raleszino *Ed. Dobr.* [7]) Lissakowo *Cod. Rozr.* [8]) Rachowa *Cod. Rozr.* [9]) Tarszowa *Ed. Dobr.* [10]) Thurzewa *Cod. Rozr.* [11]) Morawicze *Cod. Rozr.* [12]) Przeuiczlauicze *Cod. Rozr.* Przewicławice *Ed. Dobr.* [13]) Miechowo *Ed. Dobr.* [14]) Wąchowo sive Wąglcowo *Cod. Rozr.* [15]) Liuniewo *Ed. Dobr.*

Cracoviensis decimas monasterio praefato inscripsit. Item praefatus Iohannes Gnesnensis archiepiscopus dedit eidem coenobio Andrzeoviensi decimam manipularem in Holuszy, mensae suae archiepiscopalis; item dedit decimam quinquaginta aratrorum, quam postea specifice consignavit in villis Zlothniky [1]), Skothniky, Rambyesszicze [2]), Iasszlikowicze [3]), Zarczicze, Szdanowicze, Czaczow [4]), Brzeszna, Brzem. Item idem Iohannes archiepiscopus dedit haereditates istas: Ugyasd [5]), Blonye, Zerzicze [6]), Blonicza, Skowrodno, Kamenczicze, ad eum ex parte cognati sui Szmil [7]) devolutas; item villas per eum emptas: Dzerszanszna [8]), Buszkow, Tropiszow, Biala, Beszdin [9]), Mirzewa [10]).

Mittit Iszaslaus filium suum Msczislaum Polonos et Hungaros contra Wlodimirkonem conducturum; et non venientibus Polonis, venerunt Hungari et Rex eorum Stephanus cum Msczislao. Et [11]) Wlodimirko Haliczensis [12]) Dux visa multitudine Hungarorum, non audet confligere cum eis, sed ex occultis locis lacessit eos. Et tandem invasus ab eis, transit fluvium: ubi plures ex suis occiduntur, alii capiuntur, alii submerguntur; et fugiens [13]) venit in Przemysl, et secutus est eum Rex Stephanus Hungariae [14]). Et coepit petere Wlodimirko pacem, antequam veniret Iszaslaus, a Rege [15]) Hungariae. Et statim posthaec venit Iszaslaus cum exercitibus suis; et dimisso [16]) fratre suo Swanthopelko cum exercitibus in terga, venit solus ad Regem Hungariae Stephanum cum paucis. Et dum venisset ad fluvium San, offendit obstaculum: omnia vada quippe fluminis Wlodimirko Haliczensis Dux per suos equestres et pedestres occupaverat. Et processit Hungariae Rex ad fluvium cum suis exercitibus, et Wlodimirko videns multitudinem magnam, refugit in castrum Przemysl, multis de suis caesis aut captis. Et videns [17]) se in angustia magna Wlodimirko [18]), coepit petere pacem; et Iszaslao Duce concedere pacem abnuente, Stephanus Hungariae Rex dedit illi pacem [19]), et pace conclusa discedit Rex in Hungariam et Iszaslaus in Kyow.

Eodem anno venit Georgius cum filiis suis, cum Rostowczi et cum Szuszdalczi et cum Ducibus de Reszan, et vadit in Russiam versus Kyow. Et Iszaslaus exivit [20]) contra illum et Wlodimirko reversus est in Halicz. Dum autem esset Georgius apud Hluchow, venerunt sibi Polowczy in auxilium in multitudine magna et Dux Swanthoslaus filius Oleh; Iszaslaus autem Kyovien-

---

[1]) Slatoniki *Ed. Dobr.* [2]) Rambefryce *Ed. Dobr.* [3]) Laszkowycze *Cod. Calv.* Iaszenicze *Cod. Rozr.* Iaszewice *Ed. Dobr.* [4]) Czaszow *Cod. Rozr.* [5]) Uiazd *Ed. Dobr.* [6]) Zerizicze *Cod. Rozr.* Zarzece *Ed. Dobr.* [7]) Smil *Ed. Dobr.* [8]) Dzierzazna *Cod. Rozr.* [9]) Bezd *Cod. Rozr.* Best *Ed. Dobr.* [10]) Mierzawa *Ed. Dobr.* [11]) Sed *Cod. Rozr.* [12]) Galiciensis *Ed. Lips.* [13]) fugiens autem *Ed. Dobr.* [14]) venit Przemysliam, sequente eum Stephano Hungariae Rege, ipsumque obsidente. *Ed. Dobr.* [15]) ad Regem *Ed. Dobr.* [16]) relicto *Cod. Rozr.* [17]) Videns autem *Cod. Rozr.* [18]) Wladimirko versari *Cod. Rozr.* [19]) pacem inter eos componit *Ed. Dobr.* [20]) egressus est *Ed. Dobr.*

sis Dux [1]) misit fratrem suum Rosczislaum in auxilium Iszaslao Dawidowicz. Et venit Georgius et obsedit Czyrnyeow [2]), et fiebant pugnae magnae inter obsidentes et obsessos. Sed dum sensissent Polowczy advenire Iszaslaum Czyrnyeoviensibus [3]) in auxilium, territi diffugiunt. Quibus discedentibus, discedit et Georgius, et vadit in Nowogrod Szewyorsky [4]), et relicto filio Waszilkone, vadit in Szuszdal [5]). Et Iszaslaus non inveniens Georgium [6]) apud Czyrnyeow, vadit versus Nowogrod, illicque dedit pacem petentibus, et reversus est in Kyow, et Waszilko ivit ad patrem suum in Szuszdal, filium Msczislaum mittens in Polowczos: qui solus existens vastat Polowczos, et magna praeda equorum et [7]) pecorum capta, etiam tabernaculis eorum potitur et multos [8]) Christianorum solvit, et revertitur cum gloria. Eodem anno Wlodimirko HaliczIensis Dux moritur.

Eugenius Papa tertius cum annis octo, mensibus quatuor, diebus novem sedisset, Tibure [9]) moritur et per mediam Urbem fere cum totius cleri et populi turba et maximo luctu in ecclesiam beati Petri in Vaticano deductus, circa altare sepelitur. Erat autem vir simplex, sed religiosus: adhaerebat namque carni eius tunica lanea et diebus ac noctibus cuculla, intus monachi habitum retinens, extra se Pontificem vestibus et moribus exhibebat. Cui Anastasius tertius, natione Romanus, primum Cunradus dictus, ex patre Benedicto, successit.

ANNUS DOMINI 1155.

Fundatio monasterii in Lubens et ecclesiae in Kalisch per Myeczslaum Ducem Poloniae facta.

Famosam et celebrem Cisterciensium religionem et quae propter personarum in ea Deo militantium sanctitatem supra caeteras eo tempore relucebat, Myeczslaus Maioris Poloniae Dux in suos Ducatus et dominia introduxit, et in Lubens [10]) diocesis Wratislaviensis monasterio constructo, religionem ipsam primus in diocesi Wratislaviensi plantavit; ducalique munificentia erga monasterium a se fundatum usus, villas, oppida, introitus et praedia in dotem liberaliter illi contulit, vasisque et vestimentis necessariis ad sacra et ornamenta spectantibus mirifice insignivit. Hunc locum veteranorum [11]) relatio ferebat templum idolorum famosum quondam fuisse, dum Polonorum natio

[1]) Dux *deest in Cod. Aut.* [2]) Czernieiow *Cod. Rozr.* [3]) Czernieioviensibus *Cod. Rozr.* [4]) Siewiorski *Cod. Lig.* [5]) Susdal. *Ed. Dobr.* [6]) non invento Gregorio *Ed. Dobr.* [7]) et *deest in Cod. Aut.* [8]) nonnullos *Cod. Rozr.* [9]) Tyburi *Cod. Rozr.* [10]) Lubin *Cod. Rozr.* [11]) veterum *Cod. Lis.*

gentilibus ritibus et erroribus tenebatur astricta. In oppido insuper Kalisch Gnesnensis diocesis ecclesiam ex dolatis lapidibus in honorem Doctoris divi Pauli fabricans, praepositum et aliquot canonicorum numerum [1]) in ea constituit et dote sufficienti providit. Ad quae quidem opera pro laude nominis divini et salute fidelium instauranda, non solum propriae devotionis ferebatur ardore, sed etiam Iohannis archiepiscopi Gnesnensis incitabatur persuasione, qui cultum Dei propensius in diebus suis augendum aestuabat.

Odalricus filius Sobieslai Bohemorum Ducis, dum Wladislai Bohemiae Ducis, qui patri suo Sobieslao in Bohemiae Ducatu successerat, conspectum fugiens in Almania aliquanto tempore stetisset [2]), in Bohemiam rediit. Verum Wladislaum Ducem non tam sibi purum ac propitium, prout speraverat, considerans, tyrannidemque suam pertimescens, cum suis sequacibus in Poloniam, cui pater suus Sobieslaus pro beneficiis acceptis plures hostilitates intulerat, diffugit, et a Boleslao Crispo Polonorum Duce et Monarcha nedum susceptus et recollectus, sed etiam propitie ac favorabiliter habitus [3]) est.

Anastasius Papa tertius cum anno uno, mensibus quatuor, diebus quatuor et viginti [4]) sedisset, moritur, et in ecclesia Sancti Petri in concha porphirica accepit sepulturam. Post cuius mortem Albanensis episcopus et Cardinalis Nicolaus, natione Anglicus, qui Adrianus tertius vocatus est, in Summum Pontificem succedit.

ANNUS DOMINI 1156.

Myeczslao Duci Maioris Poloniae filius Otto nascitur.

Operum suorum bonorum Myeczslaus Maioris Poloniae et Pomeraniae Dux, quae in fundando coenobio Lubensi [5]) et ecclesia Sancti Pauli in Kalisch in collegiatam erigendo egerat, mercedem et fructum gloriosum excepit. Coniunx etenim sua Gertrudis Ducissa filium illi peperit, de cuius nativitate Myeczslaus Dux exhilaratus, in Posnaniensi civitate curia indicta, solennitatem baptisteriorum [6]) diebus aliquot celebravit, nomenque filio in baptismate Otto imposuit, ne Caesarum Ottonum, ex quibus ipse materno sanguine satus erat, nomen obliterari posset.

---

[1]) aliquot canonicos *Ed. Dobr.* [2]) mansisset *Ed. Dobr.* [3]) tractatus *Ed. Dobr.* [4]) diebus viginti *Ed. Dobr.* [5]) Lubinensi *Cod. Rozr.* [6]) baptismi *Cod. Rozr.*

Stephano Posnaniensi episcopo succedit Radwanus.

Lustro uno Stephanus Posnaniensis episcopus in pontificatu exacto, paralisim incurrens, moritur et in Posnaniensi ecclesia sepelitur. Cui Radwanus scholasticus Posnaniensis substituitur per electionem canonicam, nobilis de domo Srzeniavitarum, a Ianislao Gnesnensi archiepiscopo confirmatus et in ecclesia Unyeoviensi de consensu Myeczslai Maioris Poloniae Ducis benedictus [1]).

Fridericus Barbarossa Romae in Imperatorem coronatur.

Fridericus Romanorum Rex vocatus Barbarossa, collecta Germaniae Principum et militum multitudine, in Italiam, imperialem benedictionem accepturus, processit. A quo cum Veronenses pro transitu pecuniam exigendo [2]) iter suum retardarunt, promissa pecunia difficultatem dissolvit et duodecim Veronensium legatos ad se pro pecunia venientes in patibulum egit. Terdona [3]) munitissima civitate victa, Spoleto vero exusto, Romam perveniens, ab Adriano Papa cum magno gaudio omnium susceptus et in Imperatorem coronatus est. Coronationem autem suam ingens seditio secuta est: nam Romani in porta Sancti Angeli familia sua invasa, dum plurimos trucidassent, rumore coorto [4]), a caesareis militibus victi et magna caede adeo, ut Tiberis sanguine interfectorum rubras undas ostentaret, domiti sunt. Agente tamen Adriano Papa, pacificatus est Imperator Romanis [5]), et plures, qui capti fuerant, Romanos absolvit. Et quamvis Imperator magna fuerit Adriano Papae familiaritate coniunctus, post Imperatoris tamen ex Urbe discessum plures simultates inter eos conflatae et aliquanto tempore ventilatae sunt, cum Papa coronationem ei praestitam pro beneficio, Imperator pro debito computarent [6]).

Swidgero Crusviciensi episcopo succedit Honoldus.

Swidgerus Crusviciensis episcopus, cum annis tribus et viginti praefuisset [7]), ex hepatis vitio moritur et in Crusviciensi ecclesia sepelitur. Cui Honoldus genere Italus, ab Adriano Papa quarto ad petitionem capitularem et

---

[1]) consecratus. *Ed. Dobr.* [2]) exigentes *Ed. Lips.* [3]) Teridona *Cod. Rozr.* [4]) clamore facto *Ed. Dobr.* [5]) Romanus *Ed. Dobr.* [6]) computasset. *Ed. Dobr.* [7]) praefuisset eidem ecclesiae *Cod. Rozr.*

Boleslai Crispi Poloniae Ducis et Monarchae provisus [1]) successit [2]); sub cuius regimine sedes de prisco Crusviciensi loco in Wladislaviam translata est.

Boleslao Crispo Polonorum Monarchae nascitur filius Boleslaus.

Anastasia Ducissa Boleslai Crispi Polonorum Ducis et Monarchae consors primario partu filium effudit, de cuius ortu pater laetitia singulari repletus, nomen illi suum Boleslaus imposuit.

Veteres hostilitates [3]) Iszaslaus Kyoviensis Dux ultum iri satagens, contra filium Wlodimirkonis Ducem Halicziensem movet bellum. Utrisque [4]) autem copiis ad fluvium Sereth convenientibus, fit conflictus, a quo abstinere et in Halicz redire Wlodimirkonis filius (unicus enim erat) rogatu militiae suae coactus est. Utrisque autem pro victoria adnitentibus, fit caedes ingens et tanta involutio, ut se invicem non agnoscerent [5]) et utrique abirent pro victis. Et captivati sunt plures ex Halicziensibus per milites Iszaslai, et plures Iszaslai milites per Haliczienses. Diffugientibus autem fratribus Iszaslai Swanthopelko et Wlodimiro, et filio suo Msczislao, remansit Iszaslaus in loco certaminis cum pauca militia. Sed timens, ne interim occuparetur per Haliczienses, iussit occidi captivos, exceptis notabilioribus, quos secum deducit in Kyow.

Alexandro Ploczensi episcopo succedit Wernerus.

Alexander Ploczensis episcopus, cum annis septem et viginti pontificatum gessisset, obiit et in Ploczensi ecclesia accepit seputuram [6]): cui Wernerus scholasticus Ploczensis, genere nobilis de domo Rosze [7]), concorditer electus succedit. Cuius electionem Ianislaus Gnesnensis archiepiscopus facile de consensu Crispi Ducis Poloniae (vir enim erat eximiae religionis et devotionis in Deum) confirmavit et apud Lanciciensem ecclesiam in Ploczensem ordinavit episcopum.

---

[1]) datus *Cod. Rozr.* [2]) successit *deest in Cod. Aut.* [3]) simultates ac hostilitates *Cod. Rozr.* [4]) Utriusque *Ed. Lips.* [5]) cognoscerent *Cod. Rozr.* [6]) sepelitur *Ed. Dobr* [7]) Rosae *Cod. Rozr.*

ANNUS DOMINI 1157.

Celebrantem Fridericum Imperatorem comitia Herbipoli Wladislaus exul rogat, ut in patriam reduceretur. Et Imperator a Boleslao et fratribus eius dum per oratores id obtinere nequit, tum quia illi etiam tributum solvere nolebant, bellum eis indicit.

Ex Italia et Galliis Fridericus Imperator discedens et [1]) in Almaniam rediens, omnium Principum Almaniae in Wirczburk alias Herbipoli pro Pentecostes festo die agit conventum, in quo et filiam Burgundiae Ducis Beatricem sibi matrimonialiter [2]) iungit, et de bello Mediolanensibus inferendo (quos constabat aperta rebellione erga Caesarem usos esse) cum Principibus consultat. Inter haec et Wladislaus Polonorum Dux coram Caesare et Principibus causam suam agere coepit: Duodecimus, inquit, Caesar optime, labitur annus, ex quo cum coniuge et liberis, patria per fratrum odium et livorem pulsus [3]), in terris tuis indignum exilium ago, nec spei meae, pollicitationique caesareae aliquis effectus respondet. Praedecessor quidem tuus Cunradus, dum crebris legationibus restitutionem [4]) efficere nequiret, armis illam effecturus, legiones in Poloniam duxerat, sed a fratribus meis Poloniae Ducibus falsis promissis et blanditiis victus, campoque detractus est; neque posthaec curis Imperii et languore distentus, arma in mei restitutionem, licet id crebro polliceretur, resumpsit. Non mea me iam sors, sed filiorum, ne et ipsi in exilio mecum una consenescant, perurget. Quos consulam, quos deprecer, a quibus commiserationem sperem, praeter te unum Caesar, quem in hanc diem colui, cuius quoque subventione et beneficio vivo, fratribus infestum et implacabilem animum gerentibus, non habeo. Si te conditionis meae non miseret, saltem sororis tuae, coniugis meae, quae et ipsa mecum exulat, et nepotum tuorum, filiorum meorum, quos in viros, dum huc pueri illati essent [5]), crevisse [6]) vides, miseria movearis. Dixit [7]) et tres filios iam adolescentiam transgressos, pulcherrimae et rarae indolis iuvenes, pedibus Imperatoris, quo facilius illum ad [8]) miserationem flecteret, admovit, extorrem se factum habitationis patriae subintulit; terram, in qua sit natus, negari sibi; Boleslaum, Myeczslaum et Henricum incubare Principatibus suis, qui sibi et filiis per scelus erepti forent. Dux deinde Bohemiae Wladislaus,

---

[1]) et *deest in Cod. Aut.* [2]) in matrimonium *Ed. Dobr.* [3]) pulsus sum *Cod. Rozr.* [4]) restitutionem mei *Cod. Rozr.* [5]) allati erant *Ed. Dobr.* [6]) evasisse *Ed. Dobr.* [7]) Duxit *Cod. Rozr.* [8]) eum in *Cod. Rozr.*

livoris magis in Polonos, quam pietatis in exulem respectu, ne id ludibrium ferat Caesar, pertinaciamque Poloniae Principum suo calcaneo adversantium domaret, admovit; universi deinde Principes Almaniae huic petitioni assensi, ut restitutionem Wladislai Polonorum Ducis efficeret, Caesarem consiliis, precibusque impellebant: Wladislaus enim Polonorum Dux et ex continuo contubernio, et ex diuturna mora, fere omnium sibi Almaniae Principum et familiaritates et amicitias meruerat. Fridericus autem Caesar, cum et suapte ad ferendum exuli subsidium moveretur, frequentibus tamen Principum sententiis [1]) et precibus adeo pervictus, accensusque est, ut priorem [2]) in Polonos, quam in Mediolanenses expeditionem indiceret, et exulis causam perprius [3]) agi, quam propriam, mallet. Verum quia aestate illa expeditio ipsa minime propter temporis defluxum [4]) proventura videbatur: quo iustior belli causa esset, mitti primum ad Duces Poloniae, qui nomine Caesaris restitutionem exulis admonerent, belloque inferendo terrerent, placuit legatos. Hi cum ex eodem conventu in Wirczburk habito missi essent, Boleslaum quoque Ducem et Monarcham Cracoviae offendissent, imperialia mandata, ut erant instructi et iussi, coram eo et duobus reliquis fratribus Myeczslao et Henrico, quos gratia audiendae legationis praefatae Boleslaus Cracoviam acciverat, edicunt. Orabant autem, ut Ducis Wladislai fratris sui veniam errori, veniam transgressioni tribuerent, moverenturque etsi non germanitate, saltem calamitate hominis et caesarea intercessione: satis Wladislaum Ducem pro delicto poenarum dedisse. Boleslaus autem Polonorum Monarcha [5]) fratrum et consiliariorum suorum deliberatione legationem caesaream digerens [6]) respondit: Nihil [7]) se et fratres suos in Wladislaum Ducem admissi facinoris conscios esse, neque se fratri bellum movisse [8]), sed illatum propulsasse. Illum tam crudelem in se fuisse, ut non communione sanguinis, non eorum adolescentia, non precibus quominus ad exterminium eorum suos omnes conatus intenderet, moveretur. Indignum Wladislaum Ducem venia, indignum misericordia et intercessione disserunt, qui omnis cognationis, omnis aequitatis oblitus, nec iuris divini, nec humani, sed nec iuris gentium sanctiones, nec patris testamento scripta legitima pati et custodire potuit imperia, sed nec tunc, dum se [9]) ad unius Posnaniensis castri angulum redegisset, precibus poterat Gnesnensis pontificis [10]) Iacobi paterna obsecratione placari. Se quidem non tam impios esse, ut non velint fratri tanto tempore exuli misereri; sed vereri, ne restitutus ad exterminium eorum ardentius, dum ambitioso animo exulceratio [11]) accesserit, intendat. Rogarent proinde Caesarem, ut erga illos

[1]) consiliis, sententiis *Cod. Rozr.* [2]) prius *Ed. Dobr.* [3]) citius *Ed. Dobr.* [4]) defectum *Ed. Dobr.* [5]) Dux et Monarcha *Cod. Rozr.* [6]) expendens *Cod. Rozr.* [7]) Nullius *Cod. Rozr.* [8]) intulisse *Cod. Rozr.* [9]) illos *Cod. Rozr.* [10]) archiepiscopi *Ed. Dobr.* [11]) exulceratus *Ed. Dobr.*

indignatione non moveretur [1]), restitutionem fratris civile bellum, caedemque et exterminium multorum effecturam. Cum hac responsione imperiales nuntii, comiter et liberaliter habiti, dimissi cum rediissent, Fridericus Imperator responsione ipsa magis offensus quam mollitus, expeditionem contra Poloniam in futuram aestatem, Wladislaum restituturus, Almaniae Principibus et militibus pronuntiat, occasione belli hinc maxime recepta [2]), quod Poloniae Duces eius Imperio calcitrabant [3]): Imperatori enim [4]) sacramentum fidelitatis praestare et tributum quingentarum marcarum argenti annis singulis publico aerario Imperii inferre ab eis exigenti, negabant, satius ducentes mori, quam Poloniae Regnum subicere tributis, apertisque et evidentibus responsis, nusquam se sub Imperio aut tributis fuisse, et non clancularium sed manifestam oppositionem se pro libertate facturos moliebantur.

Myeczslao Duci Maioris Poloniae filius Stephanus nascitur.

Effudit hoc anno consors Myeczslai Maioris Poloniae et Pomeraniae Ducis, Ducissa Gertrudis alterum infantem, cui matre obsecrante, Stephanus nomen inditum est: in Hungariae enim Regno Stephanus Rex, suus nepos ex fratre germanus, principabatur. Nec multo post diem puerpera obiit.

ANNUS DOMINI 1158.

Fridericus Barbarossa Imperator cum maximo exercitu in Poloniam vadit: ubi dum parum feliciter rem se gerere videret, cum Duce Boleslao et fratribus eius pacem certis conditionibus init et affinitate firmat.

Boleslai Monarchae Ducisque Polonorum et fratrum suorum Myeczslai et Henrici responsione Fridericus Romanorum Imperator irritatus magnas concipit iras, et suo in Herbipoli condito decreto satisfacturus, expeditionem in Poloniam movet, maximumque tam equestribus, quam pedestribus copiis [5]) per Saxoniam exercitum traducens, mense Augusto illam ingreditur. Cui in Saxoniae finibus Wladislaus Bohemiae Dux cum Bohemis, Moravisque se coniungit et exercitum Imperatoris per se magnum efficit ampliorem: omnes enim Imperii vires et omnem Almanicam nationem, Francos, Suevos, Rhi-

[1]) indignationem non moveret *Ed. Dobr.* [2]) accepta *Cod. Rozr.* [3]) recalcitrabant *Cod. Rozr.* [4]) autem *Ed. Dobr.* [5]) tam equestrium quam pedestrium copiarum *Cod. Rozr.*

nenses, Baworos [1]), Saxones, Lothoringos, Misnenses, et quod magnae execrationis poterat videri, ipsos etiam Moravos et Bohemos, unius pene et nationis cum Polonis et linguae, contra Polonos vidisses infesta arma induisse. Imperator itaque Fridericus contra Polonos procinctum [2]) movens, cum maximis copiis ad fluvium Odram cum magna difficultate penetravit, et Undecimo Calendas Septembris Odram cum omni exercitu praeter opinionem Polonorum transvadavit [3]). Boleslaus itaque, Myeczslaus et Henricus Polonorum Duces, quamvis et ipsi cum suorum militum exercitatissimo robore Imperatori Friderico occurrissent, vires tamen suas metiendo, dum illas constaret hostilibus multo inferiores et dispares, hostem ex insidiis et paludinosis et iniquis locis lacessere contenti [4]), in discrimen notorium universae dimicationis non veniunt. Turmis quoque militum et belli muneribus inter se partitis, in loca diversa abeunt, atque ex illis hostes incautius praedatum aut pabulatum progressos aut capiunt, aut interimunt. Omnia insuper loca, per quae Imperatoris exercitus transiturus erat, et [5]) eis viciniora, inter quae castra et oppida munita, videlicet Glogow et Bithom, igne iniecto consumunt: quae res in magnas difficultates, commeatu et pabulo deficiente, imperatorium exercitum induxit. In singulis quoque stativis magnus equorum numerus fame tabefactus subsistebat, frequentesque milites ex ordine equestri ad peditum numerum redacti erant; nec pabulatores [6]) sine manifesto periculo ad remotiora loca progredi poterant quaerendi pabuli gratia, periculosis insidiis aut trucidandi, aut capiendi; crebra quoque priorum mors et trucidatio reliquos adeo terruerat, ut in singulis silvis, rubis aut silvetis insidias Polonorum consistere vererentur. Accessit et amplior exercitui caesareo pernicies: mollia enim et delicata Almanorum corpora, et vini aut cervisiae ex hordeo coctae, quorum in Polonia usus non est, assueta, ex assiduo aquarum haustu in dysenteriam prolapsa sunt; adeoque dysentericus morbus in eorum corpora vulgatus erat, ut maiorem partem caesarei exercitus ea pestis pervaserit. Cumque grassatio eius nulla arte, nullisque herbis aut antidotis inhiberi posset, omnes á Caesare reversionem flagitabant, neque in malo auspicato bello censebant cum sua pernicie et interitu immorandum. Caesar etsi vocibus [7]), precationibusque his, sed et suorum mortibus et aegritudinibus moveretur, pudore tamen, ne coeptum bellum leviter omitteret, retrahebatur: quid tamen ageret, aut quem fructum ex bello huiusmodi sperare possit, cum Poloni in aciem non prodirent, assidua perplexitate urgebatur [8]). Sed nec expugnationi castrorum aut urbium intendere poterat: quippe urbes rarae et

---

[1]) Bavaros *Ed. Dobr.* [2]) exercitum *Ed. Dobr.* [3]) transnatavit. *Ed. Dobr.* [4]) lacessentes *Ed. Dobr.* [5]) ab *Ed. Dobr.* [6]) pabulatione *Ed. Dobr.* [7]) vocibus procacibus *Ed. Dobr.* [8]) angebatur. *Cod. Roer.*

castra apud Polonos ea tempestate habebantur, sed et plerasque Poloni sub adventu Caesaris proprio igne deleverant, nonnullas deseruerant [1]), ad paludinosa quoque et avia [2]) loca diverterant. Sola itaque agrorum populatione tam validus et numerosus exercitus contentus, tectis innocuis ignem iniiciebat, territoria quoque et districtus Wratislaviensem et Posnaniensem incendio et spolio vastabat. Inter haec solertissimus Imperator et expeditionem illam, cuius illum saepe poenitebat, et discessionem suam, quam fames et morborum pernicies, militumque clamor et vociferatio exigebat, honestaturus, per Wladislaum Bohemiae Ducem, velut communem partium amicum egit, ut Polonorum Duces Boleslaus, Myeczslaus et Henricus pacem a Caesare expeterent, certitudine facta, eos pacem consecuturos. Bohemiae itaque Ducis pollicitatione Polonorum Duces permoti, sub securitatis conductu in caesarea castra apud villam Crisogwe [3]) stativa habenti perveniunt, et in tabernaculum imperiale, ubi frequens consiliariorum numerus convenerat, deducti, per organum Boleslai verba faciunt: Si scrupulosius, inquit, Caesar optime, et nostram et fratris nostri Wladislai, in cuius restitutionem et favorem bellum nobis infers, causam examinasses, nequaquam contra nos hostilem animum induisses; ea enim iustitia causam nostram revideres [4]) praeditam, ut magis illi defensa [5]) quam vexatio debeatur. Qui etsi tuus gener sit, inficiari tamen non potes, et nos de sanguine tuo satos esse. Nobis quidem persuasum est, neque tibi, neque tuorum cuiquam fratrem nostrum Wladislaum exilii supplicio iniuste affectum videri, quo tres omnes nos fratres suos, nisi iusto Marte concidisset, affecturus erat. Et quamvis plurimis damnis patriam nostram sine demerito afflixeris, in castra tamen tua venimus, singulis causis et querelis fratris nostri Wladislai, propter quae praesens bellum initum est, iusta responsione satisfacturi [6]). Ad ea Romanus Imperator: Diuturna, inquit [7]), fratris vestri Wladislai calamitate, cui nullam miserationem a nobis et praedecessore nostro Cunrado rogati, praestare voluistis, moti, in praesens bellum descendimus: quod etsi maximo geratur sumptu, humanitas tamen nostra tanti est, ut facile vobis ignoscat, si frater vester Wladislaus plenam suorum Ducatuum sortem acceperit. Interponuntur post haec placitationum [8]) tractatus, et inter Imperatorem Fridericum, Ducesque Polonorum sub duabus conditionibus pax componitur: ut videlicet fratrem Wladislaum suis Ducatibus Duces Polonorum restituant et tricentas lanceas Caesari in bellum Mediolanum [9]) mittant. Et dum utraque conditio a Ducibus Polonorum Boleslao,

---

[1]) nonnullis desertis *Cod. Rozr.* [2]) invia *Cod. Rozr.* [3]) Kriszogowe *Ed. Dobr.* [4]) conspiceres esse *Ed. Dobr.* [5]) defensio *Ed. Dobr.* [6]) causis et querelis, quibus nos iniuste coram Caesarea tua Maiestate oneravit, in faciem praesentes responsuri. *Ed. Dobr.* [7]) His dictis Fridericus Imperator, Ducibus Poloniae sereno vultu exceptis, benigne respondens, ait *Ed. Dobr.* [8]) de pace et reconciliatione *Cod. Rozr.* [9]) Mediolanense *Cod. Rozr.*

Myeczslao et Henrico accepta esset, Imperator Fridericus ex agro Polonico legiones deducens, in Almaniam, multis suorum amissis, remeavit. Neque solum Ducibus Poloniae pacem sub conditionibus dedit, sed etiam affinitatem cum illis iunxit, Myeczslao Maioris Poloniae et Pomeraniae Duci neptem suam Adleydam dando cum dote insigni in consortem, magis diuturnam existimans pacem, ad cuius aequas conditiones sanguinis vinculum adiiceret. Purgavit etiam se tunc Boleslaus Poloniae Dux cum fratribus iureiurando, quod fratrem suum Wladislaum non ad ignominiam Imperii expulisset, pollicitus pro die Nativitatis Christi ad curiam in Maydburg venire personaliter, et iuxta iudicium et sententiam Polonorum et Bohemorum super expulsione fratris sui Wladislai respondere et parere. Omnibus tamen quae promiserat neglectis, nec ad curiam Caesaris pro die constituto venit, nec sufficientes pro se procuratores misit; Italicam tamen expeditionem adimplevit magnifice et animose.

Anastasia Ducissa Boleslai Polonorum Ducis consors, filio edito, cui nomen Lestko [1]) datum est, morte absumpta est. Ex cuius obitu Boleslaus Dux diuturno cruciatus moerore, alteram superducere aliquanto tempore abnuebat.

Eclipsis notabilis solis eo anno nonarum [2]) hora apparuit, et Ierusalem sancta a Zoldano Babyloniae capta est, multis Christianorum militibus illic aut desideratis [3]), aut captis. Obscurationem autem solis fames valida, qua plerique mortales consumpti sunt, secuta est, quae Poloniam et eius regiones notabiliter afflixit.

Tredecima Novembris moritur Iszaslaus Msczislawicz Dux Kyoviensis et sepelitur in monasterio Sancti Theodori, et Iszaslaus Dawidowicz volens intrare Kyow, non est permissus a Wyeczeslao [4]) et Msczislao filiis Iszaslai. Et venit Rosczislaus ex Smolensko frater Iszaslai, et Kyoviensem accepit sedem. Posthaec venit Hleb [5]) Georgii cum multitudine Polowczonum in Pereaslaw contra Msczislaum; et Pereaslavienses fortiter resistendo dimicant secum, et discedit Hleb [6]) cum Polowczis ea nocte ex Pereaslaw. Et Rosczislaus assumens secum Swanthoslawkonem [7]) Wszewoldowicz [8]) et Msczislaum Iszaslawicz [9]), vadit versus Czyrnyeow [10]) contra Iszaslaum Dawidowicz: et dum pertransisset, nuntiatur sibi mors patrui sui Wyeczislai [11]). Ipse autem dimissis exercitibus suis, cum Swanthoslao revertitur in Kyow, et in ecclesia Sanctae Sophiae sepelit Wyeczislaum [12]), et recepta militia [13]), vadit versus Czyrnyeow. Et audiens Iszaslaus Dawidowicz, mittit pro Hleb [14]) Georgii, qui venit cum Polowczis in eius subsidium. Et Rosczislaus cum suis exercitibus stetit circa

---

[1]) Leszko *Cod. Rozr.* [2]) nona *Cod. Rozr.* [3]) occisis *Cod. Rozr.* [4]) Vieczeslao *Cod. Rozr.* Wenceslao *Ed. Dobr.* [5]) Olech *Ed. Dobr.* [6]) Olech *Ed. Dobr.* [7]) Swantoslaum Izaslawic *Ed. Dobr.* [8]) Wszeuoldorowic *Ed. Dobr.* [9]) Mścislaum Dawidowic *Ed. Dobr.* [10]) Czernieiow *Cod. Rozr.* [11]) Wenceslai. *Ed. Dobr.* [12]) Wenceslaum *Ed. Dobr.* [13]) tum rursus collecto milite *Cod. Rozr.* [14]) Olech *Ed. Dobr.*

Belewyesza [1]), et exivit Iszaslaus et Hleb [2]) contra eum, et certabant sagittarii pro ripis. Rosczislaus videns magnam multitudinem Polowczonum, territus est, et mittit ad Iszaslaum, dando sibi pro se Kyow, et Pereaslaw pro Msczislao nepote. Quod audiens Msczislaus indignatus dicebat: Nec ego habebo Pereaslaw, nec tu Kyow, et recessit cum militia sua. Quod videntes omnes alii fugiunt, et Polowczy eos persecuti, plures occidunt [3]) aut capiunt, caeteri disperguntur. Et Rosczislaus fugit in Smolensko, et Msczislaus [4]) et Swanthoslaus Wszewoldowicz [5]) procedunt fugientes in Kyow. Et captus est Swanthoslaus Wszewoldowicz [6]) a Polowczis, et Msczislaus [7]) evasit et venit in Pereaslaw, et assumpta uxore sua vadit in Luczsko. Kyovienses autem plurimum aggravati, mittunt et recipiunt Iszaslaum in Kyow, qui locat Hleb [8]) in Pereaslaw, Polowczis patrantibus [9]) multa mala circa Pereaslaw, ecclesias comburentibus atque villas. Posthaec [10]) Georgius venit versus Kyow et post multos tractatus cessit sibi [11]) Iszaslaus de Kyow, et sedit Georgius in Kyow sede sua avita, et distribuit [12]) regiones inter filios: Andreae dat Wiszehrod, Borzisch Turow, Hleb [13]) Pereaslaw, et Waszilkoni Porszy.

ANNUS DOMINI 1159.

Wladislaus exul parans in patriam reditum, in itinere moritur.

Ad patriam et Principatus suos ex diuturno, calamitosoque exilio, quod in Almaniae oris [14]) annis tredecim cum coniuge et liberis stipe aliena et precario vivens, Wladislaus Polonorum Dux pertulerat, quos sibi fratrum benignitas iuxta foedus cum Friderico Caesare ictum restituendos spoponderat, reversurus, arma, equos, quadrigasque et subvectiones caeteras, quibus sarcinae deferri possent, et reversionis in patriam et rehabitationis dominiorum cupidus expediebat: cum interim languor gravissimus illum occupavit, a quo hebdomadis aliquot cruciatus, Quarto Nonas Iunii mensis [15]) tandem animam exhalat, et in Aldemburk accipit sepulturam. Quem quidem locum et consors sua Cristina usque quo fatis intercepta est, incoluit: cuius consilia et persuasiones Wladislaus secutus, propria perdidit, qui usurpare nitebatur aliena, primumque exul, deinde et hostis patriae habitus est; a cuius possessione

[1]) Bialawicza *Cod. Rozr.* [2]) Olech *Ed. Dobr.* [3]) aut occidunt *Cod. Rozr.* [4]) Mścislaus vero *Ed. Dobr.* [5]) Wszeuoldorowic *Ed. Dobr.* [6]) Wszeuoldorowic *Ed. Dobr.* [7]) Mścislaus vero *Ed. Dobr.* [8]) Olech *Ed. Dobr.* [9]) ibidem patrantibus *Cod. Rozr.* [10]) Deinde *Ed. Dobr.* [11]) illi *Cod. Rozr.* [12]) distribuit in vita *Ed. Dobr.* [13]) Olech *Ed. Dobr.* [14]) in Almania *Cod. Rozr.* [15]) Iulii *Ed. Dobr.*

in ipso suae restitutionis limite excidit, et temeritati quondam suae et in exterminio fratrum [1]), et in caecatione Petri Daci Comitis Skrzinensis patratae, poenas iustas dedit, ut in exilio contabescens, exulisque more in alienis sedibus occumbens, neque propriam patriam, propriosque Principatus et penates, quamvis restitutione patefacta contingeret, quemadmodum Iacobus Gnesnensis archiepiscopus maiorem in modum eius vicem dolens, talem rerum suarum illi cecinerat [2]) exitum eventurum. Post cuius e vita excessum tres filii, videlicet Boleslaus, Myeczslaus et Cunradus Loripes [3]) ab eo relicti, in Poloniam redire cunctabantur, veriti, ne pro paterno facinore a patruis grave aliquid in illos consuli [4]) contigisset, ut non in patrem solum, sed [5]) in filios diffunderetur sceleris correptio [6]). Esto [7]), nonnuli asserant, Wladislaum praefatum Ducem in Poloniam cum pignoribus et supellectili tunc reversum, tria castra Imperatoris sumptibus et suffragio, videlicet Wlen [8]), Grothecz et Nyempcze [9]) aedificasse, bellumque fratribus intulisse; pro quo rescindendo dum ad colloquium in Plodek [10]) cum fratribus venisset, veneno extinctum fuisse.

Fridericus Imperator Mediolanum oppugnat et Bohemiae Ducem coronat.

Fridericus Imperator cum et ex Almania, Italia, Bohemia, caeterisque nationibus et regionibus frequentem exercitum adunasset, tricentae quoque illi lanceae viris, armis, equisque insignes, per Duces Poloniae Boleslaum, Myeczslaum et Henricum, ita ut unusquisque Ducum centenarium expleret [11]), in solatium [12]) suae contra Mediolanenses expeditionis missae fuerant [13]), cum validissimis itaque legionibus Italiam ingressus Brixiensem primum regionem vastat, deinde Mediolanum obsidere agressus, cum plures illic Principes et milites in civitatis oppugnatione amisisset, Mediolanensibus victis petentibus [14]), victus [15]) et ipse a [16]) misericordia, pacem dedit et obsidionem solvit, legionesque in propria redire iussit. Sed Mediolanenses brevi post [17]) dolo usi, iusiurandum Imperatori praestitum praevaricati, magnam stragem, castra ditionis imperatoriae conquirendo, fallaciter ediderunt. Wladislaus autem Bohemiae Dux, qui in expeditionem huiusmodi contra Mediolanenses personaliter se contulerat, in sui laboris praemium a Friderico Imperatore in Bohemiae

---

[1]) suorum fratrum *Cod. Rozr.* [2]) narraverat *Ed. Dobr.* [3]) Loripes Principes *Ed. Dobr.* [4]) statui *Cod. Rozr.* [5]) sed etiam *Ed. Dobr.* [6]) animadversio. *Ed. Dobr.* [7]) Esto quod *Cod. Rozr.* [8]) Welen *Cod Rozr.* [9]) Niemcze *Cod. Rozr.* [10]) Plodeczk *Cod. Ciesz.* Plocko *Ed. Dobr.* [11]) expleret numerum *Ed. Dobr.* [12]) auxilium *Cod. Rozr.* [13]) fuerant *deest in Cod. Aut.* [14]) et pacem petentibus *Cod. Rozr.* [15]) victus est *Ed. Dobr.* [16]) ipse innata *Ed. Dobr.* [17]) mox postea *Cod. Rozr.*

Regem coronatus est, abrogatisque veteribus insigniis, nigra videlicet aquila, novis, albo videlicet leone insignitus.

Adrianus Papa cum annis quatuor, mensibus octo, diebus viginti octo sedisset, moritur et in ecclesia beati Petri honorifice sepelitur: vir civilis, strenuus, largus, facundus et omnibus actibus suis gloriosus. Cui Alexander tertius, Rolandus [1]) ante vocatus, patria Senensis patre Romano, a maiore parte Cardinalium electus, renitens [2]) et indignum se hoc honore vociferans successit. Eligitur etiam Octavianus, qui Victor dictus est, et gravi schismate Ecclesia turbari extunc coepit. Octavianus prima Dominica Septembris, Rolandus [3]) vero decima octava Septembris, in Papas consecrantur.

Kyoviensis Dux Georgius gravem et iratum animum contra Ducem Msczislaum [4]) Pereaslaviensem filium Iszaslai gerens, non contentus illum de Pereaslaw expulisse, ordinatis et congestis exercitibus, et in potestatem Georgii Iaroslawicz et Iaroslai Ducum commissis, ipsos contra Msczislaum [5]) Ducem in Przeszopnicza se continentem transmittit: qui terrore hostili actus, cum se imparem futurae dimicationi videret, ex Przeszopnicza fugit in Luczsko. Et castro Luczsko in fidem et defensionem fratris germani Iaroslai commendato, ad Polonorum Duces Boleslaum, Myeczslaum et Henricum confugit, intelligens et pro comperto habens, quod Georgius Kyoviensis Dux etiam ad exclusionem suam de Luczsko aspiraret, copiasque congereret. Principes autem Poloniae, videlicet Boleslaus Cracoviensis, Myeczslaus Posnaniensis, Henricus Sandomiriensis, exule Msczislao benigne excepto et omnibus necessariis apud se foto [6]), congregatis dominiorum suorum potentiis, versus Russiam hostiliter procedebant, Msczislaum Ducem non in Pereaslaviensem tantumodo, sed etiam in Kyoviensem sedem restituturi. Potentiam autem Polonorum Georgius Kyoviensis Dux veritus, per medium Rosczislai Ducis Premisliensis [7]) pacificatur cum Msczislao Duce et germanis suis Wlodimiro et Iaroslao filiis Iszaslai, et tam Ducatum Pereaslaviensem, quam omnia, quae ad eos pertinebant, eis restituit, iureiurando se astringens, nunquam ad occupationem eorum dominiorum aspirare [8]). Qua reconciliatione inter eos confecta, Msczislaus Dux cum magna gloria rediit Russiam [9]), pluribus Polonorum militibus eum usque in Wladimiriam conducentibus et plerisque remanentibus apud eum.

---

[1]) Rulandus *Cod. Aut.* [2]) reluctans *Ed. Dobr.* [3]) Ronaldus *Ed. Dobr.* [4]) Miecyslaum *Ed. Dobr.* [5]) Izaslaum *Ed. Dobr.* [6]) proviso *Ed. Dobr.* [7]) per mediatorem Roscislaum Ducem Przemysliensem *Ed. Dobr.* [8]) aspiraturum. *Ed. Dobr.* [9]) ad Russiam *Ed. Dobr.*

ANNUS DOMINI 1160.

Myeczslao filius Boleslaus nascitur, et Boleslaus Crispus secundas nuptias celebrat.

Nova Myeczslai Maioris Poloniae et Pomeraniae Ducis nupta Adleyda Ducissa, novum progenuit infantem, qui a Iohanne Gnesnensi archiepiscopo in Posnaniensi ecclesia baptisatus, Boleslaus vocatus est. Myeczslaus autem Dux de filii nativitate exultans [1]), corrogatis [2]) plurimis Polonorum primoribus, diem natalis filii praefati magna celebravit festivitate [3]), et tam in ecclesias quam in ministros eorum, viduasque et orphanos gratia et liberalitate usus, multorum precibus et necessitatibus benigna concessione respondit. Affuerunt etiam solennitati praefatae Boleslaus Crispus Polonorum Dux et Monarcha, in cuius honorem infans suo nomine vocatus est, et Henricus Sandomiriensis Dux, qui plurimis inter se vicissitudine vicaria transmissis muneribus, in magna animorum tam charitate quam conformitate, in sedes suas reversi sunt. Verum quia inter sermones, quos invicem secrete Duces habebant et disserebant, id praecipuum extiterat, ut Boleslaus Crispus Dux et Monarcha viduitatis nomine exuto, alterum coniugale iugum acciperet, frequentibus fratrum et consiliariorum persuasionibus expugnatus, Cracoviam reversus, Helenam virginem, Principis Premisliensis Roszczislai filiam, recipit [4]) in consortem [5]), nuptiarum quoque solennitas Cracoviae pluribus diebus acta est: ad quam Boleslaus et germanos suos et praelatos, baronesque universi Poloniae Regni, nonnullos quoque [6]) Russiae Boyarios et nobiles invitatos et splendide tractavit et liberalibus honoravit donariis.

Honoldo Wladislaviensi episcopo succedit Rudgerus.

Quatuor annis Honoldus Wladislaviensi ecclesia potitus [7]), moritur et in Wladislaviensi ecclesia sepelitur; cui Rudgerus vir nationis Teutonicae succedit, per Alexandrum Papam tertium provisus [8]).

---

[1]) plurimum exultans *Cod. Rozr.* [2]) congregatis *Ed. Dobr.* [3]) solennitate *Cod. Rozr.* [4]) accepit *Ed. Dobr.* [5]) uxorem *Ed. Dobr.* [6]) etiam *Cod. Rozr.* [7]) ecclesia administrata *Cod. Rozr.* [8]) Miecslao Maioris Poloniae et Pomeraniae Duce consentiente provisus. *Cod. Rozr.*

ANNUS DOMINI 1161.

Mediolanum rursus ab Imperatore Friderico fortissime oppugnatur: ubi Wladislai Ducis Polonorum exulis filius gloriae cupidus facinus heroicum et egregium edit.

Frequentibus et acerbis iniuriis, contumeliisque Fridericus Imperator Romanorum post datam, acceptamque fidem a Mediolanensibus irritatus, cum [1]) et nuntios caesareos ad se missos, probris affectos in mortem, nisi sibi per fugam consuluissent, destinaverant, et castris caesareis, quae in circuitu suo erant, potenter et celerrime, ipso Friderico in Italia adhuc agente, expugnatis, milites suos in illis deprehensos aut necassent [2]), aut duris coniecissent [3]) carceribus, Fridericus ipse nova expeditione indicta, Mediolanum fortissima militia obsidere coepit, tantoque contra Mediolanenses gratia et misericordia sua abusos furore [4]) incanduit, ut iurasset, se ab obsidione non nisi victa Mediolano discessurum. Boleslaus itaque Altus Polonorum Dux, Wladislai Ducis et exulis primogenitus, ne otio et desidia torperet (cum in patriam et Principatus suos neque sibi, neque fratribus tutum putaret reverti), duobus germanis, Myeczslao et Cunrado sub cura genitricis suae Cristinae in Almania relictis, in Italiam se contulit et in castra Imperatoris Mediolanum obsidentis pervenit, militiam suam et animositatem, ubi facto opus foret, monstraturus. Sub ipso autem obsidionis tempore miles quidam Mediolanensis et roboris et staturae singularis, et quae ad Cyclopum staturam accedebat, eques ex Mediolano prodibat, provocans caesareanos milites, de viribus corporis fretus, ad singulare certamen. Cumque pluribus diebus provocationem ipsam repeteret, et omnes evidens periculum declinarent, miles ipse improperiis erga caesareanos usus, timiditatem illis et mollitiem pectoris exprobrabat: quae res ad demonstrandum heroici animi virtutem Boleslao Poloniae Duci materiam praestitit et segetem fortuna [5]) ingenio suo subministravit. Ipse siquidem Boleslaus Polonorum Dux gloriae, famaeque avidus, cum et de corporis viribus [6]) satis fideret, et in nulla alia re, quam in huiusmodi singulari certamine audaciam et virtutem suam aeque explicari atque apud Imperatorem mereri [7]) posse videret, Imperatore Friderico etiam inconsulto et iniussu eius, in certamen singulare cum milite giganteo iturus, eques [8]) et ipse descendit [9]), magnumque spectaculum utrique exercitui praebuit, cum et impe-

[1]) cum illi *Cod. Rozr.* [2]) necarant *Cod. Rozr.* [3]) coniecerant *Cod. Rozr.* [4]) fervore *Ed. Dobr.* [5]) Duci audaciam cum fortunae *Ed. Dobr.* [6]) virtute *Ed. Dobr.* [7]) nomen et gratiam mereri *Cod. Rozr.* [8]) equum *Ed. Dobr.* [9]) conscendit *Ed. Dobr.*

ratorii milites ex castris effusi et Mediolanenses ex turribus et moeniis eventum futuri certaminis cum silentio et magna omnium admiratione spectaturi convenissent. Subibat autem caesareanorum militum [1]) vehemens indignatio atque cura, cur tam difficile, periculosum et dispar certamen Boleslaus Polonorum Dux iniussu Imperatoris et suorum praefectorum suscepisset et se praerupto miscuisset [2]) periculo, magnum dedecus non tam sibi, quam Imperatori et universo suo exercitui, si eum frangi [3]) contingeret, inussurus. Dissimulante tamen magis quam probante imperiali exercitu, singulare inter utrumque initur certamen, et rapacissimo equorum cursu, infestisque lanceis primum concurrunt, et Mediolanensi milite frustrante ictum [4]), Boleslaus Polonorum Dux adeo illum lancea excepit, vibravitque, ut lethali vulnere Gigas excepto, moribundus ex equo in terram deflueret [5]). At Boleslaus nihil cunctatus, cum vir rarae agilitatis esset, ex equo et ipse desiliit [6]), et iacentem Gigantem obtruncat, armisque spoliatum cadaver exanime in palestrae medio relinquit. Maximus subinde clamor a caesareanis sublatus, maximam [7]) exultationem, quam universus exercitus imperialis [8]) de triumpho conceperat, testabatur. Ad Caesarem deinde Fridericum Boleslaus Polonorum Dux spolia occisi Gigantis, egregium suae virtutis testimonium referens, a frequenti militum imperialium coetu, certatim eius virtutem, probitatemque efferentium, deductus est, omniumque militum vociferatione concinna exoratus Caesar, quatenus heroicum Boleslai opus, in suam et sui exercitus amplissimam laudem patratum [9]), absque digna retributione esse non sineret. Caesar autem et pro sui debito, et pro Boleslai merito, militumque precatione se gratissimo animo obtulit tam nobili facinori responsurum, Boleslaum tamen Polonorum Ducem tunc quidem coram militibus collaudans, posthac ad secretum colloquium, paucis consiliariis consciis, evocatum temeritatis arguit, quod iniussu suo periculosum discrimen subiisset [10]): Ego te, Caesar inquit, laudo et admiror, Boleslae, probitatique tuae gratulor, de qua universo [11]) exercitus mei testimonio mactae [11]) vir virtutis [12]) celebraris; ego [13]) tamen uno offendor, quod [14]) discrimen notorium me neque consulto, neque requisito, aggredi voluisti, qui quanto mihi propinquiori sanguine iunctus es, tanto maiorem in modum amplior dolor et ignominia, si fortuna pro hoste stetisset, ad me videbantur perventura. Nunc quidem tibi, tuisque ausibus facile ignosco; admonitum tamen te esse volo, ne in posterum ad ea, quae cum publico discrimine agenda sunt, iniussu meo caeca temeritate prorumpas. His verbis increpatum, li-

---

[1]) Caesareanos milites *Ed. Dobr.* [2]) et se aperto iniecisset *Cod. Rozr.* [3]) vinci *Cod. Rozr.* [4]) frustra sine ictu currente *Cod. Rozr.* [5]) cecidisset. *Ed. Dobr.* [6]) in terram desiliit *Cod. Rozr.* [7]) magnam *Ed. Dobr.* [8]) Imperatoris *Ed. Dobr.* [9]) praestitam *Ed. Dobr.* [10]) adiisset *Ed. Dobr.* [11]) universus *Ed. Dobr.* [12]) in acie *Ed. Dobr.* [13]) acerrimus *Ed. Dobr.* [14]) eo *Cod. Rozr.* [15]) quia *Ed. Dobr.*

beralissime tamen muneratum dimisit, cui et tum et deinceps et a Caesare et Principibus suis atque universo exercitu maximus pro devicto hoste honos habitus est, in altumque gradum sua crescere, ascendereque coepit aestimatio. Sed et quocumque illum incedere aut versari contingebat, Gigantis tum admiratione omnium demonstrabatur victor, heroica quoque sua virtus universorum sermonibus celebrabatur: fugaverat enim in illo saeculo Israelita Philisteum et loricatum Goliad David inermis in funda et lapide spectatus est occidisse.

Pridie Calendas Iunii Geysa secundus Hungariae Rex, cum annis viginti, mensibus tribus et diebus undecim regnasset, moritur et in Alba Regali [1]) sepelitur [2]); in cuius locum Stephanus filius eius coronatur.

ANNUS DOMINI 1162.

Duorum monasteriorum, videlicet Myechoviensis et Zwyerzinyecensis, per Jaxam fundatio.

Magno in Deum et meritum passionis Iesu Christi miles nobilis Iaxa de Myechow dominicellus et armiger, Cracoviensis diocesis, actus ardore, vir pro ea tempestate magnarum possessionum atque opum [3]), in subsidium Terrae Sanctae personaliter cum familiaribus atque armigeris suis profectus, aliquanto tempore illic moram gessit et enixius quo poterat, pro Terrae Sanctae defensione cum suis militavit. In Poloniam autem reversurus, inter alia suae devotionis insignia apud patriarcham Sacri Sepulchri Ierosolimitani Monachum nomine et eius conventum, sub Sancti Augustini regula Deo militantium [4]), bifurcatamque crucem rubram deferentium [5]), obtinuit, ut secum unus ex canonicis suis in Poloniam, ordinem praedictum plantaturus, mitteretur. Tres itaque villas patrimonii sui, videlicet Myechow, Zagorzicze et Komorow in dotem ordini praefato conferens, in villa principali Myechow (quam nunc in civitatem frequentiam populorum et redituum habentem profecisse [6]) videmus) ecclesiam et primum coenobium de speciali consensu et voluntate Mathaei Cracoviensis episcopi constituit. His quoque non contentus, aliud monasterium in villa sua Zwyerzinyecz propre Cracoviam sita, pro virginibus Praemonstratensis religionis [7]) ordinem [8]) profiteri volentibus, aliquot villis etiam illud dotans erexit. Et ne temporis processu dotatio sua duobus locis

---

[1]) Regali *deest in Cod. Aut.* [2]) honore iusto sepelitur *Cod. Rozr.* [3]) opum abundantia insignis *Cod Rozr.* [4]) militantem *Cod. Rozr.* [5]) deferentem *Cod. Rozr.* [6]) crevisse *Ed. Dobr.* [7]) ordinis *Ed. Dobr.* [8]) religionem *Ed. Dobr.*

praedictis facta, a suis proximioribus [1]) et cognatis posset labefactari aut infringi, suppliciter illam petiit a Boleslao Crispo Polonorum Duce et Monarcha confirmari. Cuius praestantissimis precibus Dux Boleslaus permotus, et operi sancto confirmationem praestitit, et bona utriusque monasterii per Iaxam collata, a ducalibus servitiis, oneribus et tributis liberavit: statuit siquidem, ut homines villarum huiusmodi ad expeditionem [2]) non eant, castra non aedificent, Poradlne et Stroszne non solvant, monetario non obediant, Powoz et Podwodas dare non stringantur. Ea quidem biduo [3]) monasteria, tunc per virum insignem Iaxam in aliquot [4]) villis fundata, expost Ducum, episcoporumque et nobilium Cracoviensium donatione, decimis, oppidis, villis et notabilibus reditibus amplificata atque impinguata sunt. Cuius autem stirpis aut quorum armorum miles Iaxa fuerit, parum ex veteribus autoribus et scripturis [5]) constat, licet aliqui [6]) astruere illum conentur de Griffonum domo et genealogia extitisse.

Radwano Posnaniensi episcopo succedit Bernhardus.

Radwanus Posnaniensis episcopus, cum annis octo [7]) sedisset, a passione iliaca correptus moritur et in Posnaniensi ecclesia sepelitur. Cui Bernhardus primus canonicus Posnaniensis, via scrutinii electus succedit, a Ianislao archiepiscopo Gnesnensi, Myeczslai Ducis Maioris Poloniae patrocinante consensu, confirmatus et consecratus.

Pro tyrannide et saevitia, quam in Lombardos et Tuscos Fridericus Imperator exercebat, ab Alexandro Papa tertio reprehensus, in magnum furoris nubilem [8]) Fridericus Imperator excandescens [9]), dum et a plerisque insimularetur [10]), Mediolanensibus, caeterisque Tuscis atque Lombardis contra Caesarem favisse [11]), Octavianum Cardinalem, qui et ipse a minori parte Cardinalium electus fuerat, contra Alexandrum erigit, qui se Victorem nominavit; qui favore Imperatoris facile universum temporale in Italia dominium, vero Papa Alexandro spoliato, adeptus est. Tantis insuper persecutionibus et insidiis Alexander Papa tum ab Imperatore Friderico, tum ab Octaviano suo competitore, petebatur, quod coactus est Romam et Italiam relinquere et in Franciam se conferre. Quo cum pervenisset, a Lodovigo [12]) Francorum Rege honorifice exceptus atque humanissime habitus et tractatus est.

---

[1]) propinquis *Cod. Rozr.* [2]) ad expeditionem contra hostes *Cod. Rozr.* [3]) duo *Cod. Rozr.* [4]) aliquibus *Ed. Dobr.* [5]) scriptis *Cod. Rozr.* scriptoribus *Ed. Dobr.* [6]) aliqui nobilium *Ed. Dobr.* [7]) sex *Cod. Rozr.* [8]) molem *Ed. Dobr.* [9]) excanduit. *Cod. Rozr.* [10]) Cum vero idem Alexander Papa apud Caesarem a plerisque insimularetur, quod *Cod. Rozr.* [11]) favisset *Cod. Rozr.* [12]) Ludovico *Ed. Dobr.*

Foedere et iuramento, quod Georgius Wlodimirowicz Kyoviensis Dux cum Msczislao Iszaslawicz et fratribus suis Wlodimiro et Iaroslao [1]) pepigerat, temerato, bellum intulit ei: quo dimicare non audente, apud castrum Wladimiriense ipsum cingit obsidione. Fiebant autem per omnes obsidionis dies pugnae horribiles inter obsidentes et obsessos, et sanguinis humani grandis effusio, Polonorum militibus, qui in Msczislai Ducis erant obsequiis, egregia facinora assidue edentibus in obsidentes, et triumphos frequentes referentibus ex iisdem. Contentus [2]) autem erat Georgius Dux pacem dare Msczislao, si illam petere voluisset; sed eo renitente, dum nihil profecisset, multis nobilibus de suis amissis, confusus in Kyow rediit.

ANNUS DOMINI 1163.

Mediolanum diruitur et solo aequatur. Wladislai exulis filii, Imperatore et precibus et minis urgente, comiter a patruis recipiuntur.

Obsidione prope triennali Mediolanensis urbs a Friderico Imperatore fatigata, fame insuper et nece frequenti suorum in dies occumbentium, pluribusque aliis incommodis vexata, tandem vi capitur et expugnatur, cuius muros, turresque Imperator dirui et solo, se inspectante, mandavit aequari. Nec fortunis solum, sed et sacris spoliare urbem victam aggressus, corpora trium Magorum, qui infantiam Domini nostri Iesu Christi venerati sunt, per Sanctum Astorgium ex Constantinopoli miraculose quondam in Mediolanum translata, item corpora Sanctorum Felicis et Naboris, per Rudolphum Coloniensem archiepiscopum in Coloniam mandavit efferri. Mediolano autem diruto, caeterae Lombardiae et Tusciae urbes, praeter Papiam, quae sola Imperatori parebat, in deditionem venere; Imperatorque victoria potitus Principes et gentes auxiliares pro maiori parte in domos remisit, inter quos et Boleslaus Polonorum Dux, spolia victi a se Gigantis, imperatoriaque dona referens, remeabat. Scripsit autem Fridericus Imperator Boleslao Crispo Polonorum Duci et Monarchae, scripsit et Myeczslao, Henricoque Ducibus Polonorum, patruis eius germanis, in favorem Boleslai [3]) literas, virtutem eius magnopere commendans, petens et vigore pactorum secum initorum requirens, ut praefatum Boleslaum et fratres suos Myeczslaum et Cunradum ad suos Principatus et dominia restituerent, praesertim cum pater eorum Wladislaus non exilio solum diuturno, sed et morte scelus in eos admissum expiasset. Nec literis solum contentus, etiam nuntios, qui haec ingeminarent, et si preces et exhortatio-

---

[1]) Isaslao *Cod. Rozr.* [2]) Paratus *Cod. Rozr.* [3]) Boleslai Alti *Cod. Rozr.*

nes [1]) parum proficerent, terrerent, ad Polonorum Duces transmittit, qui Imperatoris nomine apud Polonorum Duces verba [2]) faciunt: Quando, inquit [3]) Caesar, certum et obstinatum animum [4]), noluisse vos in gratiam cum fratre redire, agnovi [5]), eadem necquicquam agendo, illo superstite, frequentius suffragia repetii, quin [6]), quoniam rebus humanis absumptus est, pignorum saltem suorum et vestrorum nepotum vos miserabilis calamitas moveat, pudeatque, qui soli patrii [7]) extorres, alienos lares stipe penè emendicata inhabitant. Hac legatione caesarea Boleslaus [8]), Myeczslaus et Henricus permoti [9]), cum et Caesaris formidarent iram, et nepotum, Boleslai praecipue maioris natu, propter virtutes suas [10]) et decora, misericordia moverentur, petitionibus Caesaris assentiunt [11]), veniam nepotibus se daturos, patriumque [12]) scelus ignoscituros [13]), ut intelligeret illos Caesar suis iustis intercessionibus morigeros, respondent, fratri ideo non ignovisse, ne acceptus [14]) bella et seditiones peiora prioribus seruisset [15]). Responsisque huiusmodi [16]) facta amicitiora adiiciunt, viaticum conferunt, oram Slesiae, quam Odra fluvius percurrit, usque ad terminos Saxonicos et montes Bohemicos protensam, duas habentem insignes, Wratislaviensem et Lubuczensem dioceses, in sortem perpetuae haereditatis illis attribuunt, certosque milites, qui nepotes praedictos ex Almania ducerent, transmittunt: quos advenientes benigne et comiter appellatos excipiunt, ac universam Slesiae regionem usque ad Alpes et silvas Hercinias, Poloniam dividentes a Bohemia, se protendentem in perpetuam illis possessionem atque sortem tradunt. Ut autem oritura inter ipsos nepotes litis occasio demeretur, regionem praedictam Slesiticam tali ordine illis partiuntur: Boleslao siquidem Alto Wratislaviensem [17]), Myeczslao Rathiboriensem et Opaviensem, Cunrado Loripedi Glogoviensem et Krosznensem urbes [18]) cum suis appendiciis largiuntur. Divisione autem huiusmodi inter nepotes celebrata, monet illos Boleslaus Dux Polonorum et Monarcha, quatenus pacifici, sibique velut Monarchae subiecti vivant, paternae quoque tyrannidis caveant imitari, ne calamitate paterna involvantur, temeritatem, neque Principatus a se et fratribus eis largitos iure, sed precario se teneantur [19]) adeptos, benignitate patruorum donatos potius quam redditos [20]). Quod se illi cum patruorum [21])

---

[1]) adhortationes *Ed. Dobr.* [2]) ita verba *Cod. Rozr.* [3]) inquiunt *Cod. Rozr.* [4]) firmo èt obstinato animo *Cod. Rozr.* [5]) cum fratre vivo redire, cognovit *Cod. Rozr.* [6]) et frequentius illo superstite frustra vos solicitaverit, nunc *Cod. Rozr.* [7]) patrimonii *Ed. Dobr.* [8]) His verbis Boleslaus Monarcha *Cod. Rozr.* [9]) Polonorum Duces permoti *Cod. Rozr.* [10]) illius *Cod. Rozr.* [11]) acquieverunt *Ed. Dobr.* [12]) patratum *Ed. Dobr.* [13]) ignoscituros promittunt et *Cod. Rozr.* [14]) ne eo suscepto *Ed. Dobr.* [15]) excitasset. *Cod. Rozr.* fuissent. *Ed. Dobr.* [16]) huiusmodi datis *Cod. Rozr.* [17]) Wratislaviensem et Krosnensem *Ed. Dobr.* [18]) Glogoviensem civitates *Ed. Dobr.* [19]) existiment *Cod. Rozr.* arbitrentur *Ed. Dobr.* [20]) benignitate patronorum donatam, potius quam redditam. *Ed. Dobr.* [21]) patronorum *Ed. Dobr.*

sinceritate custodituros, impleturosque spoponderunt; sed non post multa tempora, sponsione temerata [1]) et pacto, praevaricare quam servare, quod pepigerant, maluerunt. Adhibuit autem quilibet Ducum praefatorum operosam diligentiam, ut sortes suorum Principatuum civili et externo bello vexatas et propterea desertas, in frugem meliorem verterent: eorumque industria brevi regio Slesitica coaluit. Myeczslaus tantummodo Dux [2]) ad id dementiae amore cuiusdam mulierculae infascinatus venit, ut sortis suae notabilem civitatem Opaviam eidem mulierculae perpetua donatione conferret. Cunradus posthaec immatura morte Sexto decimo Calendas Februarii decedens sine liberis, sortem suam, Glogoviensem Ducatum, inter fratres partiendam reliquit.

ANNUS DOMINI 1164.

Boleslaus Polonorum Dux Prussiam ingressus, Pruthenos fidem christianam suscipere et tributa pendere coegit.

Hostili respectu [3]), qui a Caesare, Almanisque propter Ducis Wladislai et filiorum suorum propulsionem et exilium superimpendere videbatur, sublato, cum et ex reliquis regionibus Poloniae Regno vicinis nihil timeretur hostile, Boleslaus Polonorum Dux et Monarcha, communicato fratrum suorum et nepotum Principum Poloniae consilio, expeditionem contra Prussicam [4]) gentem, idololatriae in eam diem deditam, indicit, fidei sacrae catholicae et suae ditioni illam subiugaturus. Convenientibus itaque omnium Principatuum Regni Poloniae copiis, Ossa flumine, qui terras Polonorum a Prussorum [5]) distinguit, superato, Prussiam agmine tripartito ingrediuntur. Primo siquidem agmini Henricus Dux Sandomiriensis praeerat, secundo Myeczslaus Dux Maioris Poloniae, tertium Boleslaus Monarcha ductitabat [6]). Prutheni cum vires suas ad resistendum Polonorum multitudini imbecilles [7]) aestimassent, in silvas, paludesque et loca avia [8]) diffugiunt, noctibus tamen exercitum Polonorum, si quando iniquitas locorum occasionem praebebat, lacessunt, in apertam vero [9]) dimicationem non prodeunt. Iam dimidium eorum regionis Polonorum exercitus, flammas vicis et villagiis, populationem agris ingerens, emensus erat, cum Pruthenorum primores, securitate petita, in castra perveniunt, pacemque petunt, offerentes se obedienter omnia, quae imperarentur, facturos. At Boleslaus Polonorum Dux et Monarcha primum iubet, decernitque, ut si

[1]) violata *Cod. Rozr.* [2]) Opauiensis Dux *Ed. Dobr.* [3]) metu *Cod. Rozr.* [4]) Prussos *Cod. Rozr.* [5]) Prussia *Cod. Rozr.* [6]) ducebat. *Cod. Rozr.* [7]) imbecilliores *Ed. Dobr.* [8]) invia *Cod. Rozr.* [9]) vero *deest in Cod. Aut.*

pacem salutemque accipere velint, vetustis se abdicent gentilitatis sordibus [1]) atque erroribus, fidemque et religionem profiteantur catholicae puritatis; absque renuntiatione idololatricae caliginis nullam se sperent aequam pacem cum Polonis habituros, abdicatis erroribus, aequis conditionibus se pacem daturum. Ea conditio cum durior, acerbiorque Pruthenorum nuntiis videretur, ad suos redeuntes, quid opus facto sit, consultant. Verum etsi multitudinis fremitus ubique coortus conditionem propositam execrari se significasset, a maioribus tamen fremitu sedato persuasum est, ut conditionem ipsam, postquam aliter patria liberari nequiret, acciperent, Polonis abeuntibus illam reiecturi. Ad Boleslaum itaque reversi, vafri, callidique homines, superstitionibus, erroribusque gentilibus renuntiant, fana, idolaque demoliuntur, fidem catholicam profitentur, unda baptismatis, Boleslao et Principibus Polonorum compaternitatem et affinitatem cum his, qui praestantiores erant, contrahentibus, abluuntur, ecclesiae instaurantur et sacerdotes ad erudiendos neophytos, hi praesertim, qui eorum linguam aut sonare aut intelligere noverant, relinquuntur, regio quoque Pruthenica Chelmensi [2]) episcopo committitur cum suis populis in his, quae fidem, administrationemque spiritualium concernunt, propter propinquitatem gubernanda. Universale [3]) denique Boleslai iussu proponitur Pruthenis edictum: omnes fidem catholicam professos, professurosque liberos fore; qui baptismum abnuerent, sub hastam venire. Terruit hoc edictum etiam eos, qui pertinacioris pectoris erant, nemoque venundari pertimescens reperiebatur, qui in baptismum non prorupisset. Maximo universus Polonorum exercitus repletur gaudio et exultatione, Pruthenicum [4]) populum videns ad fidem Christianam, quam aliquando persequi solitus erat, accessisse, ex hostibus quoque infestis fideles et devotos effectos esse. Ea ratione et respectu Boleslaus Polonorum Dux et Monarcha illectus, in fidei sanctae, cuius dilatationem principaliter intendebat, favorem, modico tributo in signum subiectionis Pruthenis imposito, exercitum in Poloniam reducit.

Myeczslao Maioris Poloniae Duci nascitur filius Myeczslaus.

Eudoxia consors Myeczslai Maioris Poloniae Ducis alterum parit infantem apud Posnaniam, qui baptisatus paternum nomen Myeczslaus sortitus est.

In Pannoniorum quoque Regno intestinum bellum [5]) inter duos fratres, Stephanum et Ladislaum, pro imperio exortum [6]) etiam finitimos Reges ar-

---

[1]) idolatriae sordibus *Cod. Rozr.* gentilitatibus *Ed. Dobr.* [2]) Culmensi *Cod. Rozr.* [3]) Universis *Ed. Dobr.* [4]) Pruthenorum *Ed. Lips.* [5]) intestino bello *Cod. Aut.* [6]) exorto *Cod. Aut.*

mis involvit. Ladislaus [1]) siquidem moleste ferens, Stephanum germanum suum natu maiorem in Hungariae Regnum, se praetermisso, sublimatum, suggestionibus, persuasionibusque nonnullorum Hungarorum, qui res novare soliti erant, inflatus [2]) Regnum Hungariae invadit, Wladislaumque Bohemiae Regem multis promissionibus inescatum in sui solatium [3]) accersit: cui Stephanus Hungariae Rex debitam resistentiam oppositurus, Imperatorem Graecorum Calo Iohannem (affinis enim suus ex parte uxoris suae erat) conduxerat. Itaque et a proprio et forensi milite Hungariae Regnum plurimis spoliis et incommoditatibus vexabatur: uterque enim exercitus, Graecus videlicet et Bohemicus, praedis et spoliis contentus, in publicum certamen non prodibat. Tractatu deinde interposito, Ladislaus cum Stephano Hungariae Rege, Imperatore Graeco [4]) et Bohemiae Rege mediantibus, pacificatus est et Transilvanensi regione contentatus. Iunxit et Bohemiae Rex cum Graecorum Imperatore affinitatem, filiam filii sui Friderici nepoti Graecorum Imperatoris dando in consortem.

Quindecima die Maii mensis Georgius Wlodimirowicz Dux Kyoviensis morbo implicatus apud Kyow moritur et in ecclesia Sancti Salvatoris apud Berestow sepelitur. Dum autem [5]) plures Russiae Duces sedem ambirent Kyoviensem [6]), Iszaslaus Davidowicz Dux, faventibus Kyoviensibus, illam est adeptus.

ANNUS DOMINI 1165.

Prutheni a fide catholica, Ducibus Poloniae conniventibus et tributis contentis, desciscunt.

Vafra, ementitaque Pruthenorum in fidem christianam, quam ad retinendam libertatem, vitamque, Boleslao Polonorum Duce et Monarcha cogente [7]), susceperant, religio vix unius anni duravit spatiolo, sed [8]) velut vapor ad modicum parens [9]) evanuit. Prutheni siquidem, tum diabolica suggestione, tum sua temeritate agitati, dum illis orthodoxae religionis iugum asperum, difficileque videretur, tumidasque et inflatas gererent cervices nec dum frenis fidei assuetas, ab imposito nuper iugo religionis christianae resilire coeperunt, ad idololatriae profana conversi, baptismate, quod susceperant, foede [10])

---

[1]) Wladislaus *Ed. Dobr.* [2]) inflammatus *Cod. Rozr.* [3]) in auxilium sibi *Cod. Rozr.* [4]) Graecorum *Cod. Rozr.* [5]) Dum autem post mortem suam *Cod. Rozr.* [6]) Kyoviensem, quam Georgius gubernaverat *Cod. Rozr.* [7]) urgente *Cod. Rozr.* [8]) spatio et *Ed. Dobr.* [9]) apparens *Ed. Dobr.* [10]) fidei *Ed. Dobr.*

temerato, ad profanos gentilium redeunt ritus, ac sacerdotes et ministros Dei pro eorum eruditione a Boleslao relictos, morte interminata, si ad illos revertantur, in Poloniam remittunt. Boleslao autem Polonorum Duci, cum ab illo novum sibi indici bellum vererentur, pro commisso apostasiae facinore satisfacturi, bellumque sibi inferendum aversuri, nuntios et tributa et munera ferentes transmittunt. Orant, ne in culpam illis cedat a fide christiana aversio, se neque Deos suos patrios, quos tantopere coluerant, neque sacra, quibus insueverant, relicturos, religionem christianam gravem illis et difficilem fore, neque gentem Pruthenicam eius legibus teneri quovis pacto posse; non ob id tamen de subiectione et fide semel Boleslao et Polonis praestita, et tributis sibi impositis quicquam aut variaturos, aut diminuturos. Sineret Pruthenos ritibus et sacris suis vivere, sciretque [1]) illos ad vectigalium pensionum solutionem, ad obeunda insuper pro Polonis bella, et ad singula, quae praeter fidem christianam imperarentur, fidos sibi futuros et sinceros esse. Rupturos quoque se minabantur imperium, si non patriis [2]), sed Polonorum et Christianorum ritibus cogantur [3]) vivere. Nefandum, abominandumque Pruthenorum apostasiae piaculum in Deum, fidemque orthodoxam commissum, evidentemque sui Creatoris iniuriam, sive precibus, sive muneribus Pruthenorum Boleslaus Polonorum Dux expugnatus, levius, quam suae conditioni conveniebat, perferre visus, neque illud vindicare, neque rescindere aggressus, dissimulationis torpore in tam flagranti et enormi facinore usus, ubi districtissimae coertionis articulum pro expianda ira Dei, honoranda religione eius et scandalo tollendo, celerrime conveniebat interponi. Legatos Pruthenorum in sua pertinacia et apostasi magis solidatos quam correctos remisit, rerum fidei, rerumque divinarum, quae vitae quoque ipsi anteponendae erant, omnem a se curam prorsus relegans, et coelestibus atque aeternis praeferens caduca et terrena, nihil se laesum, nihilque sibi iniuriatum aut ademptum ratus, si Prutheni in fidei contumeliam ad [4]) idololatriam relapsi, censum se pendere pollicerentur fiscalium tributorum, rebusque suis privatis suum statum, suumque tenorem retinentibus, res fidei aequius lacerari et contaminari patiebatur, in periculosum discrimen iusto Dei iudicio, cuius religionem vindicare distulerat, perventurus. Nec ita multo post Prutheni insolentiores ex impunitate neglecti ritus effecti [5]), suo ingenio uti [6]) et bello rursus Polonos lacessere coeperunt. Abiicienda autem prorsus illa pestifera a ducali autoritate tolerantia [7]) esse debuerat, quae aliis deferendo [8]), se ipsam scelesto facinore et indignatione divina irretiebat, divinae iustitiae excepturus sententiam, quia

---

[1]) sinatque *Ed. Dobr.* [2]) propriis *Cod. Rozr.* [3]) cogerentur *Cod. Rozr.* [4]) in *Ed. Dobr.* [5]) facti *Cod. Rozr.* [6]) usi *Cod. Rozr.* [7]) conniventia *Cod. Rozr.* [8]) parcendo *Cod. Rozr.*

segni indulgentia dissimulavit plectere, qui Deo et fidei orthodoxae inferebant ludibria, peccatores.

Iohanni primo Gnesnensi archiepiscopo succedit Petrus.

Iohannes primus alias Ianislaus Gnesnensis archiepiscopus, annis decem et septem regiminis onere expleto, moritur et in Gnesnensi ecclesia sepelitur. In cuius locum Petrus canonicus Gnesnensis, genere nobilis Polonus de domo Srzenyawa, per electionem canonicam successit, ab Alexandro Papa tertio provisus, a Ducibus Poloniae Boleslao Crispo Cracoviensi et Myeczslao Maioris Poloniae promotione et [1]) consensu subnixus.

ANNUS DOMINI 1166.

Prutheni Polonis rebellant et Culmensem ac Masoviae terras hostiliter invadunt.

Fidei divinisque rebus a Pruthenorum gente in Salvatoris dedecus et contumeliam nefaria apostasi violatis, terrenis quoque rebus, quarum solam integritatem et statum Boleslaus Polonorum Dux sibi rebatur sufficere, addiderunt Prutheni praevaricationem: propriae etenim salutis et fidei foedere impune disrupto, in maiores mox ausus ad excutiendum subiectionis, servitutisque iugum, dilabuntur. Nam Boleslai Polonorum Ducis praefectis vectigales census exigentibus et tributa, non denegant solum, sed et praefectos pluribus iniuriis affectos, quosdam etiam ultimis suppliciis enecatos, cum dedecore a finibus suis discedere compellunt; neque his contenti, maximo exercitu, non ex ingenuis solum, sed etiam ex agrestibus comparato, in Chelmensem [2]) et Masoviae terras nihil tunc hostile veritas, citatiori [3]) quo poterant cursu descendunt, et in plures villas et oppida populatione passim extensa[4]), pecora et quaeque concupiscibilia diripiunt, caedeque crudeli patrata [5]), frequentem captivorum numerum in servitutem suam transportant. Cuius cladis et fraudis nuntium dum Boleslaus Crispus Polonorum Dux accepisset, tumultuario more militibus coactis, patriam liberaturus, pervicaciter accurrit, hostesque praeda rapta, in sua divertisse cubilia, cognoscens, vehementi dolore cruciabatur, et pergeretne hostes insequi, quos in paludes, silvasque constabat esse dilapsos, an subsisteret, consilii inops diu mente ac spiritu afflictabatur.

---

[1]) promotus et eorum *Ed. Dobr.* [2]) Culmenses *Cod. Rozr.* [3]) celeriori *Cod. Rozr.* [4]) patrata *Cod. Rozr.* [5]) praestita *Ed. Dobr.*

Satius tandem visum est, rem in aliud tempus differre: cum et paucitas militum in hoste callido et tam armis, quam ingenio bellare ex insidiis solito, parum tuta foret, maioribusque copiis hosti bellum inferendum, quibus possit et discrimen rescindi, et hostium fraus, temeritas atque rebellio iusta animadversione mulctari. Ea sententia accepta, pluribus in locis praesidia militum ad fluenta Ossae fluvii disposuit, excursiones subitas Pruthenorum prohibitura, bellumque universo Poloniae Regno adversus Prussiam indixit.

Mathaeo Cracoviensi episcopo succedit Gedeon.

Decima Octobris Cracoviensium antistes [1]) Mathaeus, cum annis tribus et viginti sedisset, moritur et in sua Cracoviensi ecclesia honore iusto tumulatur. Cui per divinam et humanam vocationem Gedeon alias Gedka [2]), nobilis de domo et genealogia [3]) Griffonum, Cracoviensis praepositus, successit, ab Alexandro Papa tertio in Galliis agente confirmatus et in die Sanctorum Gervasii et Protasii consecratus. Hic autem Mathaeus episcopus epulis et vanae gloriae intentus, nuntios Ducis Poloniae Boleslai, subsidium pecuniarium ab eo Ducis nomine petentes, adiunctis familiaribus suis, ad cloacae locum remisit, mandans, ut illic thesauros quaererent. Hic sunt, inquit, thesauri mei absconsi [4]), innuens se singulos introitus [5]) episcopales per gulam et ventrem consumpsisse, et pecuniam aliquam inaniter a se postulari.

ANNUS DOMINI 1167.

Duces Poloniae facta expeditione in Prussiam, ductu et fraude transfugarum in loca iniquissima deducti, a Pruthenis facile vincuntur, et Dux Henricus occisus est.

Comparatis omnibus, quae in bellum Pruthenicum providenda erant, Boleslaus Crispus Dux et Monarcha Polonorum primo aestatis tempore copias equestres et pedestres versus Prussiam educit, tanto quidem frequentiores, quanto a vicinarum regionum, quae et ipsae aliis bellis distinebantur, hostili respectu [6]) noverat se solutum. Neque Boleslaum Ducem tantummodo, sed et Myeczslaum, Henricumque fratres, iusta in id bellum stimulabat ira, quippe

---

[1]) episcopus *Ed. Dobr.* [2]) Getko *Ed. Dobr.* [3]) genere *Cod. Rozr.* familia *Ed. Dobr.* [4]) absconditi *Cod. Rozr.* [5]) reditus *Ed. Dobr.* [6]) metu *Cod. Rozr.*

in quorum Principatus et dominia propter contiguitatem Prutheni crebris excursionibus grassabantur: unde et personaliter cum catervis militum suorum advenerant, omnem operam pro exterminanda gente perfida, dolis et fraudibus assueta, navaturi. Non latuit tam studiosus, gravisque Polonorum apparatus Pruthenos, et tam conscientia patrati [1]) a se in Polonos facinoris, quam assiduo rumore et exploratorum relatione, ad excidium, gravesque poenas se didicerant destinatos. Accuratissimis itaque studiis, quibus [2]) Polonorum impetus excipi et sua pernicies evitari posset, consultabant; et cum tam vires suas, quam ea, quae in fidem et in [3]) pacta Polonis promissa moliti erant [4]), metirentur, maiorem in modum universorum animos formido subibat, se quoque neque armis, neque viris (qui [5]) tantum numerum equitum sedecim millia, peditum vero decem millia explere poterant) ad resistendum pares reputantes, omnes conatus ad ingenia, dolosque convertunt, astu, fraudibusque Polonorum potentiam, cum iusta nequirent acie, superaturi. Neque illos spes, opinioque fefellit, sed callido, vafroque eorum ingenio Polonos pro suis transgressionibus iusto puniente Deo, effectus brevi respondit. Erant in Polonorum exercitu quatuor Pruthenorum transfugae, qui Boleslai Polonorum Ducis per moram assiduam, familiaritatem, favoremque meruerant, quibus tanquam locorum peritis, Boleslaus terram Pruthenorum hostilem [6]) ingressus, pro ducibus utebatur, et ex eorum instructione [7]) et arbitrio, et castris eligebantur stativa, et iter, per quod exercitus ducendus esset, quae insuper loca adeunda, quae vitanda, monstrabatur [8]); tantumque sibi fidei transfugae ipsi apud Duces, universumque exercitum Polonorum fideliter sincereque singula advisando, monendoque praestruxerant [9]), ut omnis belli progressus et administratio, salus quoque et periculum exercitus, ex illorum sententia versaretur. Hos Prutheni magnis muneribus, maioribus [10]) promissis corrumpunt, monentque, ut suae patriae, nationisque rationem saltem nunc habere velint: non iam [11]) de subiectione et tributo Polonis pendendo (quod et ipsum turpe, miserumque foret) sed de suo ultimo excidio agi [12]). Cogitarent praeterea, se non in Polonia, sed Prussia genitos esse, suos quoque maiores et consanguineos illic degere; non cunctarent [13]) excidium illi praeparatum avertere et salutem, quam soli facile praestare possunt, dare: cum officium per eos Polonis impensum, bello finito, ad oblivionem recisurum esset, beneficium vero genti suae atque nationi praestandum, cum eorum amplissima laude perpetuo mansurum. His verbis, muneribusque transfugae expugnati, Polonicum exer-

---

[1]) praestati *Ed. Dobr.* [2]) quomodo *Cod. Rozr.* [3]) contra *Cod. Rozr.* [4]) admiserant *Cod. Rozr.* [5]) ut qui *Cod. Rozr.* [6]) hostiliter *Cod. Rozr.* [7]) consiliis *Cod. Rozr.* constructione *Ed. Dobr.* [8]) monstrabant *Cod. Rozr.* [9]) perstrinxerant *Ed. Dobr.* [10]) et maioribus *Cod. Rozr.* [11]) quoniam non *Ed. Dobr.* [12]) agatur. *Cod. Rozr.* [13]) cunctentur *Cod. Rozr.*

citum prodere consentiunt, proditionemque pro libito Pruthenorum componunt. Iam Polonorum Duces et exercitus in Prussiae interiora pervenerant, crudelemque tam puberum quam impuberum caedem edendo, frequentes quoque villas et vicos flammis dederant [1]), in ultima Prussiae, continuando caedes et incendia, transituri [2]). Compositam itaque fraudem et proditionem transfugae executuri, non provisis commeatibus, non exploratis itineribus, sed per invia silvestria [3]) trahebant exercitus Polonorum primum agmen, quod Henricus Sandomiriensis Princeps [4]) ducebat, item et reliqua agmina, quibus Myeczslaus Dux, caeterique praefecti praeerant, postremum deinde quod Boleslaus Monarcha cum exercitatissimis militibus servabat, in saltus primum et silvestres, densaque solitudine rigentes recessus, deinde paludinibus, limosique bituminis lubricitate perpetua obsitis [5]), loca palustria, descensu insuper et congerie imbrium limosa, et quae naturales voraginum abyssos vernantia graminis superficietenus [6]) nati tegebant [7]), inducunt, magnum hominum, pecorisque numerum, locis huiusmodi superatis, assertione dolosa transfugarum [8]), quo minor itineris taedium esset, reperturi [9]). Verum dum iam primum Polonorum agmen ad angustias saltus fraude ducum [10]) perductum esset, Pruthenorum catervae in variis locis ex insidiis prosiliunt, et sagittis eminus emissiis, agmen primum pro temporis et loci necessitate, quam ut [11]) rei militaris ratio et ordo poscebat, instructum, neque progredi, neque cedere valens, letiferis vulneribus, a reciprocis vulneribus ipsi tuti, iniquitate locorum freti, facile parvo negotio fundunt, conficiuntque. Primis ordinibus in palustrem et limosum incidentibus locum, celerius quo poterant incumbebant [12]) hostes, liberius telis confossuri eos, qui a locorum detinebantur voragine: ubi Princeps celeberrimus Henricus Sandomiriensis in acie pugnans, vi telorum oppressus, cum pluribus insignibus militibus occisus, plurimisque vulneribus consertus [13]), prius spiritum, quam bellum deposuit, praestabatque [14]) per virtutem mori, quam ad ignominiam vivere, et armis nequicquam tutantibus [15]), transfossus in terram moribundus defluxit. Et licet secundum et item tertium atque quartum agmen primo auxilium laturum, iniussu Ducum et praefectorum accurrisset, fere tamen singuli, qui incautius studio suis succurrendi erumpebant, aut a coenosis involvebantur, suffocabanturque gurgitibus, aut hostilibus hastis et cuspidibus, in mortem propriam caeca rabie ruentes, quasi quaedam victimae excepti, confossique obtruncabantur; neque enim relinque-

---

[1]) dedendo *Cod. Rozr.* [2]) transire parabant *Cod. Rozr.* [3]) et silvestria loca *Cod. Rozr.* [4]) Dux *Cod. Rozr.* [5]) obsita *Cod. Rozr.* [6]) in superficie *Cod. Rozr.* [7]) tectos *Ed. Dobr.* [8]) transfugis asserentibus *Cod. Rozr.* [9]) Polonos capturos. *Cod. Rozr.* [10]) ductorum *Cod. Rozr.* [11]) aliter quam *Cod. Rozr.* [12]) incumbunt *Cod. Rozr.* [13]) confectus *Cod. Rozr.* [14]) maluitque *Cod. Rozr.* honestius ducens *Ed. Dobr.* [15]) illum tutantibus *Cod. Rozr.*

batur ullum aut cedendi, aut effugiendi in tanta rerum iniquitate spatium, Pruthenis et a fronte, tergoque, et a laeva, dextraque urgentibus et iacula vibrantibus in inclusos. Inter haec tamen limosa paludium et stagnorum vorago omni hoste terribilior videbatur, cuius profunditas, dehiscensque ingluvies armorum pondere pressos plures absorbuit, quam quos hostis cepit aut necavit. De extremis agminibus, quos nondum proditorium torcular involverat, Poloni, cum se in extrema viderent incidisse, et hostibus nihil impeditum, sibi nihil salubre [1]) adverterent, eam tunc de se tamen praestitere virtutem, ut cum primi aut sagittis confecti, aut limo absorpti caderent, proximi iacentibus supergressi, ex eorum corporibus, donec et ipsi telis conficerentur, pugnarent, nihil aliud superesse locorum fraude deceptis, quam solatium honestae mortis, arbitrati [2]). Totum fere illic militiae Polonicae decus barbarorum obtritum rabie, signa Polonica ab hostibus intercepta, corpus Henrici Sandomiriensis Ducis foede et miserabiliter suis insigniis exutum, inter permiscuas [3]) cadaverum strues a coeno devoratum est, si devoratio et mors dicenda est, quam pro patriae pietate et populi sui victoria oppetiit. Uterque Dux Boleslaus et Myeczslaus cum ordinibus, quos ducebant, salvus evadens, dum pro maiori parte suas copias locorum iniquitate deletas vidissent, in Poloniam gemebundus, multos gemitus et eiulatus tum pro cari fratris Ducis Henrici, tum pro militum morte, emittens rediit, reliquias miseri et laceri exercitus reducens. Nec solum tunc, sed et in plures aetates, super tam infelici militum desideratorum morte lugubres voces et lamenta a cognatis, coniugibus et amicis audiebantur: in ipsa siquidem miserabili et miseranda clade Polonorum virtus praestantior confracta et extincta est, et robustissimorum militum flos emarcuit. Nam et relatu perdifficile est perstringere, quantos [4]) ingenuos adolescentes, quot exercitatissimos milites, quos equos, quae arma, quantas substantias, quantas fortunas, clades illa absumpsit, cum barbarorum insatiabilis rabies nulla clementia non in devictos [5]), sed coeno et voragine limosa illaqueatos, mota [6]), passim omnes, nulli deferens aetati vel conditioni, trucidabat, pluribus expost diebus interfectorum aut suffocatorum legens [7]) spolia, et diis suis, sacrilegoque ritui tanti triumphi ascribens [8]) eventum, quem clemens et verus Deus aut ad tergendum [9]), purgandumque scelera Polonorum, aut ad exercendum eos dignatus est inflixisse.

Sedem Kyoviensem Msczislaus Iszaslawicz Wladimiriensis Dux ratus ad se potius, quam ad Iszaslaum Davidowicz pertinere, in huius anni hieme copias contra Kyow ducit. Kyoviensibus autem suo proposito faventibus, Isza-

---

[1]) tutum esse *Ed. Dobr.* [2]) arbitrabantur. *Ed. Dobr.* [3]) promiscuas *Ed. Dobr.* [4]) quot *Cod. Rozr.* [5]) victos *Cod. Rozr.* [6]) usa *Ed. Dobr.* [7]) barbari legentes *Cod. Rozr.* [8]) ascribentes *Cod. Rozr.* [9]) detergendum *Cod. Rozr.*

slaum Davidowicz de Kyow effugat et expellit, sedemque Kyoviensem apprehendit; Iszaslaus autem Davidowicz ex Kyow desiliens in Wyeticze [1]) consedit. Fastidire autem illico coepit Msczislaus Iszaslawicz Kyoviensem sedem, et Rostislao Duce Smolnensi patruo germano accersito, Kyoviensem sibi in [2]) tempore veris resignat Principatum; solus vero in Wladimiriam excedit [3]). Sed nec Rostislao Smolnensi Duci possessio Kyoviensis Ducatus fuit diuturna: quippe et ipse illius regimen perosus, Duci Wlodimiro Msczislawicz, expulsionem veritus, resignat.

ANNUS DOMINI 1168.

Post mortem Henrici Ducatus eius cessit Kazimiro minori fratri, qui uxorem ducit.

Pruthenica clades longa Polonorum regiones caligine, moeroreque [4]) involverat, moestumque et obstinatum silentium aliquantisper fuit, dum ad vehementem dolorem pudor male gesti belli accedebat. In singulis quoque fere domibus et regionibus gemitum et complorationem deletorum fratrum et consanguineorum superstites intenderant, et quicquid ad lenimem, solatiumque exulcerati pectoris ingeri poterat, surdis et obseratis auribus excipiebatur. De ordinando tandem duarum terrarum et Principatuum, Sandomiriensis videlicet et Lublinensis, statu, quorum vacatio ex morte illustris viri Henrici inciderat, conventus per utrumque Principem, Boleslaum videlicet et Myeczslaum, praelatosque et barones Poloniae apud Cracoviam habitus est, ut provideretur, cui eorundem Principatuum deberetur successio, cum Dux Henricus caelibem in illud tempus vitam agens, nullam prolem reliquerit. Et quamvis longa concertatio de partiendis huiusmodi terris Boleslaum et Myeczslaum Duces tenuerit, id tandem post multos tractatus super re huiusmodi interpositos, communi consensu et decreto acceptum est, ut quintus Ducis Boleslai Krzywousty filius Princeps Kazimirus annum tricesimum [5]) supergressus, cui pater moriturus in divisione filiis facta nullam sortem inter fratres reliquerat, in vacantes succederet Sandomiriensem et Lublinensem Ducatus, qui in id tempus nullam propriam et firmam sedem retinens, Boleslai Ducis Cracoviensis et Monarchae liberalitate alebatur. Verum quia praefatus Dux Cracoviensis Boleslaus in administranda Monarchia querebatur, singulis suis introitibus exhaustis [6]), se multipliciter gravatum, extenuatumque esse, elegantior

---

[1]) Wieczice *Cod. Rozr.* Nieczyce *Ed. Dobr.* Nieczyse *Ed. Lips.* [2]) sub *Ed. Dobr.* [3]) recedit. *Ed. Dobr.* [4]) caligine moeroris *Cod. Rozr.* [5]) vigesimum *Cod. Rozr.* [6]) exhaustum et *Cod. Rozr.*

pars Ducatus Sandomiriensis, civitas videlicet [1]) Sandomiriensis cum suis teloneis et districtibus, Duce etiam Kazimiro pro fraterna charitate spontanee[2]) assentiente, sibi decreta et ad vitae duntaxat suae tempora donata est, eo absumpto, ad Kazimirum recisura. Fratribus autem et primoribus Regni cogentibus Kazimirus Dux de Principibus [3]) Russiae, Wszewoldi, virginem Helenam nomine, filiam Principis Belszensis accipit in consortem; nuptiarum solennitas propter cladem nuper apud Prussiam [4]) acceptam omissa [5]).

Parit et hoc anno Eudoxia consors Myeczslai Maioris Poloniae Ducis filium, qui Wladislaus appellatus est.

ANNUS DOMINI 1169.

Filii Wladislai Ducis paternam Monarchiam recuperaturi, bellum movent: quod tandem sedatum est.

Nondum Pruthenicae cladis inflictum vulnus re aut tempore curari coeptum erat, dum Boleslaum Polonorum Ducem et Monarcham novum et intestinum excipit bellum. Nepotes siquidem sui Boleslaus Altus, Myeczslaus et Cunradus Loripes filii Wladislai, quibus de exilio Almanico revocatis Slesianam [6]) partitus erat oram, et paternas et suas in Boleslao Crispo Monarcha iniurias ultum iri satagentes, arma adversus illum expediunt et bellum indicunt, causasque iniuriarum et belli opponunt [7]): quod et Cracoviensem Ducatum ad illos pertinentem detineat, et Monarchiae Principatum, qui illis successione paterna debeatur, usurpet et nonnullas in Slesia urbes, quas sibi Boleslaus Crispus in signum Monarchiae et superioris Principatus retinuerat, in eam diem teneat occupatas; satis quidem et super satis se et in patre et in se ipsis [8]) iniurias longi exilii perpessos esse. Nec post tam diuturnam poenitudinem [9]), quod iustum atque aequum foret [10]), ab iratis patruis percepisse, qui etiam se in vacatione Ducatuum Sandomiriensis et Lublinensis neglexissent, cum illorum aequa eos contingeret successio. Nec propriis tantummodo militibus ad id bellum gerendum contenti, auxiliares quosdam ex Almania propter materni sanguinis affinitatem eis faventes, partim prece et benevolentia, partim pretio acciverant, iustoque exercitu tam ex equestribus, quam pedestribus confecto, civile et domesticum bellum, Pruthenico periculosius ordiebantur [11]), Posnaniensemque districtum et regionem vastabant,

[1]) scilicet *Cod. Rozr.* [2]) ultro *Cod. Rozr.* [3]) Principis *Ed. Dobr.* [4]) in Prussia *Ed. Dobr.* [5]) omissa est. *Ed. Dobr.* [6]) Slesiticam *Ed. Dobr.* [7]) exponunt *Ed. Dobr.* [8]) satis equidem superque se pressos et *Ed. Dobr.* [9]) calamitatem *Cod. Rozr.* [10]) foret, ullam gratiam *Ed. Dobr.* [11]) perniciosius oriebatur *Cod. Rozr.*

cum [1]) praeter insitam animorum irritationem, etiam temporis oportunitate, cum [2]) recens Pruthenica clades legiones, fortunas et vires Polonorum absumpsisset, sollicitabantur. Boleslaus autem Crispus Dux [3]) et Monarcha cum se pridem [4]) et militibus et armis exutum nosset, et qui superstites remanserant, aegre in militiam cogi posse [5]), de pace per communes consiliarios ecclesiasticos et saeculares agendum duxit, et cum nepotibus pro die constituto conveniens, belli causas gravi [6]) et prudenti extenuavit responsione: Ducatum quidem Cracoviensem extra sortem fore, et nonnisi a Monarcha obtineri rite posse [7]); ius vero Monarchiae, patre eorum mortuo, etiam si ab illo deiectus non foret [8]), et quod natu maior esset et universali consensu electus [9]), in se recidisse [10]); urbes vero in Slesia propter Monarchiae ferenda onera legitime reservasse, quod etiam in Ducatus vacatione Sandomiriensis constat eum egisse; Ducatuum Sandomiriensis et Lublinensis [11]) portionem soli Duci Kazimiro, qui solus in eam diem portionis paternae [12]) expers erat, cessisse [13]). Et quamvis iudicio consiliariorum communium Boleslai Ducis responsio singulas nepotum querelas confutasset, et bellum motum et movendum iniustum sibi videri pronuntiassent: eisdem tamen communibus agentibus consiliariis, Boleslaus Monarcha nepotes quietaturus, de urbibus, quas in Slesia tenuerat, cessit et eas inter nepotes sortiri consensit. Magna profecto commendatione ob eam rem dignus, qui ne patriam vulneribus ab hoste inflictis calentem intestino bello involveret, etiam de his, quae legitimo iure obtinebat, excessit et bellum oriens solerti moderamine extinxit: maximo id rei publicae deputans profectui [14]), quicquid pro pace et bono statu patriae suis privatis censibus viderat detractum.

Tres soles in occidente simul visi sunt Nonis Septembris, et post duas horas deficientibus caeteris, qui medius fuit, solus occidit. Simili quoque modo proximis annis tres Lunae apparuerunt.

---

[1]) cum ad id *Cod. Rozr.* [2]) quod *Cod. Rozr.* [3]) Polonorum Dux *Cod. Rozr.* [4]) nuper *Cod. Rozr.* [5]) posse intelligeret *Cod. Rozr.* [6]) brevi *Cod. Rozr.* [7]) posse declaravit *Cod. Rozr.* [8]) etiam si ab eo pater eorum deiectus non fuisset, illo tamen mortuo *Cod. Rozr.* [9]) electus docuit *Cod. Rozr.* [10]) in se iure decidisse *Cod. Rozr.* [11]) Ducatum Sandomirensem et Lublinensem *Cod. Rozr.* [12]) ut qui in eam diem sortis patrimonii *Cod. Lis.* [13]) iuste cessisse disseruit. *Cod. Rozr.* [14]) maximo id rei publicae reputans futurum profectui *Cod. Rozr.* maxime id moderamine rei publicae putavit profuturum *Ed. Dobr.*

ANNUS DOMINI 1170.

Milites Cracovienses Kazimirum Ducem in Monarcham praeficere volunt, quod renuit ipse.

Fraterno et civili bello in ipso sui primordio, antequam in perniciem aliquam serperet, Boleslai Polonorum Ducis et Monarchae prudentia, industriaque oppresso, aliud perniciosius a Cracoviensibus militibus ordiri [1]) in Boleslaum coeptum est, sed iuxta ac superius, in suo ortu modestia Kazimiri Sandomiriensis Principis succisum [2]). Iaxa siquidem de Myechow et Swantoslaus milites, et pene universi Cracoviensium proceres Boleslai Crispi imperium segnius, quam rei publicae variis calamitatibus pro eo tempestate afflictae expediebat [3]), administrantis perosi, in eius destitutionem conspirant, Monarchiaeque Principatum et regimen Kazimiro Sandomiriensi Duci mandandum decernunt: ad quod illos non solum Boleslai segnities et confracta, exhaustaque [4]) aetas, sed singularis et admiranda Kazimiri probitas, mirificis actibus quotidie se diffundens, et [5]) ne Boleslao absumpto Myeczslaum Senem Maioris Poloniae et Pomeraniae Ducem suscipere, velut natu maiorem, cogerentur, instigabant respectus. Verum Kazimirus Sandomiriensis Dux a Iaxa, Swantoslao, caeterisque Cracoviensibus militibus rogatus, ut Monarchiae regimen universali consensu sibi delatum, ne per Boleslai torporem [6]) periclitatum illud iri amplius contingeret, acceptare dignaretur, respondet: Iniquum et acerbum sibi videri, strenuissimo Principe Boleslao, non germano solum, sed suae iuventutis benigno alumno [7]), et quod his praestantius est, optime de re publica merito, propulsato, et propter grandaevum senium excluso, Monarchiae occupare Principatum. Se quidem eorum aestimationi [8]) gratias agere, et gratiam, quod se Principatu dignum iudicarunt, referre velle; sed nullo pacto in tam scelus detestandum, quo et patria exturbanda esset et Boleslaus frater, quem privato etiam in hanc diem coleret officio, violandus, puritas quoque sua contaminanda esset, assensurum. Nossent praeterea se sic institutum, qualificatumque esse, ut nedum Boleslaum Ducem et Monarcham afficere velit qualicunque iniuria, sed vitam et fortunas pro eius defensione oppositurum. In hunc morem [9]) Cracoviensium militum gliscens in Boleslaum Ducem seditio extincta est.

---

[1]) excitari *Cod. Rozr.* [2]) succisum est. *Cod. Rozr.* [3]) conveniebat *Cod. Rozr.* [4]) exustaque *Ed. Dobr.* [5]) tum *Cod. Rozr.* [6]) ne Boleslai tempore *Ed. Dobr.* [7]) curatore *Cod. Rozr.* [8]) Se quidem illis pro ea propensione *Cod. Rozr.* [9]) modum *Cod. Rozr.*

Rudgero episcopo Wladislaviensi succedit Wernerus, et Waltero Wratislaviensi Ziroslaus.

Rudgerus Wladislaviensis episcopus, cum annis novem sedisset, absumptus est et in Wladislaviensi ecclesia sepultus [1]), Wernerum natione Almanum, canonicum Wladislaviensem, a capitularibus electum et per Alexandrum Papam tertium provisum, habuit successorem.

Sexto Calendas Februarii Walterus Wratislaviensis episcopus obiit colica vexatus, qui duobus et viginti annis cathedrae praesidens, Wratislaviensem ecclesiam ligneam reperiens, pulcherrimo muro fabricavit, et Lugdunensis Galliarum ecclesiae cerimonias, ordinem et cantum in eam introduxit. Huic Ziroslaus natione Polonus et genere nobilis successit via scrutinii electus, a Petro secundo archiepiscopo Gnesnensi, Boleslai Alti Ducis Wratislaviensis accedente patrocinio et consensu, confirmatus et in ecclesia Calissiensi consecratus, ex familia Rosze [2]) ducens ortum.

Swanthopelk filius Wladislai Regis Bohemiae in exilium pellitur.

Swanthopelk Wladislai [3]) Regis Bohemiae filius seditionem in patrem commovens, Woyslaum [4]) baronem, cuius consiliis Wladislaus Rex regebatur, inter manus [5]) Iudithae Reginae conantis illum defendere, transfossum occidit. Pro quo facinore in exilium a patre relegatus, primum in Hungariam, deinde in Almaniam se conferens, vagus et exul [6]) in Bohemiamque, ne a necessariis Woyslai [7]) sustineret periculum, redire formidans, in Almania occubuit.

Grandi indignatione Mstislaus [8]) Iszaslawicz Wladimiriensis Dux stimulatus, Wlodimirum Mstislawicz, quod patruum suum Rostislaum de Kyow eiecerat, de [9]) Kyow propellit. Quo ad Polowczos diffugiente, Mstislaus Iszaslawicz possidere Kyow coepit. Quod Andreas Dux de Szuszdala [10]) non ferens, filium suum Mstislaum cum Rostowczis et Wlodimirczis contra illum mittit. Cui auxilium laturi (tantus quippe livor [11]) pectoribus multorum contra Mstislaum Iszaslawicz insederat) novem Russiae Duces conveniunt, videlicet Hleb Pereaslawsky [12]), Romanus Smolnensis [13]), David Wiszehrodensis [14]), Wlodimir Andrzeowicz, Demetrius Georgii, Georgius et Slawyecz [15]) germani, Olch et

---

[1]) sepelitur *Ed. Dobr.* [2]) Rosae *Cod. Rozr.* [3]) Wladimiri *Ed. Dobr.* [4]) Vislaum *Ed. Dobr.* [5]) in manibus *Cod. Rozr.* [6]) vagus, exulque vivebat et *Ed. Dobr.* [7]) Vislai *Ed. Dobr.* [8]) Msczislaus *Cod. Rozr.* [9]) ex *Ed. Dobr.* [10]) Susdal *Ed. Dobr.* [11]) tantum quippe odium *Cod. Rozr.* [12]) Olech Pereaslaviensis *Ed. Dobr.* [13]) Smoliensis *Ed. Dobr.* [14]) Wyssegradiensis *Ed. Dobr.* [15]) Slaniecz *Cod. Rozr.* Slawic *Ed. Dobr.*

Gregorius Swanthoslawiczi [1]). Et obsidentibus Ducibus praefatis Kyow, claudit se Mstislaus Iszaslawicz in arce, pluribus diebus tolerans obsidionem; sed famem non tolerans, ex Kyow cum fratre suo et paucis comitibus in Wladimiriam effugit. Duces autem arce potiti, consortem Mstislai et filium et milites captivant; Kyoviensem autem civitatem dant militibus in praedam, qui non domos tantummodo civium [2]), sed et aedes sacras, monasteriaque diripiunt. Locat autem Mstislaus Andrzeowicz patruum suum Hleb in Kyow, qui sedem illius nactus, filio suo Pereaslaviensem contulit Principatum.

Wernerus episcopus Ploczensis opera Bolestae castellani Wisznensis occiditur, atque ob id castellanus ipse publice crematur.

Obtinebat ea tempestate in annum quartum decimum Ploczensem ecclesiam vir mirificus Wernerus, et devotionis in Deum rarae [3]), et vitae nitidae, integrae atque religiosae, egregia animi pollens virtute atque probitate, doctrina insuper eleganti cum summa humanitate coniuncta. Is cum villam ecclesiae suae Ploczensis Karszko vocatam a satrapa Masoviae Bolesta castellano Wisznensi, pro insigni armorum babatum deferente, tam divitiis, quam amicis potente, primum invadi, ad extremum occupari sensisset, personali et benigna primum admonitione, deinde per amicos communes apud illum egit, ut propriis contentus, sortem Deo dicatam desisteret usurpare, ultionis divinae iudicium, si in proposito perseverandum duceret, non evasurus. At ille ex adhortatione huiusmodi insolentior factus, plura insuper se, si impetatur, occupaturum et de episcopo Wernero extrema supplicia sumpturum, respondet. Intelligens itaque Wernerus episcopus modestiam suam apud hominem sensus reprobi et ambitione caecati, nullius usus fore et admonitiones suas contemptum iri, in ius illum municipale, quod vocitamus terrestre, pertraxit, existimans suae avaritiae molimina [4]) vel iuris rigore posse retundi [5]). Ventilato autem iudicio, dum in causa non dubia iudex tempus teri non passus, Wernerum episcopum pronuntiasset victorem, et illum decreto suo in villae Karszko per scelus et iniquitatem Bolestae ablatae possessionem misisset, Bolesta extunc bilem non temperans et plura in praesulem beatum iura suae ecclesiae defendentem maledicta evomens, ad trucidandum episcopum animum et conatus omnes destinat, oportunitate data, quamprimum destinata [6]) executurus. Erat illi [7]) cum Pruthenicis populis idololatris [8]), et ob propinquam vici-

---

[1]) Swantopelkowic *Ed. Dobr.* [2]) canonicorum *Ed. Dobr.* [3]) singularis *Cod. Rozr.* [4]) ingluviem *Ed. Dobr.* [5]) confundi. *Ed. Dobr.* [6]) institutum *Cod. Rozr.* propositum *Ed. Dobr.* [7]) Bolestae *Cod. Rozr.* [8]) idolatriae deditis *Ed. Dobr.*

nitatem et morum parilitatem [1]), frequens usus, frequensque familiaritas et communio: in illo enim Wisznensis orae angulo positus, summae rerum a Boleslao Polonorum Monarcha et Duce delegatus praeerat, et adeuntibus se cum querelis variis, furta, spolia, invasiones et nonnullas alias iniurias continentibus, Pruthenicis populis iura de Polonorum regionibus aut reddebat, aut bella orientia administrabat, aut per pacis et sufferentiarum [2]) conditiones extinguebat; nonnunquam legationibus Pruthenorum et muneribus, iuxta morem gentis sibi allatis, duplici foenore, quo illos sibi devinctos magis, et in sua beneplacita exequenda, commodaque augenda, proniores efficeret, respondebat. Pruthenorum itaque ad illum grandi multitudine, dum apud castellaniam suae ditionis Wisznensis ageret, veniente, largitionibus et promissis illos inescatos ad domicilium suum perducit, et noctem insequentem, variis eos onerando comessationibus, absumit. Cumque ex longaeva [3]) crapula et ebrietate hilariores videret effectos, et per exploratores certior factus [4]), didicisset, Wernerum episcopum in Biskupicze villam suam postridie advenisse, Byenyassium germanum cum exprobratione compellat dicens: Cur tu, inquit, sacerdotem nefandum, Wernerum episcopum, sub nostris oculis nostra occupantem non violas? non extinguis? Qui fraternas iussiones impleturus, omnium Pruthenorum, qui tunc aderant, Bolesta mandante, comitatus caterva, in Biskupicze processit, et antelucano tempore illuc, quemadmodum animo gestiebat, perveniens, Wernerum episcopum in dormitorio suo quiescentem una cum fratre Benedicto ordinis Sancti Benedicti monacho, cuius [5]) et aliorum religiosorum idem Wernerus episcopus foris et extra [6]) et ubilibet locorum pro contubernio ad cohonestandum testimonium vitae suae utebatur, in cubile irruens, seris effractis [7]), frequentibus percussionum generibus utrumque quarto Februarii die perimit et obtruncat, superiectis deinde in funera tapetis, paleis et sarmentis abscedit, pro parricidio in virum Dei commisso a Bolesta non secus quam [8]) hostem infestum debellasset, commendatus. Antistitis autem Werneri cubicularius, qui se metu mortis subtus pontificalem lectum occuluerat [9]), universam tyrannidem, quam Byenyassius in Christum Domini Wernerum exercuerat, speculatus, altero die detexit et publicavit. Ex eo autem tempore et in post carnifex [10]) Byenyassius nusquam apparuit, a nullo unquam homine visus: quapropter universali aestimatione creditum est, illum tertia die, quam [11]) parricidium peregisset, terram vivum absorbsisse et neci pontificis innocenti iustissimo Dei iudicio parentasse. Sed et Bolesta castellanus Wisznensis, qui principalis autor extitit, virum iustum, sanctum et pontifi-

---

[1]) similitudinem *Cod. Rozr.* pravitatem *Ed. Dobr.* [2]) concordiae *Cod. Rozr.* [3]) longa *Cod. Rozr.* [4]) effectus *Cod. Aut.* [5]) huius enim *Cod. Rozr.* [6]) domi et foris *Cod. Rozr.* [7]) effractis *deest in Cod. Aut.* [8]) quam si *Ed. Dobr.* [9]) occultaverat *Ed. Dobr.* [10]) crucifex *Cod. Calv.* [11]) postquam *Cod. Rozr.*

cali dignitate [1]) praeditum, per scelus occidendi, saeva [2]) et digna morte interiit. Corpus episcopale in Ploczensem delatum ecclesiam planctu magno virorum ecclesiasticorum honorifica sepultura terrae mandatum est, et in locum illius Lupus canonicus Ploczensis successit. Principatus autem suos et dominia Boleslaus Polonorum Dux [3]) vehementer ob pontificalem necem afflictos et affligendos pertimescens (iam siquidem Petrus Gnesnensis archiepiscopus in provinciam Poloniae universam, coepiscopis perprius [4]) consultis, generale protulerat interdictum) missis militibus Bolestam captivat, et Gnesnam perductum, conventu generali indicto, sub praesentia praefati Petri Gnesnensis archiepiscopi, Gedeonis Cracoviensis, Bernhardi Posnaniensis episcoporum et universorum procerum Poloniae iudicium contra illum, cui solus praesidebat, instaurat, et pro facinore in Christum Domini Wernerum commisso, Bolestam in iudicium productum et scelus suum inficiare, scientem se multitudine testium convincendum, non audentem, definitiva sententia flammis exurendum condemnat. Nec simplici cremationis genere in eo contentus, tela recenter texta et cera oblita circumvolutum in circulo civitatis praefatae Gnesnensis, validi ignis incendio, se et universa sua militia inspectante, extinxit [5]), iram quoque divinam propter scelus parricidii in se et gentem suam saevituram [6]), saeva quidem, sed iusta ultione de reo sumpta expiavit. Coepit autem extunc et deinceps vir beatus Wernerus signis mirificis clarescere, et ad sui nominis invocationem [7]) claudis gressum, caecis visum, leprosis mundationem, paralyticis restaurationem, mortuis vitam, pluraque alia, pro quibus interpellabatur, beneficia conferre, ut nihil dubitandum sit, virum illum tum pro vita laudabili sancte et innocenter transacta, tum pro sanguine in defensam [8]) suae ecclesiae fuso, laureolam meruisse, animarum quoque sanctarum potitum consortio, praemio aeternae retributionis et visione divina perfunctum esse. Sedit ipse Wernerus in sede Ploczensi annis quatuordecim, cui viduatae Lupus custos Ploczensis post monstruosam electionem de tribus factam, succedit, nobilis genere de familia Godzamba [9]), a Petro Gnesnensi archiepiscopo, Boleslao Crispo Poloniae Duce et Monarcha eius promovente electionem, confirmatus et consecratus.

Fundatio hospitalis Sancti Iohannis Ierosolimitani in Posnania per Myeczslaum Maioris Poloniae Ducem.

Pridie Nonas Maii, Myeczslaus sive Myeschko Maioris Poloniae et Po-

[1]) virtute *Cod. Rozr.* [2]) iusta *Ed. Dobr.* [3]) Dux et Monarcha *Cod. Rozr.* [4]) praelatis prius *Cod. Rozr.* [5]) combussit *Cod. Rozr.* [6]) venturam *Cod. Rozr.* [7]) invocationem exaudire *Ed. Dobr.* [8]) defensionem *Cod. Rozr.* [9]) Godziemba *Cod. Rozr.*

meraniae Dux pietatem, quam in egenos et miserabiles personas in civitate sua Posnaniensi degentes gestabat pectore, expressurus opere, de consilio Radwani [1]) Posnaniensis episcopi hospitale in Posnania ad ecclesiam beati Michaëlis fundat, et illius curam et gubernationem fratribus Domus hospitalis Sancti Iohannis Ierosolimitani committit, assignans et donans eidem hospitali in perpetuam dotem villas suas ducales: Nithcowi [2]), Iagodno, Samoczirnska [3]), Gorka, Glinka, Gosztowo, Gleyszowo [4]), Czirnyelino [5]), Iarognyewy, cum omnibus earundem villarum ascripticiis [6]) et appendiis [7]) universis. Pro cuius subsistentia uberiori Radwanus episcopus Posnaniensis praefatus decimas in villis praefatis, nec non et decimas in villis Milostowo [8]), Andrzeowo, Wygonowo, Wyelike [9]), Zuchilyecz [10]), Oberzekye [11]), Lipnicza, ad mensam suam episcopalem pertinentes dedit perpetuo, inscripsit et donavit, pia liberalitate locum praefatum insigniens.

ANNUS DOMINI 1171.

Ecclesiae Kelcziensis per Gedeonem episcopum Cracoviensem fundatio et dotatio.

Cracoviensis episcopus Gedeon cultum divinum in sua diocesi ampliaturus, in vastis tunc et ab hominum habitatione longius porrectis nemoribus oppido Kelcze [12]) aedificato, ecclesiam illic de saxo quadrato et artificis subtilitate proportionabiliter informato [13]) fabricat, et quatuor dignitates, videlicet praepositurам, decanatum, custodiam et scholastriam, sex quoque praebendas [14]), decem insuper vicarios in ea fundat, ac huiusmodi dignitatibus, praebendis et vicariis, de bonis mensae episcopalis, capituli Cracoviensis communicato consilio, sufficientem dotem in villis, decimis, caeterisque introitibus consignat, ordinans et instituens, ut in eadem Kelcziensi ecclesia ad honorem et titulum Dominae nostrae gloriosae Virginis Mariae dicatae, nocturnis et diurnis temporibus canonicae horae explerentur. Felicem hunc praesulem et rarae devotionis ac zeli quis neget fuisse? Cui et fabricam ecclesiae, in qua materiam superat opus, et salutarem eius dotationem, pro qua perennem adeptus est vitam, videmus contigisse [15]).

---

[1]) Rodowani *Cod. Aut.* [2]) Niechrowy *Cod. Rozr.* Nitczow *Cod. Lig.* [3]) Samoczyrska *Ed. Dobr.* [4]) Gleyzevo *Cod. Rozr.* Gleiszow *Cod. Lig.* Gleczowo *Ed. Dobr.* [5]) Czerlienino *Cod. Rozr.* Czernielino *Cod. Lis.* Cerlenino *Ed. Dobr.* [6]) pertinentiis *Cod. Rozr.* [7]) appendentiis *Ed. Dobr.* [8]) Mielostowo *Ed. Dobr.* [9]) Wielikie *Ed. Dobr.* [10]) Zuchielecz *Cod. Rozr.* Zuchelecz *Ed. Dobr.* [11]) Obrzel *Cod. Rozr.* [12]) Kielce *Ed. Dobr.* [13]) proportionaliter formatam *Ed. Dobr.* [14]) praebendarios *Ed. Dobr.* [15]) successisse. *Cod. Rozr.*

Polowczy ea aestate in magna multitudine glomerati in Russiam contra Kyow adveniunt, vastationeque longius, cum repressionem non sentirent, extensa, plurimos mortalium utriusque sexus cum pecoribus et pecudibus, spoliisque multis captivant. Et dum praedam ad satietatem usque raptam reducerent, de mandato Hleb Ducis Kyoviensis Michalko [1]) frater suus Dux cum Ruthenorum copiis eos persecutus, bis una die cum illis conflixit, et victor in utroque congressu evadens, omnem praedam, quam ceperant, liberavit [2]).

ANNUS DOMINI 1172.

Imperator vivente Alexandro Papa tertio, successive contra eum tres Antipapas constituit: quem Alexander anathemisat et obedientiam praestare prohibet.

Turbatio Ecclesiae Dei (quam ex pestifero schismate in superioribus ortam monstravimus) fere Christianitatis universae regiones armis, cladibus, odiis et bellicis stridoribus involvens, pervicatius atque magis ignite furere et grassari coepit, Friderico Romanorum Imperatore materiam et alimentum schismati subministrante. Nam etsi Octaviano, qui se Victorem nominabat, mortuo, pax Ecclesiae sperabatur facile perventura, Imperator tamen Fridericus in Alexandri Papae tertii despectum schismati suapte defluenti et extincto novas vires adiecit, et in locum Octaviani Guidonem Cremensem [3]) Presbyterum Cardinalem, qui se Paschalem [4]) nominabat, quo [5]) mortuo, Iohannem Fremensem Presbyterum Cardinalem, qui se Calistum appellavit, quo similiter pereunte, quartum [6]) Laudonem, qui se Innocentium vocitabat, surrogabat. Alexander autem Papa in Galliis consistens [7]), tam Fridericum Imperatorem et suos in Papatu [8]) adversarios et contendentes, et [9]) omnes illi adhaerentes, velut verus et legitimus Christi Vicarius gravi anathemate percellebat, prohibens Friderico a civitatibus Italiae obedientiam praestari: quapropter civitates Italiae suapte [10]) Friderico ob eius tyranidem infensae, rebellione facta, gravibus bellis Imperatorem Fridericum conquassbant. Fridericus autem Imperator iam non [11]) Italiae civitatibus, quam Francorum [12]) Regi Ludovigo, cuius auxilio, brachioque Alexander Papa roborabatur, iratus, in Gallias exercitum Bohemorum et Dacorum solatiis [13]) auctum, Franciae Regnum desolaturus promovit. Cui Ludovigus Franciae Rex Regis Henri-

1) Midralko *Ed. Dobr.* 2) liberavit et cum exercitu suo incolumis in Russiam reversus est. *Cod. Rozr.* 3) Fremensem *Ed. Dobr.* 4) Calixtum *Ed. Dobr.* 5) quo item *Cod. Rozr.* 6) tertium *Ed. Dobr.* 7) existens *Cod. Rozr.* 8) Pontificatu *Cod. Rozr.* 9) quam *Cod. Rozr.* 10) sua sponte *Cod. Rozr.* 11) non tam *Ed. Dobr.* 12) Franciae *Ed. Dobr.* 13) auxiliis *Cod. Rozr.*

ci Angliae adiutus solatio [1], obviam processerat decertaturus. Interim tamen Friderici Imperatoris exercitum iam in Burgundia agentem epidimia invadens miserabiliter prosternit et coepto irrito desistere coegit. Sub hoc autem schismate in plures annos continuato Almaniae, Bohemiaeque regiones Friderici Imperatoris factionem secutae, Antipapas ab eo constitutos pro Summis Pontificibus adorabant: Polonica vero ecclesia et regio, omni periculo, quod sibi ab Imperatore, Almanisque imminere poterat, contempto, veri et legitimi Papae Alexandri [2]) obedientiam sectabatur, eius quoque mandatis et decretis parendo, Imperatorem Fridericum, Reges, Principes et episcopos sibi adhaerentes excommunicatos denuntiabat.

Boleslaus filius maior natu Boleslai Crispi Monarchae moritur.

Lugubris insuper casus Boleslaum Crispum Poloniae Ducem et Monarcham eo anno excepit: filius etenim suus maior natu Boleslaus (cui [3]) pater propter ingenitam indolem et virtutes in eo relucentes, quod [4]) aetatis provectioris erat et sibi in Regno successurus videbatur, maiori afficiebatur charitate) [5]) languore correptus diem obiit. Cuius mortem Boleslaus pater gravi et immodico dolore, luctuque prosecutus, nullis consiliorum persuasionumque, quae illi ingerebantur, remediis, ne fletibus, luctibusque indulgeret, poterat averti, moerorem suum consolatu difficilem et multiplici necessitudinis nomine, quam ut verbis levari posset, disserens et demonstrans graviorem.

Moritur Hleb Kyoviensis Dux, postquam annis duobus in Kyoviensi Principatu sedisset, et in ecclesia Sancti Salvatoris in Berestow sepelitur. Andreas autem Dux de Szuszdal [6]) Ducem Smolnensem [7]) Romanum in locum eius substituit, et eum ad principandum in Kyow transmittit. Qui Kyoviensis Ducatus regimine suscepto, filium suum Iaropolk locat in Smolensko, quem processu temporis Iaroslaus Iszaslawicz de Kyow expulit, et in sede Kyoviensi consedit.

ANNUS DOMINI 1173.

Boleslaus Crispus Poloniae Monarcha, uno Lestkone relicto, moritur.

Moerore pro filii occasu tempore magis quam ratione in Boleslao Polo-

[1]) auxilio *Cod. Rozr.* [2]) Alexandri tertii *Cod. Rozr.* [3]) in quem *Cod. Rozr.* [4]) tum quod *Cod. Rozr.* [5]) ferebatur amore *Cod. Rozr.* [6]) Susdal *Ed. Dobr.* [7]) Smoliensem *Ed. Dobr.*

norum Duce et Monarcha sanato, repentinus languor Boleslaum invadit. Hunc cum in se grassari sensim adverteret, Kazimirum Sandomiriensem Principem, fratrem natu minorem, praelatosque et barones Regni ad se mandavit accersiri, sub eorumque praesentia tam de Principatibus et terris eum iure successionis contingentibus, quam de rebus, thesauris et clenodiis ordinavit. Et filio quidem unico, quem relinquebat [1]), Lestkoni [2]), Masoviae et Cuiaviae [3]) Ducatus legat, Ducem vero Kazimirum germanum suum curatorem filii et Mariae Ducissae consortis suae designat, Kazimirum obsecrans, ut eam vicem suo filio Lestkoni praestet, quam meminit sibi ab eo in suae orphanitatis articulo praestitam fuisse, parentemque magis quam curatorem et patruum in nepote agat, cum favore paterno semper a se tractatus et habitus sit, fructum etiam curationis huiusmodi percepturus. Nam si Lestkonem sine prole excedere contigerit, Kazimiro fratri tam Masoviae, quam Cuiaviae Ducatuum [4]) legat legitimam successionem, ipsum solum testamenti a se tunc conditi vigore decernens in utrumque Ducatum, filio Lestkone obeunte, successurum. Thesaurum deinde, vasa quoque et clenodia ducalia inter coniugem suam Mariam et Kazimirum Sandomiriensem Ducem, filiumque Lestkonem, nepotem [5]) partitur. Omnibus insuper ecclesiasticis Sacramentis devote et catholice perceptis penultima Octobris in arce Cracoviensi spiritum exhalat, et in Cracoviensi ecclesia a Duce Kazimiro Sandomiriensi, Gedeone Cracoviensi episcopo, consorte Maria et filio Lestkone, caeterisque praelatis et baronibus Regni iusta funeri solventibus, sepelitur, cum in administratione Monarchiae Regni Poloniae annos triginta uno minus [6]) exegisset.

Myeczslaus Senex in Monarcham Poloniae eligitur.

Post mortem autem Boleslai Crispi Polonorum Ducis et Monarchae fit in Cracoviam [7]) tam Myeczslai Maioris Poloniae et Pomeraniae, quam Kazimiri Sandomiriensis, Boleslai, Myeczslai et Cunradi Slesiae Ducum pro substituendo novo Monarcha conventus. Et licet Cracovienses summa vi, summisque conatibus adniterentur, quatenus in Monarchiae Principatum Kazimirus Sandomiriensis Dux succederet, a consiliariis tamen et baronibus Maioris Poloniae, Slesiae, Pomeraniae, caeterarumque regionum, in Myeczslaum Senem vocitatum, Maioris Poloniae et Pomeraniae Ducem suffragia ferentibus, victi desistunt. Itaque Myeczslaus Dux et Monarcha Polonorum universali consensu

[1]) relinquerat *Ed. Dobr.* [2]) Leszkoni *Ed. Dobr.* [3]) Masoviensem et Cuiaviensem *Ed. Dobr.* [4]) Ducatus *Ed. Dobr.* [5]) nepotem *sic in Cod. Aut.*; *in Cod. Rozr. et Ed. Dobr. deest.* [6]) novem et viginti *Cod. Rozr.* unum et triginta *Ed. Dobr.* [7]) Cracoviae *Ed. Dobr.*

Ducum, praelatorum et baronum [1]) declaratus, Monarchiae suscipit Principatum, et Cracoviensis arx, civitas et provincia suae traduntur ditioni; neque enim Kazimirum Sandomiriensem Ducem propter livorem et discordias inde orituras, Duci Myeczslao, velut natu maiori placebat praeferri. Spes quoque omnium animos subibat, Myeczslaum Senem in administrando Principatu sectaturum iusta et legitima, et suo prudenti regimine splendorem et amplitudinem illi adiecturum.

Stephanus Hungariae Rex a propriis militibus rebellionem et seditionem passus, in die Sanctorum Gervasii et Protasii, multis Hungaris corruentibus, confligitur [2]), et in castrum Zemplin fugiens, Tertio Idus Aprilis moritur; cui Bela frater eius et filius Geysae, furum et latronum persecutor succedit.

[1]) baronum Poloniae *Cod. Rozr.* [2]) profligatur *Cod. Rozr.*

LIBER SEXTUS.

ANNUS DOMINI 1174.

Myeczslaus Poloniae Monarcha elatus potentia, fit scelestissimus Princeps.

Monarchalem sellam [1]) Myeczslaus Maioris Poloniae et Pomeraniae Dux, ex obitu Boleslai Crispi electione et consensu universali adeptus, spebus [2]) Polonorum, beatam et tranquillam vitam sub sua [3]) praesidentia et regimine se ducere [4]) gloriantium, non respondit, sed mox sui regiminis primitias tyrannide et oppressione foedavit. Qui etsi ob singulare, rarumque sapientiae specimen ab annis adolescentiae in eo [5]) relucens, Senis cognomen fuerat sortitus, res tamen secundae, quibus in sublime actus fuerat, mentem suam a iusto et recto creduntur avertisse. Erat siquidem Myeczslaus praefatus et quinque filiorum, videlicet Ottonis, Stephani, Boleslai, Myeczslai et Wladislai, quorum primos duos ex filia Regis Hungariae, reliquos tres ex consobrina Friderici Imperatoris susceperat, et plurimarum filiarum coniugio, magnarum insuper opum affluentia clarus et insignis. Cum finitimis enim Principibus affinitates [6]) iungens, Sobieslao Bohemorum Duci unam, Saxoniae Duci alteram, Friderico Lothoringiae [7]) Duci tertiam, Boguslao Maritimae orae Duci et filio eius Boguslao quartam et quintam filias locaverat. Haliczicnsis insuper Principis filio Ottoni [8]), Boleslao Ducis Pomeraniae et Wladislao Ducis Rugiae filias in consortes susceperat, cum residui duo filii Stephanus et Myeczslaus caelibes decessissent. His et pluribus aliis fortunae donis onustus, omnium mortalium felicissimus habebatur; verum utriusque boni, rectae videlicet mentis et fortunae largitionem Myeczslaus diutius non tulit, sed donis

[1]) Monarchiae sedem *Cod. Rozr.* Monarchale solium *Ed. Dobr.* [2]) opinioni *Cod. Rozr.* [3]) illius *Cod. Rozr.* [4]) ducturos *Ed. Dobr.* [5]) in eo *deest in Cod. Aut.* [6]) affinitatem *Ed. Dobr.* [7]) Lotharingiae *Ed. Lips.* [8]) Filiis insuper suis, Ottoni Haliciensis Ducis *Cod. Rozr.*

gratuitis abutens, multifarias exactiones, calumnia et iniquitate oblitas [1]), in subditos visus est congessisse: ad quod non solum proprio ferebatur ardore, sed etiam perversorum consiliariorum, et signanter Henrici de Kyetlicz, villa prope Budissin [2]) sita, qui omnium suarum actionum monitor et moderator erat, agitabatur instigatione. Pro levibus quoque causis aut [3]) transgressionibus, ursi aut damulae, aut alicuius silvestris animalis interfectione, poenabantur [4]) tam militares quam agrestes, et omni pietate relegata, substantiae [5]) eorum per ducales ministeriales partim in ducalem fiscum, partim in privatos usus distrahebantur, querelisque gravatorum ad se perlatis, aut inclementius Dux Myeczslaus respondit, aut ad clamores miserorum aures obturavit. Nihil denique apud illum et suos erat sanctum, nil aequum, nil iustum, nil charum, praeter pecuniam et munera: sed [6]) religione divina neglecta, iureque divino et humano quassato, et turbatis Principatus sui tam iudiciis quam officiis, omnia ad quaestum, commodumque suum ducalem conabatur referre, longe deteriorem se senem quam iuvenem agens [7]). Nihilque ad profectum aetas illi processerat [8]), exactor avarus, punitor crudelis, neque enim quis illo ea tempestate inter Principes Poloniae amplius gravavit provinciam, neque commentus est callidiores ad expilandum fortunas innocentium, vias.

Wladislaus Rex Bohemiae Regno et regia dignitate per Caesarem privatur.

Grandaevum et labore atque aetate gravem Wladislaum Bohemiae Regem Fridericus Imperator, curia in Nuremburg [9]) indicta, instigantibus eum baronibus Bohemiae, quibus regimen Wladislai fastidio erat, a Regno Bohemiae deponit et Sobieslaum Ducem Bohemiae, quem ipse Wladislaus Rex annis sedecim captum, ne res in Bohemia novaret, tenuerat, suo iussu relaxatum, Bohemis praeficit Ducem, regali Bohemos, ne adversus se calcitrarent, privans honore. Wladislaus autem Bohemiae Rex in Bohemia consistere propter Sobieslaum, quem annis tot vinctum tenuerat, quem quoque caecare constituerat, ne iniuriarum memor in se aliquid gravius consuleret [10]), non ausus, in Almaniam secedens, quarto post haec mense, Decimo quinto Calendas Februarii moritur et in Missen sepelitur; filius insuper Wladislai Regis Fridericus, patre mortuo, Sobieslai conspectum veritus, Friderici Imperatoris curiam exulis more sequebatur.

---

[1]) calumnias iniquitate plenas *Cod. Rozr.* [2]) Budzischin *Cod. Rozr.* Budrysin *Ed. Dobr.* [3]) et *Ed. Dobr.* [4]) puniebantur *Cod. Rozr.* [5]) bona *Ed. Dobr.* [6]) ac *Cod. Rozr.* [7]) gerens. *Cod. Rozr.* [8]) profuerat *Ed. Dobr.* [9]) Noremberg *Ed. Dobr.* [10]) statueret *Cod. Rozr.*

Sobieslaus [1]) Pomeraniae Dux moritur et in monasterio Oliwa, quod fundaverat, sepelitur, duos relinquens filios Msczugium et Samborium [2]).

Thomas Cantuariensis episcopus libertatem Ecclesiae strenuissime defendens, ab Henrico Angliae Rege in exilium actus est. Quod dum septennio pertulisset, ad ecclesiam suam reversus, antepenultima Decembris die [3]) apud fores ecclesiae ab Anglicis [4]) obtruncatus, felicissimum martyrium consummavit, atque ob tam victoriosam palmam in coelicolarum numerum translatus est.

ANNUS DOMINI 1175.

Gedeon episcopus Cracoviensis Myeczslaum Monarcham monet, ut a coepta tyrannide cesset: qui id facere recusat.

Cum gravamen et oppressio singularum personarum, singulorumque ordinum Myeczslai Ducis Polonorum et Monarchae mandato [5]) multifarie et exquisite a suis officialibus, praesidibusque dietim intenderetur, clamor quoque et vociferatio gementium et lacrimae gravatorum et se per calumniam et vim bonis et fortunis suis exutos querentium, in publicum prodisset, nec inter consiliarios quisquam facta Ducis damnare et reprehendere auderet: Cracoviensium antistes Gedeon, vir constantiae et zeli singularis, oppressorum fletibus motus, Ducem Myeczslaum adit, et arbitris exclusis, causam oppressorum intrepide agens, quibus et quantis calumniis vastetur, opprimaturque provincia, innotescit, singulorumque gravatorum ex ordine iniuria declarata, deprecatur Ducem, ut novorum tributorum impositionem, sub antiquis Polonorum Regibus et Principibus ignoratam, abroget, inordinatas et non necessarias evectionum exactiones, quae in Polonico Podwodarum nomine appellari solent, rescindat, calumniosam et tyrannicam bonorum confiscationem, a suis officialibus pro levibus poenis et culpis hactenus irrogatam, per quam multorum substantiae emunctae sunt et personae in extremam pauperiem redactae, rescindat, miserorumque et calamitosorum opem, clementiam et tuitionem [6]) suam implorantium, precibus et vocibus moveatur; provinciae quoque, in qua illum et maior sanguis [7]) et voluntas populi Monarcham constituit, parentem se praestet propitium, non tyrannum detestabilem et execrandum [8]), amplam laudem et popularium favorem, si destiterit, maximum dedecus et sui status periclitationem, si perseveraverit, percepturus. Nihil hac admonitione salutari

---

[1]) Boleslaus *Cod. Calv. Rozr. et Ed. Dobr.* [2]) Sobieslaum. *Ed. Dobr.* [3]) die obiit *Ed. Dobr.* [4]) Anglis *Cod. Rozr.* [5]) crudeli mandato *Cod. Rozr.* [6]) tutulam *Ed. Dobr.* [7]) aetas *Cod. Rozr.* [8]) execrabilem *Ed. Dobr.*

et paterna Myeczslaus Princeps motus, quin etiam vehementi ira vexatus, dure praesuli respondet: Iure se, non iniuria quicquam egisse, et tam tributorum novorum impositionem, quam evectionum et poenarum exactionem legitimam fore, nec aliter Regnum et Monarchiam administrari posse. Nihil sibi cum Regibus et Principibus antiquis commune fore, se suo sensu, suoque ingenio duci, et suo arbitrio, non illorum exemplo actiones suas et decreta moderari. Tam crasso [1]) insuper et eleganti ingenio se praeditum esse, ut non velit suis, aut cuiuscunque alterius ordinationibus substerni [2]). Desineret proinde lacessere se, et pontificalibus potius rebus, velut propriis intentus, publica sibi curanda permitteret: non enim se ulla persuasione aut pacto ab his, quae aggressus esset, sciret cessaturum. In hanc sententiam Gedeon episcopus dimissus, tristior quam venerat abiit.

Prima die Maii Boleslaus cognomine Altus Wratislaviensis Dux apud castrum suum Grothecz agens, exclusis fratribus et monachis nigris de monasterio Lubens [3]), quod ad fluenta Odrae Kazimirus Poloniae Rex, olim Cluniacensis monachus [4]), fundaverat, fratres Cistercienses [5]) ex monastorio Portensi supra Solam fluvium sitnato sumptos, in illud introducit, et nova donatione atque inscriptione locum et eius possessiones a Kazimiro Rege donatas privilegiat, aliquas etiam de novo adiiciens, adhibito ad huiusmodi transmutationem praesentia et consensu Walteri alias Ziroslai [6]) Wratislaviensis episcopi, Myeczslai patrui sui germani Poloniae Ducis et Monarchae, item germanorum suorum Mieslai [7]) Rathiboriensis et Cunradi Glogoviensis, item filiorum suorum Boleslai, Iaroslai et Mieslai [8]) Ducum, item optimatum sui Principatus et baronum. Cuius monasterii primus abbas Florentius [9]), a quo et fratribus secum ex Porta in Poloniam ad praefatum monasterium venientibus, pomorum genus in Polonicum Regnum allatum, ex [10]) cognomento monasterii, a [11]) quo sumptum, Daporth, id est de Porta, vocitatum, in hanc diem multiplicatum perseverat [12]).

Ingens schisma reconciliatione Imperatoris et Summi Pontificis tollitur.

Concilio apud Turonum in Galliis per Alexandrum [13]) tertium celebrato, Imperator Fridericus et censura apostolica et rebellione civitatum Italiae, et bello ab eis illato fatigatus, statum suum periclitatum iri formidans, nuntios

---

[1]) bono *Cod. Rozr.* [2]) admonitionibus indigere. *Ed. Dobr.* [3]) Lubin *Ed. Dobr.* [4]) Cluniacensibus monachis *Ed. Dobr.* [5]) Cisterciensis ordinis *Cod. Rozr.* [6]) consensu Zyroslai alias Iaoslai *Ed. Dobr.* [7]) Miecslai *Ed. Dobr.* [8]) Miecslai *Ed. Dobr.* [9]) Florentius fuit *Cod. Rozr.* [10]) quod ex *Cod. Rozr.* [11]) ex *Cod. Rozr.* [12]) perseverans. *Cod. Aut.* [13]) Alexandrum Papam *Cod. Rozr.*

suos reconciliationem petens et culpam recognoscens, transmittit, quae tandem in Venetiis, Legato Apostolico illic adveniente [1]), per medium Ottae [2]) filii Friderici Imperatoris, qui a Venetis, classe ingenti amissa, et deictus et captus fuerat, iuxta beneplacitum Summi Pontificis conficitur, et Ecclesiae Dei pluribus annis a quatuor Antipapis mala morte pereuntibus, quos Fridericus Imperator manutenebat, vexatae pax et libertas reddita est. Aliis placet, quod Alexander Papa Imperatorias vires timens, Venetias perfugit, a Venetis quoque benigne habitus, dum contra Venetos Imperator [3]) filium Ottonem cum classe misisset, et Otto ipse superatus praelio navali Venetias adductus esset, tandem evasurus [4]) captivitatem, schisma inter Papam et Imperatorem summo honore Venetorum sustulit, quibus ad futuram [5]) rei memoriam Pontifex quaedam insignia perpetuo ferenda [6]) donavit.

Bohemorum exercitus cum Odalrico [7]) germano Sobieslai Ducis Bohemiae in subsidium Friderico Imperatori Italiam ab eodem Sobieslao transmissus, et suo more praedas et spolia agens, in Ulma ab oppidanis iniurias non ferentibus, sub Octavis [8]) Nativitatis Sanctae Mariae Virginis pene deletus est; et Odalricus cum paucis in dissimulato et sordido habitu, ne ab Almanis obtruncaretur, miserabili calamitate afflictus et omnibus exutus in Bohemiam refugit.

Bernhardo episcopo Posnaniensi succedit Swantoslaus.

Bernhardus Posnaniensis episcopus, exactis in pontificatu annis tredecim, obiit [9]) et in Posnaniensi ecclesia sepultus est. Cui Swantoslaus praepositus Posnaniensis et canonicus Gnesnensis, nobilitatem de domo Accipitrum ducens, per electionem canonicam succedit, a Petro Gnesnensi archiepiscopo confirmatus et consecratus, de consensu Myeczslai Maioris Poloniae Ducis [10]).

ANNUS DOMINI 1176.

Rursus Gedeon episcopus Cracoviensis singulari arte reprehendit tyrannidem Myeczslai: qui reprehensionem acerbe ferens, episcopo et aliis proceribus malum ob id minatur.

Tyrannidem Myeczslai Polonorum Ducis et Monarchae, suorumque capi-

[1]) Venetiis Alexandro Papa illic degente et Imperatore illuc veniente *Cod. Rozr.* [2]) Ottonis *Cod. Rozr.* [3]) Imperator *deest in Cod. Aut.* [4]) evadens *Ed. Dobr.* [5]) perpetuam *Cod. Rozr.* [6]) insignia beneficia *Ed. Dobr.* [7]) Udalrico *Ed. Dobr.* [8]) Octava *Ed. Dobr.* [9]) moritur *Ed. Dobr.* [10]) Ducis et Monarchae. *Cod. Rozr.*

taneorum, praefectorum et officialium, Gedeon episcopus Cracoviensis summo studio, summaque cura sanaturus [1]), nihilque superioris iniuriae repulsa motus, cum et pontificali suo id officio sciret congruere, et calamitosorum, oppressorumque singultu [2]), fletu atque obsecratione urgeretur, novo reprehensionis genere, illi tamen, quod Nathan propheta olim ad David habuit, sororio [3]) utendum duxit, quatenus Myeczslaus Dux exemplari simulacro [4]) moveretur, qui verborum efficaciam ante contempsisset, et sua saltem sententia et decreto convictus a tyrannide resipisceret, et in suorum reatuum atque erratorum, quibus regio universa et viluerat et deperibat [5]), veniret notionem [6]). Myeczslao itaque Duce sub frequenti consiliariorum praesentia publica negotia tractanti, matrona quaedam per Gedeonem episcopum, qui et ipse coram aderat, submissa, in tetro et lugubri habitu, moestum insuper et lachrimis obortis oblitum [7]) imbre fletuum praeseferens vultum, ex industria ante ducale tribunal constitit, et super gravi iniuria et oppressione sua, alta vociferatione [8]) audientiam et iustitiam sibi praestari deposcens, tam Myeczslai Ducis, quam omnium consiliariorum suorum, quidnam quaestionis [9]) eorum audientiae illatura esset, expectantium, ora convertit. Hanc Myeczslaus Dux et pro matronali reverentia, et ne fastidiosos suis auribus ingeminaret clamores, exauditurus, cum eminus consisteret, propius accedere, et quidnam rei haberet, a quibusque personis offensionem excepisset, omni pavore circumscripto iussit depromere, certissima etiam spe se illi devovens, expeditam iustitiam, protelatione [10]) qualibet succisa, ministraturum. Tum matrona maiori fiducia ducali sermone subnixa, tribunal ducale accedens, per bassam [11]) capitis demissionem reverentia Principi exhibita, in hunc pene modum propositionem suam, quemadmodum a Gedeone episcopo edocta erat, disseruit: Habebam ego, mi Dux [12]), ancilla tua, copiosum balantum gregem, cuius carne, lacte et vellere vivens, etiam opes ex illis, quae cuiuslibet ambitioni sufficere possent, quaesieram, felicemque et beatam, illo unico pecore contenta, agebam vitam. Filius interim meus mercenarios, quos etiam in tuum conspectum, iustius iudicium eis praesentibus exceptura, ire coegi, qui oves excelsis et uberrimis locis pastas [13]) ad caulas incolumes reducerent, conduxit; sed a mercenariis grex meus negligentius habitus, universus fere luporum saevis morsibus deperiit. Ita, nisi tu ancillae tuae suffragium [14]) iustum tuleris, actum de me est, deque fortunis meis, orbaque et misera necesse est efficiar, tam damno praecipiti pessundata. Querela matronae Dux Myeczslaus exaudita, quaerit:

---

[1]) sanare invigilans *Cod. Rozr.* [2]) singultibus *Cod. Rozr.* [3]) sibi *Cod. Rozr.* [4]) exemplo simili *Ed. Dobr.* [5]) perierat *Ed. Dobr.* [6]) cognitionem. *Cod. Rozr.* [7]) madidum *Cod. Rozr.* [8]) voce *Ed. Dobr.* [9]) querelae *Ed. Dobr.* [10]) dilatione *Cod. Rozr.* [11]) humilem *Cod. Rozr.* [12]) Domine Rex *Cod. Rozr.* [13]) pascentes *Ed. Dorb.* [14]) auxilium *Cod. Rozr.*

Quisnam sit filius eius, qui mercenarii [1]), quorum negligentia in tam grande damnum incidisset? [2]). Edito nomine suo adolescens, filium se querulantis matronae professus, in mercenarios omnem culpam absorpti pecoris retorquet; sed mercenarii primo loco causam suam dicere iussi, sic refellunt: Frustra, inquiunt, Princeps illustrissime, perditi pecoris a nobis petitur solutio [3]), frustra in tuum consistorium, quasi pecus commissum negligentius asservando deliquissemus, pertracti sumus, frustra et haec matrona adolescentem filium hunc suum, quem tamen constat privignum [4]) esse, appellat, a quo etsi nobis pascendi, custodiendique gregis non inficiemur curam fuisse accepta mercede commissam, vigilias tamen nostras pervicit, fregitque eiusdem ipsius adolescentis impetus potentior. Ipse siquidem venandi avidissimus, frequentes canes, non atrocitate solum sed rabie pleniferos [5]), quorum illi usus non a nobis tantummodo, sed etiam a viris gravibus et illustribus fuerat saepenumero exprobratus, ubique secum circumferens [6]), stragem ovium convincetur, si inficiatus [7]) fuerit, edidisse. Notorium siquidem est, canum suorum turbam in gregem ad pascua per nos eductum, latratu horribili insiliisse, et universum pene gregem, nobis nequicquam nostra vociferatione eos abigere volentibus, crebris rictibus lacerasse, stravisse et enecasse. Huic accusationi adolescens respondere orsus [8]), lupos simul et mercenarios accusat: Ego, inquit, Princeps serenissime, gregi a me his mercenariis conducto [9]), conspicatus luporum turmam cominus imminere [10]), canes nodatos solvi iubeo, et per abrupta, inviaque nemorum et Alpium, cum his una et mercenariis fugientes insector lupos. Reversa interim diverso itinere luporum pars desertum et solitarium gregem fundit et exanimat. Non in me itaque, qui lupos abegi, perditi pecoris culpa contorquenda est, sed in hos iniquos mercenarios et gregis sibi crediti desertores. Myeczslaum Ducem iustam decisionem partium querelis auditis pronuntiaturum, diu, quaenam pars damnanda, quae absolvenda [11]), verisimilitudo defensionum perplexum, ambiguumque tenuit. Et quamvis primum damnare mercenarios statuisset [12]), velut gregis, quem servandum suo periculo susceperant, incautos desertores, quia tamen assertio mercenariorum rabidos canes copulis iuxta ovium [13]) gregem denodatos confessione adolescentis ad liquidum verificata erat, fertur in adolescentem, comprobantibus consiliariis, sententia, ut quoniam occasionem damni [14]) probatus est dedisse, damnum sive matri, sine novercae resarciat: cum et lege divina dominus, cuius bos cornupeta vel equus calcitrans damnum intulerit, ad damni refusionem [15]) teneatur.

---

[1]) mercenarios *Ed. Dobr.* [2]) incidisset, conduxerat. *Ed. Dobr.* [3]) solatium *Ed. Dobr.* [4]) privignum suum *Ed. Dobr.* [5]) plenos *Ed. Dobr.* [6]) circumducens *Ed. Dobr.* [7]) etiamsi notus *Ed. Dobr.* [8]) coactus *Cod. Rozr.* [9]) commisso *Cod. Rozr.* [10]) imminentem *Ed. Dobr.* [11]) absolvenda esset *Cod. Rozr.* [12]) constituisset *Ed. Dobr.* [13]) eundem *Ed. Dobr.* [14]) ut ex occasione, qua damnum *Ed. Dobr.* [15]) resarcionem *Ed. Dobr.*

Pronuntiatione sententiae decisoriae matronae querela absoluta, Gedeon Cracoviensium pontifex [1]) Spiritu divino impletus, assurgens: Iustum, inquit, Princeps excellentissime, divinae et humanae congruens legi protulisti iudicium, et quaestionem nodosam aequa rectaque decisione absolvisti. Sed tum demum tua rata manebit decisio, si te ipsum, velut aequus legislator, primum ea constrinxeris, quem suis effectibus, suoque significato [2]) videtur expressisse, et ad te unum convincendum, emendandumque arte mea fabrefacta [3]) esse, quod quidem abducto velo facile poteris accipere. Non vigilanti enim tibi atque sopito, nocte atque interdiu Polonorum res publica occurrit, cuius cum nitorem, libertatem et amplitudinem procurare debueras, egisti, ut esset vidua inops, serva misera et pene captiva. Haec siquidem matrona Polonorum provincia est, regimini tuo commissa. Tu, quod inficiari non potes, filius eius; balantum grex, Polonicus populus, cui pascendo hostes et mercenarios, non sollicitos, clementesque [4]) pastores, praefecisti: ex quo non immerito filioli nomine abrogato, privignus infestus huius matronae, postquam te illius miserabilis et calamitosae conditionis iuxta atque novercae, non miseret, vocitaris. Sed et canes rabidos, officiales, praefectos et exactores tuos, licentiae fraeno laxato, tuoque iussu et dissimulatione disrupto, omnibus oppressionum, mulctarumque generibus sinis debacchari, quorum atroci et impio morsu grex innocens periit, et tuam defensionem nequicquam implorans, in horrendam, te inspectante, pertrahitur calamitatem: cum exactores truculentissimi adeo etiam in gregem lacerum et confractum desaeviunt, ut nonnisi per cruorem et iugulum gregis rugientem esuriem [5]) expleturi, provinciam tuam perpetua solitudine [6]) atque nece confecerint. Proprio itaque damnatus atque convictus iudicio, ea exequito, quae aliis imperasti, excussoque negligentiae torpore (foedam enim avaritiam in te suspicari nequeo) tandem aliquando consurge, et tam honestati, atque [7]) primum saluti tuae, tum perditi atque perituri gregis tui miserabili consule calamitati [8]), ne ultione divina et humana percellaris: cum verisimile non sit, tyrannidem tuam neque Divinitatem, neque [9]) homines diuturno tempore laturos. Ut enim caeterorum tui similium exempla transeam, satis tibi documenti beatus David in omnes casus sit: quem populum numerari tantummodo, non opprimi, nec iniuste exactionari iubentem, subitus et districtus ultionis divinae vindex perstrinxit, sed neque tibi, nisi reatum tuum iusta poenitentia expiaveris, parsurus. Expergiscere, precor, aliquando, et nos omnes longa [10]) servitute pressos libera, et tanti temporis moram, dum licet, dum potes, velocitate compensa, et omni

[1]) Cracoviensis episcopus *Cod. Rozr.* [2]) cum te tuis factis, tuoque significato femina haec *Cod. Rozr.* [3]) instructa *Cod. Rozr.* [4]) inclementesque *Cod. Rozr.* [5]) suam esuriem *Cod. Rozr.* [6]) sollicitudine *Ed. Dobr.* [7]) quam *Ed. Dobr.* [8]) ac honestati consule *Cod. Rozr.* [9]) tuam Deum et *Cod. Rozr.* [10]) misera *Ed. Dobr.*

studio virtuti primum, operationi bonae, dehinc gloriae tuae et posteritatis iudicio, per singulos vitae passus vaca, et animum tuum ab omni cupiditate, obscoenitate et pravitate, ne collabatur aut deviet, tempera, ab [1]) ultionum Domino, qui nihil impunitum aut irremuneratum relinquit, in te et stirpe tua debitas poenas et orbitatem non evasurus. Eam reprehensionem Myeczslaus Dux Polonorum (iam enim ira incanduerat) diutius non ferens, non ex veritatis origine, sed livoris fomite, non in correctionem, sed in contumeliam, episcopum astruit commentasse [2]); atque cum fremitu et ira ingenti ex concilio se evolvens, ultum iri suas iniurias tam de praesule, quam de baronibus, qui illi assensi fuerant, minabatur: et episcopum quidem in proscriptionem et exilium, caeteros in necem aut membrorum mutilationem, confiscatione etiam bonorum adiecta, et in quaeque extrema frequenti usurpatione sermonis destinat. Neque ad tam salubrem, tam suavem, tamque artificiosam exhortationem animum suum ab ea, ad quam naturaliter pronus erat, cupiditate retraxit, nec mores suos inconditos compescuit, et non tam surdis, quam iniquis ingesta a pontifice excepit auribus.

Swantoslaus Posnaniensis episcopus, cum anno tantummodo uno sedisset, moritur et in ecclesia Posnaniensi sepelitur. Cui Gerwardus custos Posnaniensis, genere Polonus nobilis de stirpe Acervorum ducens genus, per electionem canonicam succedit, a Petro Gnesnensi archiepiscopo confirmatus et consecratus.

Bello inter Sobieslaum Bohemiae, et Henricum Austriae Duces exorto, Bohemia per Henricum, Austria per Sobieslaum gravibus flammis vicissim usta, magnisque praedis, damnis et spoliis utraque regio affecta. Qua quidem guerra durante, Henricus Austriae Dux pede in pontis progressu confracto diem obiit; ex cuius morte Fridericus Imperator Sobieslao, quasi ipse mortis affinis sui Henrici occasionem praestitisset, infestus esse coepit.

Fundatio monasterii Sulyeoviensis per Kazimirum Ducem Sandomiriensem.

Kazimirus Sandomiriensis Dux Quarto Idus Augusti coenobium in Sulyeow [3]) Gnesnensis diocesis, ordinis Cisterciensis, in suo Principatu fundat: et monasterium quidem praedictum in praedio Ruslai comitis ad fluenta fluminis Pilcza, qui absque liberis decedens Christum reliquit haeredem, propter loci et amoenitatem et commoditatem locatum est. Dux tamen [4]) Kazimirus velut primarius fundator et patronus, et tunc et in omni vita sua loco praefacto [5]) magna charitate et favore affectus, praedia, villas, decimas et sales

[1]) alioquin ab *Cod. Rozr.* [2]) commentum esse *Cod. Rozr.* [3]) Suleiow *Ed. Dobr.* [4]) enim *Ed. Dobr.* [5]) erga locum praefatum *Ed. Dobr.*

coenobio praefato contulit in dotem, et plurima illi [1]) in rebus mobilibus et immobilibus largitus est pro eius amplitudine et decore, ducalique munificentia omnia bona temporalia a se et aliis monasterio collata plene libertavit. Contulit autem monasterio praedicto villas Sulyeow, Strzelcze, Dambrowa, Baldrzikow, Montem, Biczinam [2]), Kampa, Puczonow [3]), Myanow, Sczepanow, Pyotrow, Chennam [4]), Thanyow, tredecim plaustratas [5]) salis ex teloneo Sandomiriensi recipiendas, item alveum salis in Cracovia [6]) et novem castores ex camera ducali recipiendos. Processu vero temporis Petrus Gnesnensis archiepiscopus petitione praefati Kazimiri Ducis et Fulkonis Cracoviensis episcopi permotus, contulit eidem coenobio Sulyeowiensi decimas manipulares mensae suae archiepiscopalis in Sulyeow, Byela [7]), Lanczno, Mileow [8]), Stampin, Stibor, Domczelan, item ecclesiam in Baldrzikow incorporavit loco eidem cum decimis in Standow, Chenna et Pasturow.

ANNUS DOMINI 1177.

Gedeon episcopus Cracoviensis cum aliis proceribus communi consensu Myeczslao Duci imperium abrogant et illud ad Kazimirum deferunt.

Irritatum et furentem Myeczslai Polonorum Ducis et Monarchae animum, Gedeon Cracoviensis episcopus et primi Cracoviensium [9]) proceres et pro correctione [10]) in se habita exacerbatum videntes, placari et reconciliari ipsum, insuper Ducem a tyrannide coepta averti non posse [11]) (cumulatiores [12]) enim in eos et in caeteros subditos iusserat, ut se inexorabilem demonstraret, pressuras extendi), cum animadvertissent animum Myeszkonis [13]) in avaritiam, depilationemque praecipitem, ac pene inmedicabilem, veriti insuper, ne iuxta indignationis suae ardorem grave in se aliquid consuleret [14]): quid facto opus sit, clandestinis decoquunt, digeruntque consiliis. Gedeon siquidem episcopus sententiam dicere rogatus [15]), sic disseruit: Videtis, inquit, o proceres, quo nos casu fortuna involvit. Pressuras enim miserabilis patriae aversuri, pro reprehensione nostra, iusta quidem, honesta et necessaria, velut maiestatis violatae rei, ducali decreto suppliciis addicti sumus, et nisi interim nobis aliquid prospectum fuerit, ad cruciatus varios rapiendi, et qui aliorum pressuras [16])

---

[1]) alia *Cod. Rozr.* [2]) Buczinam *Cod. Rozr.* [3]) Paczanow *Ed. Dobr.* [4]) Chemiam *Ed. Dobr.* [5]) plaustra *Cod. Rozr.* [6]) Cracoviensi *Ed. Lips.* [7]) Biala *Cod. Rozr.* [8]) Milkow *Cod. Rozr.* [9]) caeterique *Cod. Rozr.* [10]) ex admonitione *Cod. Rozr.* [11]) averti nullo modo posse advertentes *Cod. Rozr.* [12]) graviores *Cod. Rozr.* [13]) Miecslai *Ed. Dobr.* [14]) gravius in eos aliquid statueret *Cod. Rozr.* [15]) iussus *Ed. Dobr.* [16]) alios pressura *Ed. Dobr.*

levare contenderamus, pressuras et ipsi opperimur [1]). Neque iam salus patriae nobis tantummodo spectanda [2]), curandaque est, sed summo studio, summaque cura salus privata servanda, providendumque, ne publica cum privata una intereant [3]). Mihi in tam periculoso et patriae et nostro discrimine tyrannum placet deiici, et in locum eius meliorem surrogari. Sed anticipationem celeritate etiam admixta facto optimam reor, ne, si tyrannus prior suppliciis nos affecerit, conatus nostri, nobis damnatis, recidant in irritum. Ea sententia facile ab omnibus accepta et laudata, tum demum de substituendo Duce altero et Monarcha consultatio habita [4]): quae cum plus difficultatis habere videretur, longius in illa immoratum est, praesertim cum aliquorum sententiae variassent. Verum Stephanus palatinus Cracoviensis oratione sua caeteros in concordiam reduxit: Non convenit, inquit, proceres, ut rem suapte facilem in difficultatem advocemus, et tam patriae, quam nostro gliscente, vel, ut verius eloquar, superimpendente periculo, varietate sententiarum in longiorem trahamus moram. Extat enim in propinquo Princeps ingenuus Kazimirus Sandomiriensis Dux: cuius probitatem, prudentiam, factivitatem [5]) et modestiam plurimis non tantum iudiciis et signis, sed operibus et effectibus [6]) et vidimus ipsi et continue experimur. In quem liberalitate naturae omnes pene virtutes, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, liberalitatem, prudentiam, industriam constat confluxisse: blandus alloquio, conversatione gravis, aditu facilis, propriis et exteris civilis et humanus, miseris et aliqua calamitate oppressis gratiosus; in virtute honoranda egregius, in labore praemiando providus et in distribuendis rei publicae muneribus et officiis dispensator fidelis, tantam ad omnes redolens [7]) benignitatem et gratiam, ut incertum [8]) effecerit, utrum in illo natura gratiam vincat, an gratia naturam. Et licet se omnibus et placabilem et exorabilem exhibeat, cunctorumque excessibus facile deprecatus ignoscat; calumniatorum tamen tam severus et osor et punitor est, ut in perenne eorum confusionis opprobrium, et ut caeteris labes ipsa terrori fieret, quosdam in fronte aut in genis candenti ferro [9]) insignivit cauterio, aliis in naso, aliis in lingua mutilationem impressit, plerosque caecari aut fustibus caedi mandavit. Frugalitatem vero et liberalitatem in eo commendare non expedit: his enim virtutibus omnes aetatis nostrae Principes pervicit. Neque ut plerisque Principibus mos est, aut inhiat acquirendis, aut incumbit acquisitis, sed universos census suos in rei publicae profectus et commoda distribuit. Cibum et quietem non nisi ad naturam accipit, et sequestrato a se otio, iugem sibi indixit, ne torpescat ignavia [10]), exerci-

[1]) opprimemur. *Ed. Dobr.* [2]) speranda *Cod. Rozr.* [3]) pereant. *Ed. Dobr.* [4]) habita est *Cod. Rozr.* [5]) et prudentiam in rebus magnis *Cod. Rozr.* [6]) factis *Cod. Rozr.* [7]) exhibens *Cod. Rozr.* [8]) dubium *Cod. Rozr.* [9]) candentis ferri *Cod. Rozr.* [10]) ne torpescant ingenia *Ed. Dobr.*

tationis aut in simulacro pugnae, aut in venando [1]), aut in ludo hastarum, caeterisque heroicis et militaribus operibus; laborem illum tamen tum demum persequitur, dum publicis et seriis rebus primum plenam expeditionem praestiterit. Cuius [2]) ut probitas notior sit, unum virtutis suae insigne commemorabo. Una siquidem noctium Princeps Kazimirus, de quo agimus, cum Iohanne de Konary milite et armigero suo alearum ludum ingressus, ludum ipsum in noctis [3]) medium usque produxerat [4]), cum ea alea aliquando Ducem, aliquando [5]) militem pronuntiaret victorem; verum ut [6]) celerius discessio [7]) pro quiete habenda proveniret, communi consensu in periculum universae victoriae unus ludus acceptus [8]) est. Qui cum nimio fervore et avida spe evincendi bravii, quod in argenti magna quantitate propositum erat victori, ab utroque gereretur, Dux tandem Kazimirus militem Iohannem pervincens, bravii sortem athleta accepit. Iohannes interim miles fortunas omnes suas una palaestra perditum iri dolens, in eum [9]) furorem atque rabiem, cum et vino immodice sumpto maderet, versus est, ut summo manus vibramine facie Principis maxillata, noctis beneficio de manibus circumstrepentium [10]) elapsus diffugerat; sed die altera scrupuloso scrutinio comprehensus, omnium iudicio velut maiestatis reus damnatus, supplicium capitis subiturus agebatur. Sed Kazimirus Princeps occurrens, damnatum sisti iubens: Non committam, inquit, iudices, ut pro maxillae illata mihi [11]) iniuria miles hic, cuius opera in rei publicae munere aliquando erit mihi necessaria, intereat; facinus enim suum et temporis et ludi qualitas excusat. Quod si quantitatem damni, quo illum fortuna affecerat, spectare velimus, absolvi illum, non damnari oporteret. Ipse siquidem bravio, in quo omnes fortunas suas contineri sciebat, amisso, non mihi, sed [12]) fortunae iratus erat; furorem tamen suum, quem deprimere [13]) non potuit, in me filium fortunae ultionem sumpturus effudit. Sed et me conditionis et status meorum [14]) conveniebat meminisse, ut ludicris rebus, quibus labefactatur maiestas, abstinerem: cum in illis plures levitates, probra et contumelias saepenumero noveram contigisse. Ampliori itaque ego reatui subiaceo, qui publicam Principatus mei dignitatem ludicris inferens, ludibrio me addixi, quam Iohannes, qui primos et fortes motus frenare non valens, stimulatus insuper ebrietate, ultionem bravii [15]), qua poterat arte, exegit. Non solum itaque Iohannem a maxillationis meae facinore absolutum pronuntio, sed etiam [16]) ingentes gratias habeo, quod mihi vexationem prae-

---

1) luctando *Ed. Dobr.* 2) Cuius autem *Ed. Dobr.* 3) noctis *deest in Cod. Aut.* 4) in noctem mediam produceret *Cod. Calv.* 5) aliquando *deest in Cod. Aut.* 6) ut tandem *Ed. Dobr.* 7) celebribus discessionibus *Cod. Aut.* 8) susceptus *Cod. Rozr.* 9) in eum dolorem *Ed. Dobr.* 10) circumstantium *Cod. Rozr.* 11) alapae mihi illatae *Ed. Dobr.* 12) sed *deest in Cod. Aut.* 13) in fortunam depromere *Cod. Rozr.* 14) mei *Cod. Rozr.* 15) amissi bravii *Cod. Calv.* 16) illi etiam *Cod. Rozr.*

stitit, per quam non huius tantummodo, sed et cuiuslibet alterius ludicrae rei labem a me prorsus relegabo. Continuo quoque et reum absolvit, et omnem argenti quantitatem, quam lege ludi quaesierat, ex integro restituit, et restitutae propriam in remunerationis signum adiecit. Ita sub uno tempore et in eodem homine grandis contumeliae ignovit facinus, damnationem remisit, perdita in integrum restituit et iniuriam suam iuxta ac favorem praemiavit. Possem et plura alia in huius Principis commendationem proferre memorabilia, nisi nobis omnibus ea nossem vulgaria et nota. Omnibus itaque votis is nobis Princeps expetendus est, huic et non alteri Monarchiae fasces deferendae, sub quo certum est, nos ab oppressuris [1]), quibus angimur, respirare et felicem ac beatam posse agere vitam. Non cunctemur igitur proceres, sed concordi sententia hunc decernamus, assumamusque Monarcham. Itum est a reliquis omnibus in hanc sententiam, et omnes illi assensi [2]). Ex locoque [3]) concilii in Sandomiriam, ubi Dux Kazimirus habebat sedem, tam Gedeon episcopus [4]), quam baronum primi pervicaci cursu pertingunt, Ducemque Kazimirum, secreta audientia obtenta, his verbis conveniunt (eminebat siquidem in Kazimiro Principe Sandomiriensi quamvis aetate minor, natura facilior esset [5]), ad concilium, civilemque prudentiam aptius ingenium, munificentia conditum et comitate, eratque comis et iustus, et dum adhuc iuvenilem et floridam aetatem ageret, extemplo [6]) mores ingenui et regii in eo collucere visi): Non ignotum tibi putamus, Princeps charissime [7]), quam durum et iniquum annis prope quinque patimur imperium, et in quam vastitatem, vilitatemque nostra regio fratris tui Myeczslai et suorum praefectorum oppressione adducta sit. Quem etsi precibus, consiliis et monitis nostris tollere [8]) publica gravamina et pressuras, privatim et publice obsecrando et patriae ruinam demonstrando, conaremur [9]), casso tamen labore sudavimus. Consiliis enim et precibus nostris repudiatis, tam infestus nobis esse coepit, ut omnes nos exiliis, suppliciisque afficiendos decreverit. Ad te itaque omnium ordinum concordi consensu oratum venimus, ut Principatum Monarchiae assumas, et tam patriam, quam nos tyrannide exsolvas, certus, nos tui fratris Myeczslai imperium, velut patriae et nostri publici et infesti hostis, de caetero nullatenus passuros. Sumpto aliquali ad deliberandum spatio, Kazimirus Dux in hunc modum respondit: Non primum quidem, proceres, die hodierno de Monarchiae Principatu suscipiendo a vobis convenior: dudum et in vita fratris mei charissimi Boleslai Crispi, a Iaxa et Swantoslao Comitibus pari petitione urgebar. Sed iniquum [10]) putavi, et fratris et alumni mei turbare statum,

---

[1]) a pressuris *Cod. Roer.* [2]) assensi proceres. *Cod. Calv.* [3]) loco itaque *Cod. Roer.* [4]) episcopus Cracoviensis *Cod. Roer.* [5]) et *Cod. Calv.* [6]) statim *Ed. Dobr.* [7]) clarissime *Cod. Calv.* [8]) ad tollendum *Cod. Roer.* [9]) hortaremur *Cod. Roer.* [10]) Sed nunquam rectum *Cod. Roer.*

aut de iure et dignitate sua quicquam detrahere: sed omni Regno atque Imperio praestantiorem duxi fraternae pacis et concordiae puritatem [1]). Qui itaque tunc uni fratri fidum me et purum praestiti, qua fronte modestiam meam inquinaturus alterius Principatum usurpabo? praesertim cum illum filiali semper devotione coluerim, et reciproce ab eo paterna complexus et amatus fui charitate. Tum Gedeon episcopus et proceres: Longe, inquiunt, Dux, dispar in praesentiarum versatur respectus. Boleslaus siquidem Crispus frater tuus aequo iure et iusto imperabat regimine: at hunc successorem suum Myeczslaum ad omnia tyrannorum studia, a quibus nullo pacto avelli potest, vides divertisse. Ingentem itaque pietatem, ingentem charitatem, non ambitionem, non facinus, credas te demonstraturum, perpetuamque laudem et cum beatis mercedem habiturum, si laboranti et pene suffocatae et extinctae patriae subveneris, si illam a tyrannide et oppressione vindicaveris: omnibus etenim (quod non catholicos [2]) sed etiam gentiles scimus sensisse) qui patriam adiuverint, auxerint, defenderint, certum et definitum in coelo est locum fore, ubi beati sempiterno fruuntur aevo; in tyrannum quoque iuxta atque in damnatum licet saevire. Tu solus et unicus crederis, qui [3]) nostrum et patriae sanare potes discrimen et [4]) rescindere in [5]) extremum. Tibi nostram, tibi [6]) patriae salutem committimus, in tua potestate et manu situm, vitamne nobis et patriae, an necem et perniciem, ad quam fratris tui decreto extamus damnati, sis praestiturus. His et pluribus vocibus aliis Kazimirus Dux expugnatus, non regnandi libidine, non ambitionis ardore, non odii livore, sed sola patriae charitate tandem consentit se Monarchiae regimen suscepturum. Cum modesta itaque suorum militum manu, Gedeone [7]), Cracoviensium reliquisque [8]) proceribus eum comitantibus, Kazimirus Dux versus Cracoviam procedit: quem advenientem omnes nobilium et militarium excipiunt legiones, omnes occurrunt, affavent [9]) et congratulantur [10]). Sed et agrestium turbae catervatim se effundunt, et suum ac patriae acclamant in nomine Domini advenisse liberatorem. Aberat tunc a Cracovia Myeczslaus Senex, et in Maioris Poloniae ac Pomeraniae Ducatus successerat, cum uxore et tribus filiis de Principatu Cracoviensi eiectus, in Rathiboriam se contulit, ibique domicilium suum fixit: unde et arx et civitas Cracoviensis absque omni difficultate et renitentia Kazimiro per capitaneos et officiales Myeczslai sunt praesentata. Singula deinde castra et munitiones in Kazimiri sponte [11]) venere deditionem, tantumque odium Myeczslai Ducis in pectoribus sin-

---

[1]) pietatem. *Cod. Rozr.* [2]) catholici *Cod. Calv.* [3]) credens sui *Cod. Calv.* [4]) et deest in *Cod. Aut.* [5]) ad *Cod. Rozr.* [6]) simul et *Ed. Dobr.* [7]) Gedeone episcopo *Cod. Rozr.* [8]) Cracoviensi, caeterisque *Cod. Rozr.* [9]) favent *Cod. Rozr.* [10]) atque gratulantur. *Ed. Dobr.* [11]) ultro *Ed. Dobr.*

gulorum invaluerat, ut universos crederes in suam [1]) deiectionem una mente et spiritu, quasi in quandam communem pestem, conspirasse.

Gerwardo Posnaniensi episcopo succedit Arnoldus primus.

Gerwardus Posnaniensis episcopus breviusculo tempore vivens, a peste epidimiae correptus moritur et in Posnaniensi ecclesia sepelitur; Arnoldum primum [2]) habuit successorem, Polonum nobilem de stirpe Dolanga: a Petro Gnesnensi archiepiscopo, electione canonica [3]) et Myeczslai Maioris Poloniae Ducis consensu illi suffragante, confirmatus et consecratus.

Romanorum Imperator Fridericus sedulis criminationibus, quae in Sobieslaum Bohemiae Ducem [4]) et per Fridericum Bohemiae Ducem filium Wladislai Regis [5]) Bohemiae in curia sua [6]) velut exulem manentem, et per nonnullos Bohemiae barones parti suae [7]) faventes deferebantur, quibus [8]) illum et provinciam superbe et avare administrari, et Imperatori minus fidum et rebellem esse perhibebant [9]), Sobieslao criminationes purgare negligente [10]), expugnatus [11]), Sobieslaum a [12]) Ducatu Bohemiae et eius regimine [13]) destituit [14]), et Fridericum [15]) filium Wladislai per traditionem vexilli Bohemici investit de eodem. Guerra [16]) insuper inter praefatum Sobieslaum Bohemiae Ducem et Cunradum Moraviae Marchionem exorta [17]), Sobieslaus a Cunrado, cuius provinciam hostiliter vastandam intraverat, ferentibus Cunrado Australibus solatia [18]), campestri certamine victus in Bohemiam refugit [19]). Qua quidem clade Friderico adversario suo [20]) crevit animus, et in certam spem erectus haud dubitabat, Sobieslaum clade huiusmodi perculsum posse de Bohemia facile perpelli.

Eclipsis solis anno eodem hora sexta Idibus Septembris visa.

---

[1]) illius *Cod. Rozr.* [2]) primum Polonorum *Ed. Dobr.* [3]) per electionem canonicam *Ed. Dobr.* [4]) in Sobieslaum Bohemiae Ducem *deest in Cod. Aut.* [5]) Ducis *Ed. Dobr.* [6]) Imperatoris *Cod. Rozr.* [7]) parti Friderici exulis *Cod. Rozr.* [8]) nam *Cod. Rozr.* [9]) asserebant *Cod. Rozr.* [10]) cum Sobieslaus purgare se negligeret *Cod. Rozr.* [11]) offensus *Cod. Rozr.* [12]) illum *Cod. Rozr.* [13]) regionibus *Cod. Rozr.* [14]) deposuit *Ed. Dobr.* [15]) Fridericum exulem *Cod. Rozr.* [16]) Bello *Cod. Rozr.* [17]) exorto *Cod. Rozr.* [18]) Austriacis auxilia *Cod. Rozr.* [19]) effugit. *Ed. Dobr.* [20]) illius *Cod. Rozr.*

ANNUS DOMINI 1178.

Myeczslaus Dux ultum iri se cupiens, bellum Kazimiro nequicquam minatur, cum a genero nulla habere posset auxilia.

Deiectionem suam a Monarchia et Principatu Polonorum Myeczslaus Poloniae Maioris et Pomeranorum [1]) Dux moleste ferens, armis et guerra [2]) et ultionem de fratre suo Kazimiro, caeterisque suis deiectoribus [3]), et restitutionem sui in Regnum parat et summo contendit efficere conatu, velut is, qui omnium animis gravi oppressione et tyrannide irritatis, exulceratisque, nihil spei in charitate et benevolentia subditorum in his, quae ad suam restitutionem conducerent, sciebat posse reponi. Accersitis autem consiliariis Maioris Poloniae et Pomeranorum (hi enim nondum a suo desciverant imperio), quid facto opus sit, consultat. Et omnium quidem consiliariorum uniforme erat votum, iniuriam a Kazimiro illatam armis vindicandam esse, neque ullo pacto deiectionis ferendum opprobrium; vicinorum tamen Principum et generorum suorum in [4]) id bellum impetranda solatia [5]), sine quibus futura dimicatio cum Kazimiro periculosa videbatur, cui viris, armisque propriis abundanti, etiam Ruthenorum subsidia constabat accessura. Missi itaque extemplo et ad Sobieslaum Bohemiae, et Saxoniae, Lothoringiae Duces nuntii, iniuria Myeczslai exposita, et quod per fratrem germanum Kazimirum de Regno propulsus [6]) sit, declarato, petunt, ut soceri sui dedecus non patiantur inultum, sed aut personaliter in sui solatium [7]) adveniant, aut gentem armatam mittere non cunctentur. Sed Sobieslaus Bohemiae Dux proprio se bello respondet occupatum, cum Fridericus frater a Ducatu Bohemiae eum deiecturus cum Almanico exercitu sibi immineat. Saxoniae vero et Lothoringiae Duces pari excusatione usi, in bellum, quo Caesar in Italia occupatus erat, militiam suam transmisisse, sed et in aliud bellum, quod pro Terrae Sanctae recuperatione Imperator instituit, novorum militum supplementum sibi imperatum fore [8]). Ita [9]) externis et speratis auxiliis deficientibus, propriis vero [10]) congredi non ausis, aestas anni illius sine ullo bellico stridore extracta [11]) est. Kazimirus vero Dux solium sui Principatus aequitate et iudicio stabiliens, splendorem sui nominis etiam apud exteros et hostes diffundebat.

---

[1]) Pomeraniae *Ed. Dobr.* [2]) ac bello *Cod. Rozr.* [3]) deiectoribus sumere *Cod. Rozr.* [4]) ad *Cod. Rozr.* [5]) auxilia *Cod. Rozr.* [6]) expulsus *Ed. Dobr.* [7]) auxilium *Cod. Rozr.* [8]) esse. *Ed. Dobr.* [9]) Sic itaque *Ed. Dobr.* [10]) vero militibus *Cod. Rozr.* [11]) exacta *Cod. Rozr.*

Fundatio monasterii in Oliwa.

Quintodecimo Calendas Aprilis Samborius [1]) Pomeraniae Dux monasterium ordinis Cisterciensis in villa sua ducali Oliwa, Wladislaviensis diocesis fundat, et septem villas, videlicet Oliwam, Szalkowicze [2]), Glambowy [3]), Sterczow, Stanowe [4]), Granszowy [5]) et Sinczenicze [6]), item decimam telonporum, piscationum, praediorum et pecorum illi pro dote assignat.

Certior ab exploratoribus Sobieslaus Bohemiae Dux factus, fratrem suum Fridericum, Wladislai Regis Bohemiae filium, cum Almanorum et Bohemorum transfugarum ad se ex Principatu deiiciendum adventare exercitu, copias et ipse contrahit et Friderici operitur adventum. Quo callido et vafro consilio moram agente, Sobieslaus illum de caetero non suspicatus venturum, solvit exercitum. Fridericus vero suam artem prosperatum iri videns, mox Bohemiam ingreditur. At Sobieslaus cum paucis (neque enim ad convocandum exercitum universum spatium temporis poterat subesse) [7]) illi occurrens congreditur, facileque sua paucitas a Friderici multitudine victa est. Fuga tamen Sobieslaus evadens, in Skalam se cum paucis recipit; Fridericus vero Pragam, in qua Sobieslai consors morabatur, obsidione cingens, brevi capit, illamque protinus magno militum communit praesidio, intelligens illius possessionem ad caetera subiicienda magno fore usui.

Wernero Wladislaviensi episcopo succedit Wnelphus.

Wernerus Wladislaviensis episcopus, pontificatu annis septem administrato, ex humanis absumitur, et in ecclesia Wladislaviensi accepit sepulturam. Cui Wnelphus [8]) decanus Wladislaviensis per electionem canonicam succedit, ab Alexandro Papa [9]) tertio, petente Kazimiro Poloniae Duce et Monarcha, provisus.

ANNUS DOMINI 1179.

Myeczslaus etiam Ducatu Maioris Poloniae a filio suo Ottone exuitur: moxque ad Kazimirum omnium provinciarum Regni imperium pervenit.

Bellum Myeczslao Maioris Poloniae et Pomeranorum Duci pro sui in Mo-

---

[1]) Schamborius *Cod. Aut.* [2]) Salkowice *Ed. Dobr.* [3]) Glambow *Ed. Dobr.* [4]) Stawowe *Ed. Dobr.* [5]) Grancowy *Ed. Dobr.* [6]) Synczynice *Ed. Dobr.* [7]) adesse *Cod. Rozr.* [8]) Wonelphus *Cod. Calv.* [9]) Papa *deest in Cod. Aut.*

narchiam Polonorum restitutione adversus Kazimirum Polonorum Ducem et Monarcham maximo aestu atque conatu ex proprio milite, postquam externus non suppetebat, apparanti, novus incommoditatis casus ingestus est. Filius etenim suus natu maior Otto, ex primo coniugio susceptus, gravi iniuria a patre, qui blandimentis secundae consortis persuasus, filiis secundi matrimonii meliores sortes Principatuum suorum relinquere testamento disponebat, affecturum [1]) se dinoscens, contra patrem cum nonnullis Maioris Poloniae baronibus coniurat; opportuno quoque tempore castris et munitionibus paternis in Maioris Poloniae Principatu occupatis, patrem de sede sua exturbat et depellit, nuntiosque ad Kazimirum Monarcham mittit, spondens se obedienter, quod imperaret, facturum, et cum omnibus castris et munitionibus, gentibusque [2]) sibi parentibus, tam fide, quam obsequio sincere adhaesurum. Kazimirus autem omnibus aliis terris et castris, quae ditionis Myeczslai fuerant, sub potestate et regimine Ottae [3]) nepotis sui relictis, Gnesnense castrum et civitatem cum suo districtu propter loci veterem dignitatem et famam sui fecit iuris. Defectionem autem Maioris Poloniae mox citerior et ulterior Pomerania, quae et ipsa Myeczslao parebat, secuta est; facinus tamen Ottae [4]) in patrem admissum perosa [5]), primoribus destinatis, Kazimiro Monarchae plenam facit deditionem: cuius regimen propter locorum distantiam in [6]) duos praesides partitur [7]). Et ulteriorem quidem Pomeraniam, quae hactenus Slupsko vocitatur, Comiti Boguslao de domo et genere [8]) Griffonum, citeriorem vero, cuius Gdansk principalior civitas erat, Samborio [9]) baroni regendas [10]) commisit. Quorum uterque processu temporis Duce Kazimiro obeunte, se dominum non praesidem gerens, Principatum praedictarum provinciarum, et eorum posteritas post illos aliquanto tempore, conciliato sibi militarium et civium favore, usurpavit. Tunc insuper Boleslai Krzywousty oraculum, quod moriturus, Regno in quatuor filios, quinto nulla portione relicta, diviso, deprompserat, verificatum fuisse notatum est, qui in Kazimirum tunc quidem infantem et nullam portionem inter fratres patris ordinatione et testamento sortitum, quatuor tetrarcharum quadrigam spiritu sibi revelante praedixerat concursuram. Cui etsi Slesiana [11]) regio a filiis Wladislai [12]) Alti possessa, propter civilem discordiam (minor enim natu Myeczslaus maiorem natu Boleslaum de Ducatu suo propulerat) aliquamdiu parere detrectasset: Kazimirus tamen Monarcha maturitatis suae industria, pacificatis concordatisque fratribus, eam ad sui obedientiam reduxit, Myeczslaumque de Wratislaviensi Ducatu, cuius eum tenebat ambitio, Boleslao, cui sorte obtigerat, cedere coegit:

[1]) afficiendum *Cod. Rozr.* [2]) gentibusque suis *Cod. Rozr.* [3]) Ottonis *Cod. Rozr.* [4]) Ottonis *Cod. Rozr.* [5]) perosa nobilitas *Cod. Rozr.* [6]) inter *Cod. Rozr.* [7]) Kazimirus partitur. *Cod. Rozr.* [8]) de familia *Cod. Rozr.* [9]) Szamborio *Cod. Aut.* [10]) gerendas *Ed. Dobr.* [11]) Slesitica *Ed. Dobr.* [12]) Boleslai *Cod. Rozr. et Ed. Dobr.*

quod ut aequanimius ferret, et ordinatio tunc confecta de caetero rata foret, duos Myeczslao districtus a Cracoviensi provincia abstractos, Bithomiensem videlicet et Oswanczinensem [1]) de novo largitus est; cuius filio noviter nato, ad baptisteriorum solennitatem invitatus, nomen suum Kazimirus indiderat. Masoviae etiam et Cuiaviae provincias ad Lestkonem [2]) nepotem suum, filium Boleslai Crispi, pertinentes, Zironi Comiti viro grandaevo et prudenti commisit gubernandas, et Lestkoni suo nepoti illum in directorem et alumnum [3]) propter eius singularem probitatem praefecit. Eo insuper anno Kazimirus Polonorum Dux [4]) Brestensem, Wladimiriensem, Drohiczensem et Premisliensem provincias a Regno suo distractas recuperat, et castris principalibus conquisitis, constitutisque praesidibus, provincias ipsas per se administrat. Myeczslaus autem Senex Maioris Poloniae et Pomeranorum Dux a filio Otta [5]) exclusus, in Rathiboriense oppidum, quod suae extitit potestatis, se recepit, et illic cum uxore et tribus filiis sub [6]) omni rerum tenuitate et penuria agebat incolatum.

Sedente Iaroslao Iszaslawicz Duce Russiae annis aliquot in Kyoviensi Principatu, felicitati et sorti eius Swanthoslaus Czyrnyeoviensis [7]) Dux invidens, exercitu non parvo congregato, ablaturus illi Kyoviensem Ducatum, vadit clandestine contra illum, et nulla diffidatione [8]) praemissa, dum Iaroslaus Iszaslawicz in arce Kyoviensi securus consisteret, castrum Kyoviense, pro amico et fratre existimatus, ingreditur cum omnibus suis copiis et incautum occupat. Inter tumultum tamen Dux Iaroslaus aegre aufugit; consors vero sua et filius illius iunior, et omnis militia a Swanthoslao capta est. Omnibus denique thesauris suis amplissimis et omni supellectili Swanthoslaus potitus est, et tam captivos, quam spolia in Czyrnyeow [9]) deducens, castrum Kyoviense impugnationem veritus desertum reliquit. Quo Iaroslaus Iszaslawicz audito, contractis auxiliaribus copiis, duos insuper nepotes suos Duces, filios Rostislai habens cum gentibus in suo comitatu, venit in Kyow, et arcem Kyoviensem forti praesidio muniens, omnem culpam patrati in se per Swanthoslaum Czyrnyeoviensem Ducem facinoris in Kyovienses, quasi eorum ope [10]), consilio et subordinatione patratum fuerit, refundens, ditioribus civibus spoliatis, etiam omnes abbates, sacerdotes, monachos, moniales et quoslibet Latinos captivat, et gravem censum pro eorum liberatione accipit, caeteros vendit et multa abominanda in Kyovienses committit. Contra Swanthoslaum denique Czyrnyeoviensem Ducem hostem et spoliatorem suum procedit, et illum in Czyrnyeow obsedit, sed proficere se non videns, cum illo pacificatur.

---

[1]) Oświęcimensem *Ed. Dobr.* [2]) Leszkonem *Ed. Dobr.* [3]) patronum *Cod. Rozr.* [4]) Dux et Monarcha *Cod. Rozr.* [5]) Ottone *Ed. Dobr.* [6]) cum *Ed. Dobr.* [7]) Czernieoviensis *Ed. Dobr.* [8]) belli indictione *Cod. Rozr.* [9]) Czernieiow *Ed. Dobr.* [10]) spe *Ed. Dobr.*

Ducatum suum Bohemiae Sobieslaus Dux, a quo per Fridericum Regis Wladislai filium Almanorum suffragio deiectus erat, repetiturus, copiis aliquantis congregatis, Pragam in Friderici absentia, qui ad Imperatorem vocatus ierat, tentavit repetere; sed dum secus cessisset [1]) (magno enim Almanorum praesidio Praga defendebatur), Fridericum ex Almania cum magno Almanorum exercitu revertentem in loco iniquo [2]) deprehensum, iniquitate loci adiutus, confligit [3]), et exercitum suum adeo sternit et dissipat, ut invicem duo non possent reperiri. Verum dum Fridericus Cunradi Moraviae Ducis et gentium suarum solatio [4]) ex clade accepta erectus in Pragam contenderet, Sobieslaus superiori elatus victoria, prope Pragam utrique occurrit, et pugna commissa, strageque utrinque edita, victus refugit; annoque insequenti mortuus, pacificam Friderico Ducatus Bohemiae reliquit possessionem. Hic in Almanos tam foedo et truculento saevitiae [5]) genere, saevitiam suam Bohemis inflammantibus, fertur usus esse, ut quoslibet Almanos in Bohemia repertos aut ipse in naso mutilaverit, aut mutilari permiserit.

Fundatio monasterii in Wanchoczsko.

Gedeon Cracoviensis episcopus fundat, construit et dotat monasterium in Wanchoczsko [6]) ordinis Cisterciensis supra fluvium Kamyona, de bonis sui episcopatus Cracoviensis et plures decimas mensae episcopalis illi donat in dotem, ecclesiamque ad honorem Sancti Floriani consecrat, cui singulari affectu famulabatur, non quidem tunc, cum monasterium fundasset, sed cum muros eius [7]) quadro consummasset lapide, corpore beati Floriani in Cracoviam (ut in sequentibus docebimus) illato.

Alexander Papa tertius Galliis, in quibus annis prope decem et octo demoratus propter turbationem et schisma ecclesiae fuerat, relictis, schismate sublato, et quatuor Antipapis sibi successive succedentibus mala morte absumptis, periculo maris Tyrrheni se committens, Italiam et deinde Urbem cum maximo cleri et populi [8]) favore susceptus advenit.

Lupo Ploczensi episcopo succedit Vitus.

Ploczensis pontifex Lupus, cum annis novem sedisset, perculsus paralysi

[1]) quam credebat eveniret *Ed. Dobr.* [2]) lacu quodam *Ed. Dobr.* [3]) invadit *Cod. Roer.* [4]) auxilio *Cod. Roer.* [5]) saevo et foedo truculentiae *Ed. Dobr.* [6]) Wąchocko *Ed. Dobr.* [7]) opus totum *Cod. Roer.* [8]) spirituali *Ed. Dobr.*

moritur et in Ploczensi ecclesia sepelitur. Cui Vitus de Chotel ex terra Sandomiriensi ortus, nobilis de domo Ianina, per electionem canonicam succedit, a Petro Gnesnensi archiepiscopo, Kazimiro Duce Cracoviensi et Regni Poloniae Monarcha consentiente, provisus: qui tria monasteria ordinis Praemonstratensis fundavit, videlicet in Withow, Busko et Ploczsko.

ANNUS DOMINI 1180.

Kazimirus pacificato Regno, Myeczslai leges iniquas abrogat, novasque iustas constituit: pro quarum confirmatione et alicuius Sancti corpore Romam legatos mittit.

Universis provinciis Regni Poloniae ad obedientiam suam Kazimirus Polonorum Dux et Monarcha, mira solertia, industriaque [1]) reductis, id primum sibi Princeps virtute clarus agendum assumpsit, ut patriam exquisitis pressuris et gravaminibus concussam in libertatem et aequitatem vendicet [2]). Omnes itaque quae a Myeczslao fratre suo, eiusque praefectis et officialibus constitutae erant novae datiae, tributa, telonea et exactiones dissolvit et abrogat, calumnias resecat, calumniatores aut proscribit aut igne cauterisat, et omnia iudicia iniqua, quibus substantiae hominum absorbebantur, eliminat et ad recti, iustique libraminis redigit puritatem. Ad maiores deinde abusus, qui ex veteri consuetudine, non inter praevaricationes et vitia, sed inter leges et iura Regni numerabantur, abolendos, operam suam omnem convertit: qui quoniam et Principes et barones, maioresque Poloniae [3]) pervaserant, difficiliorem sui [4]) efficiebant curationem, moleste ferentibus primoribus, se suis praerogativis et commoditatibus privari. Erat etenim Polonicae genti consuetudinarium et solenne, ut nobiles et militares faciendo [5]) per Regnum transitus et itinera, non foenum tantummodo, stipulam et paleam, sed annonam et reliquum victum agrestibus sibi dari [6]) imperarent, et abnuentium potenti invasione, domibus et horreis perfractis, suam necessitatem licentius explerent et bona agrestium non tam depascerent, quam proculcarent. Privata insuper negotia exilem interdum importantiam [7]) habentia, nobiles et militares dispositori, equos [8]) agrestium in rure vel campis apprehensos [9]), per se aut suos satellites conscensos [10]), citato et pervicaci [11]) cursu longa interdum

[1]) celeritate, ingenioque *Cod. Rozr.* [2]) vindicaret. *Ed. Dobr.* [3]) Maioris Poloniae *Ed. Dobr.* [4]) sibi *Cod. Rozr.* [5]) facientes *Ed. Dobr.* [6]) sibi dari *deest in Cod. Aut.* [7]) necessitatem *Cod. Rozr.* [8]) equis *Cod. Rozr.* [9]) apprehensis *Cod. Rozr.* [10]) conscensis *Cod. Rozr.* [11]) pernici *Ed. Dobr.*

terrarum et locorum spatia conficiebant: ex quo equis fatigatis aut irremediabiliter enervatis, saepenumero quoque extinctis vel in remota terrarum spatia abductis, interdum etiam quod [1]) probati et praestantes essent, usurpatis, magna pernicies et egestas agrestes in opere suo neglectos aut equis privatos sequebatur. Bona insuper episcoporum [2]) decedentium tam mobilia, quam immobilia praedae et direptioni [3]) patebant, aut ducali fisco mandabantur. Magno itaque conventu apud Lanciciam indicto, quanta mala, quanta homicidia ex praefatis tribus abusibus consurgant, quantis Regnum vastetur et affligetur [4]) incommodis, quantum praevaricatione huiusmodi gentilem et barbaram crudelitatem redolente offendatur, provoceturque Deus, in Ducum, episcoporum et militarium frequenti multitudine edicit. Decreverunt propterea abusus huiusmodi exterminandos esse, ut Divinitatem sibi hactenus iratam [5]) efficerent propitiam, et se catholicorum [6]) Regnorum sacris legibus conformarent: se enim sic institutum esse [7]), ut sub sua Monarchia et regimine diutius tam sceleratas et profanas consuetudines offensam Dei et iniuriam proximi et Sacrorum notoriam continentes, non esse passurum [8]). Aderant huic concilio praesules octo: Zdzislaus Gnesnensis, Gedeon Cracoviensis, Ziroslaus Wratislaviensis, Onolfus,[9]) Cuiaviensis, Cherubin Posnaniensis, Lupus [10]) Ploczensis, Cunradus Kamyenensis [11]), Gaudentius Lubuczensis; tres Principes: Otto Posnaniensis, Boleslaus Wratislaviensis, Lestko [12]) Masoviensis; baronum quoque et militarium multitudo copiosa, quorum frequentes sententiae abolendas consuetudines iniquas, propter quas divina indignatio variis infortuniis et adversis successibus credita est Polonos perculisse [13]), decernebant. Et ne consuetudines ipsas contingeret a quoquam in posterum resumi vel innovari, omnes illarum aut alterius ex eis autores placuit horrendo anathematis chirographo vinciri. Postridie itaque tam Zdzislaus Gnesnensis archiepiscopus, quam omnes Polonorum episcopi pontificali amictu induti, Kazimiro Polonorum Duce et Monarcha, universisque Principibus, baronibus, militibus et communitate, praesentibus, iubentibus [14]), gratificantibus et tam se quam posteros [15]) in legem et vinculum huiusmodi submittentibus, in hunc modum pronuntiant: Qui colonorum et agrestium annonam aut alias res, vi aut aliquo ingenio [16]) tulerit aut auferri iusserit, anathema sit. Qui legationis aut necessitatis publicae vel privatae occasione, praeterquam ad denuntiandum hostium in patriam imminentem insultum, cuiusquam quadrupedem

---

[1]) si *Cod. Rozr.* [2]) spiritualium *Cod. Rozr.* [3]) dirae rapinae *Ed. Dobr.* [4]) affligatur *Cod. Rozr.* [5]) ut clementiam Dei sibi *Ed. Dobr.* [6]) Christianorum *Cod. Rozr.* [7]) esse sciant *Cod. Rozr.* [8]) passuros. *Cod. Rozr.* [9]) Onolus *Cod. Calv.* (Wnelphus *sive* Vunelphus *fortasse)* [10]) Vitus *Cod. Rozr.* Lupus iam obiit, Vitusco *Ed. Dobr.* [11]) Camenecensis *Ed. Dobr.* [12]) Leszko *Ed. Dobr.* [13]) percussisse *Cod. Rozr.* [14]) iubilantibus *Ed. Dobr.* [15]) caeteros posteros *Cod. Rozr.* [16]) modo *Cod. Rozr.*

et iumentum in angariam Podwodaticam [1]) acceperit vel accipi iusserit, anathema sit. Qui bona pontificum aut ecclesiasticarum personarum decedentium rapuerit, occupaverit, distraxerit, etiamsi sit persona illustris et regali, ducali aut quacunque alia praefulgeat dignitate, anathema sit. Qui episcoporum spoliatorem [2]), restitutione non habita [3]), acceptaverit, et raptorum aut distractorum relaxationem raptoribus, satisfactione legitima non praecedente [4]), impenderit, velut sacrilegii particeps et consentaneus, et qui ambitioni suae et commodis inhiando sacrilegio occasionem praestiterit, anathema sit. Et acclamatione concinna a Ducibus et universo populo responsum est: Amen. Ut autem tam saluberrimae constitutionis in futuras generationes [5]) habeatur [6]) duramentum, solerti Ducis Kazimiri ordinatione nuntii ex utroque statu in Romam ad Summum Pontificem Alexandrum tertium mittendi deliguntur, confirmationem papalem, quae constitutiones ipsas et in scriptum redactas, et Ducis Kazimiri, pontificumque, Principum et baronum sigillis munitas, apostolica firmitate perennet, et corpus, ossaque alicuius Sancti, quo Cracoviensis insigniretur ecclesia, obtenturi. Et nuntii quidem Polonorum apud Tusculanum Alexandro Papa offenso, benigne habiti et auditi sunt, gratiaeque praesente Cardinalium coetu, ab Alexandro [7]) Polonis actae, quod pestifero durante schismate, nationibus et Regnis vicinis aut claudicantibus, aut obedientiam Antipaparum profitentibus, ipsi constanti perseverantia ab eius obedientia non desciverint [8]). Constitutionem deinde Polonorum, velut iustam et religione plenam, et commendat et confirmat; de dandoque sacro corpore bene legatos Polonorum sperare et se in Romam subsequi iubet. Confirmationis autem suae pro rescindendo dubietatis [9]) scrupulo exemplar subnectimus [10]): cuius a nobis originale in ecclesia Cracoviensi conditum, saepe attactum [11]) et visum est.

„Alexander episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Ka„zimiro Duci Poloniae salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte tuae „magnitudinis relatum est nobis, quod de consilio archiepiscopi et episcopo„rum Poloniae, et Principum terrae quasdam abusiones et solitas iniurias ab „ecclesiis et personis ecclesiasticis amputasti, constituens, ne bona deceden„tium episcoporum ulterius confiscentur [12]). Constitutum est etiam, ut si „quispiam in res defuncti episcopi manus iniecerit, vinculo anathematis tene„atur, nec praesumat ullus raptorum defuncto episcopo succedere, donec ab„solutionis beneficium assequatur, restitutis ablatis, vel ablatorum congrua

[1]) angaria Podvodarum *Ed. Dobr.* [2]) episcopum spoliatum *Cod. Aut.* [3]) non re habita *Ed. Dobr.* [4]) satisfaciente vel praecedente *Ed. Dobr.* [5]) constitutiones perpetuitatis maius *Ed. Dobr.* [6]) haberent *Ed. Dobr.* [7]) Alexandro tertio *Cod. Rozr.* [8]) decessissent. *Cod. Rozr.* [9]) ambiguitatis *Ed. Dobr.* [10]) subnectit *Ed. Dobr.* [11]) attractum *Ed. Dobr.* [12]) amplius confiscarentur. *Cod. Rozr.*

„aestimatione praemissa. Consuetudinem autem, quae a Principibus terrae ser„vabatur, videlicet, ut quocumque pergerent pompatice invadentes horrea pau„perum evacuarent, etsi inter absentes aliquid negotioli quandoque continge„ret [1]), impii satellites discurrentes raptos quoscumque caballos [2]) vel enerva„rent in cursu, vel omnino destruerent, de ecclesiasticorum et saecularium „virorum consilio emendasti. Unde quoniam constitutionem tuam iustam pa„riter et honestam autoritate nostra postulas confirmari: nos tuis iustis pos„tulationibus annuentès, constitutionem praescriptam, sicut in scripto authen„tico super hoc facto habetur, autoritate apostolica confirmamus et praesen„tis [3]) scripti patrocinio communimus, sub interminatione anathematis prohi„bentes, ne quis eam violare aliqua ratione praesumat. Nulli ergo omnino „homini liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel [4]) ei auso „temerario contraire. Si quis autem haec attentare praesumpserit, indignatio„nem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se no„verit incursurum. Datum Tusculani, Quinto Calendas Aprilis."

ANNUS DOMINI 1181.

Myeczslaus summis precibus a fratre Kazimiro supplicat restitutionem in patriam, non tamen in Monarchiam.

Exclusionis suae a Principatu et dominio Myeczslaus Poloniae Maioris et Pomeranorum [5]) Dux agitatus molestia, dum restitutionem suam armis et potentia effici non posse adverteret, omnem spem in fraterna misericordia et compassione Ducis Kazimiri reponit, et tum per nuntios, tum per epistolas frequentes eum obsecrat, precatur et fatigat: quatenus illum [6]) cum uxore et filiis exulem amplius esse, et beneficia a se [7]), dum eum tenera haberet aetas, obliteratum iri non sinat. Nosse se et Kazimirum inficiari non posse, quanta charitate et fide adolescentiam eius [8]) foverit, et ut a patre negatam sortem assequi, fratre Henrico absumpto, posset, enixe [9]) instititerit, quam frequentibus et cumulatis favoribus et beneficiis eum complexus fuerit, quod insuper nunquam illi aliquid negaverit, nunquam molestus, gravis, fastidiosus aut arrogans fuerit, sed [10]) illum non in [11]) fratris solum, sed in filii amasset loco; Kazimirumque his verbis compellebat: Potesne, inquam, aequo [12]) animo et siccis oculis [13]) me unicum superstitem germanum natura, at certe

[1]) contigerit *Ed. Dobr.* [2]) caballos pauperum agrestium *Ed. Dobr.* [3]) petentis *Ed. Lips.* [4]) aut *Ed. Dobr.* [5]) Pomeraniae *Ed. Dobr.* [6]) ipsum *Cod. Rozr.* [7]) a se collata *Cod. Rozr.* [8]) suam *Cod. Rozr.* [9]) quam enixe *Cod. Rozr.* [10]) et *Ed. Dobr.* [11]) nisi *Ed. Dobr.* [12]) inquit, eo *Ed. Dobr.* [13]) oculis tuis *Ed. Dobr.*

clementia parentem tuum, exulem videre? potes [1]) beneficiorum a me susceptorum [2]) oblivisci? potesne ferre, ut ego canis [3]) respersum habens [4]) capillis caput, cum uxore mea, glote tua, tuisque nepotibus, in meum et tuum, imo domus nostrae et generis grande ludibrium stipe aliena sustenter? et meos Principatus, me superstite, infidus et male de me meritus filius Otto sub tui patrocinii umbra possideat? Ferreone es pectore, aut ex tygride nactus es praecordia, ut neque te meae, neque nepotum [5]) conditionis misereat? At si tibi nulla communione sanguinis, nullo beneficio, nulla necessitudine obstrictus essem, moveri certe vel sola mea et meorum [6]) consortis et filiorum [7]) mecum una depulsorum [8]) tam iniuria, quam calamitate debueras. Recense et meorum in te beneficiorum collatorum, recense et tuarum sponsionum, quibus nullo pacto, nulla ratione mea in te beneficia moritura ingeminabas, recense postremo iniuriarum, calamitatisque meae magnitudinem, et frigescentem in te charitatem vel tot igniculis accende, et in exule, in fratre, imo in parente, quam nemini alteri negare solitus es, depromе pietatem. Quodsi fortasse animum tuum Monarchiae, ne ab illius solio, me restituto, excludaris, subit respectus, at ego cum iam languido et effoeto corpore sim, et ad publica munera obeunda parum mihi videor idoneus, bene mecum, sed cum nostra re publica optime actum reor, quod tu et animo et manu ad omnia promptus, iure haereditario, cum sis filius mortui et germanus viventis, legitimo tempore, dum a me utiliter administrari non poterat, occupasti. Faveo itaque pro benegerendis rebus patriae nostrae, regimini tuo non invideo, et te sorte Principatus maioris et Monarchiae digniorem me [9]) iudico, tibique viro forti, imbecillis ipse animo et viribus, de solio eius, quo in meam restitutionem animaequior [10]) sis, cedo, iurique omni mihi [11]) in illo competenti tam in praesens quam in futurum me abdico atque renuntio.

Proceres et barones, universumque vulgus terrae et castellaniae Slupensis graviter et iniquo animo ferentes, ab Owardo [12]) Daciae [13]) Rege asserente se, sicut verum erat, ex Regibus et Principibus Poloniae per aviam suam genus et originem ducere, terram et castellaniam Slupensem, dum tunc illam Wladislaus Maioris Poloniae et Pomeraniae Dux sub suo regimine obtineret [14]), per potentiam occupasse [15]) et annis plurimis, ipso Wladislao Duce Poloniae suam et totius Regni Poloniae grandem iniuriam rescindere negligente, iniusta occupatione detinente [16]), conspiratione unanimiter facta, ne processu dierum occupatio ipsa violenta in iuris et iustae subiectionis trahe-

[1]) potesne *Ed. Dobr.* [2]) acceptorum *Ed. Dobr.* [3]) prae senio cernis *Ed. Dobr.* [4]) albis *Ed. Dobr.* [5]) nepotum tuorum *Ed. Dobr.* [6]) meae *Ed. Dobr.* [7]) filiorumque meorum *Ed. Dobr.* [8]) expulsorum *Ed. Dobr.* [9]) digniorem video et *Cod. Rozr.* [10]) animi aequioris *Cod. Rozr.* [11]) nostro *Ed. Dobr.* [12]) Evardo *Cod. Rozr.* [13]) Daniae *Ed. Lips.* [14]) tenuerat *Cod. Rozr.* [15]) occupari *Cod. Rozr.* [16]) detineri *Cod. Rozr.*

retur necessitatem, et ipsi in perpetuam Regis et Principum exterorum, cum haberent naturales et proprios, redigerentur servitutem et ditionem, superbam et iniustam praefati Owardi [1]) Regis Daciae [2]) dominationem perosi, ab ipso deficiunt et Swantopelkum Pomeraniae Ducem in dominum et Principem suum assumunt: coepitque extunc terra praefata et castellania Slupensis Regibus et Principibus Poloniae in temporalibus, archiepiscopo vero Gnesnensi in spiritualibus, ad quos ex sua primaeva fundatione pertinebat, cuius tunc Henricus Kyetlicz obtinebat sedem, esse obedienter subiecta.

Kazimirus motus precibus fratris, pro eius restitutione conventum indicit: cuius animo audito, Poloni tumultum excitant, et ipse cogitur legem abrogare. Tandem aliorum suffragiis adiutus Myeczslaus Dux omnem Maioris Poloniae Principatum recuperat.

Ad intima pectoris Kazimiri Ducis [3]) et Monarchae supplicatio fratris Myeczslai tam humilis tamque modesta penetraverat, lachrimisque obortis se et exuli et fratri, suaeque iuventutis et orphanitatis alumno [4]) compassurum testabatur, sed et mutabilitatem in eo recensendo [5]) mirabatur fortunae, quae illi non Monarchiam solum, sed et naturales et haereditarios Ducatus ademisset. In tam vero grandi re proprio nolens uti arbitrio, frequens consilium advocat et de restituendo fratre Myeczslao apud Senatum verba facit. Nimis, inquit, acerbo animo, proceres, Myeczslai Ducis, qui mihi unicus frater relictus est, exilium fero, plurimumque suae et natorum suorum, qui alterum me parentem existimant, calamitatis me miseret, a quo crebro, ut illum in suos Principatus [6]) restituam, exoror; ius quoque Monarchiae penes me relinquens, illi cedit atque renuntiat. Iustam ego, proceres, petitionem suam [7]) existimo: Monarchiae quoque Principatus se abdicanti sortem haereditario iure eum contingentem [8]) reddi illi aequum censeo, iniquum ratus [9]), si eo vivo et spirante, aut filius eius Otto, aut caeteri in eius principentur dominio, et eo [10]) calamitate atque exilio affecto, illi gloriosi atque splendidi refulgeant. Fastidiosis auribus ducalis sermo a consiliariis exceptus est, murmurque mox subortum, obstinatum deinde silentium omnes aliquanto tempore tenuit. Tum spatio ad consultandum a Duce petito, secessione in alium locum facta, adeo consternatis animis tumultuario magis quam sensato [11]) more, ita ut res parum a iusta seditione differret, deliberant. Multorum enim sententiis place-

---

[1]) Evardi *Cod. Rozr.* [2]) Daniae *Ed. Lips.* [3]) Polonorum Ducis *Cod. Rozr.* [4]) patrono *Cod. Rozr.* [5]) recognoscendo *Cod. Rozr.* [6]) in suam haereditatem Principatuum *Cod. Rozr.* [7]) eius *Ed. Dobr.* [8]) concernentem *Cod. Rozr.* [9]) iniquumque reor *Ed. Dobr.* [10]) ipso *Cod. Rozr.* [11]) scrutinii *Ed. Dobr.*

bat, et Kazimirum simili expulsione, qua et [1]) Myeczslaum percelli; mitigato tandem furore, in hunc modum respondent. In evidens, inquiunt, Princeps illustrissime, a te vocamur discrimen, sermo quoque a te de restitutione fratris tui Myeczslai habitus capitale portendit supplicium, et [2]) in omnium nostrum exterminium restitutus Myeczslaus non desinet grassari. Vehementer angimur, vehementer coartamur, qui probe novimus, iratum Myeczslai animum non nisi [3]) voluntate carnificina in nobis deprompta, quieturum. Superest, ut si de restituendo Myeczslao sententiam non correxeris, nos omnes aut in voluntarium exilium abituros, aut aliqua alia ratione nobis et vitae nostrae prospecturos non dubites. Nec nostrae tantummodo, sed et tuae timemus parti, cum promissorum facile [4]) oblitus, in tuam [5]) machinabitur depulsionem [6]). Tum Kazimirus Dux consiliariorum animos in seditionem spectantes mitigaturus, mutat illico decretum, et de restituendo fratre Myeczslao sententiam abrogat, consiliariisque pollicetur, non amplius se de re hac quicquam innovaturum. Gratias insuper agit singulis, quod tam sinceros, fidos et constantes eorum erga se animos expertus esset. Myeczslaus itaque Senex, his quae de se in concilio erant acta, Kazimiri intimatione cognitis, ad Fridericum Imperatorem personaliter se conferens, iniuriarum suarum conditione declarata, suffragio caesareo se in Principatus suos restitui deprecatur. Verum dum Fridericum Imperatorem transmarino bello, quod in Terrae Sanctae subsidium agendum susceperat, aliisque gravibus Imperii negotiis occupatum intelligeret, in Poloniam revertitur, et maritimae orae Principi Msczugio [7]) locata filia, eius et aliorum sibi faventium fultus auxilio, Kazimiro insuper Duce et Monarcha favente et conscio [8]), Gnesnense castrum intercipit: ex quo caetera Maioris Poloniae castra et munitiones aut vi, aut deditione conquirit. Filius quoque suus Otto, venia petita, per communes amicos patri reconciliatus, ad subiectionem rediit. Ita brevi tempore Myeczslaus Maioris Poloniae dominia et Principatum ex integro recuperans, adeptus est, et Kazimirus Dux et Monarcha restitutionem suam, quam publice efficere nequivit, clandestino favore et suffragio conflavit.

Ziroslao episcopo Wratislaviensi succedit Franciscus.

Wratislaviensis episcopus Ziroslaus secundus, cum annis undecim sedisset, Tertio Nonas Aprilis de febri moritur. Cui Franciscus alias Franko suc-

---

[1]) aeque ac *Ed. Dobr.* [2]) nam *Cod. Rozr.* [3]) sine *Cod. Rozr.* [4]) Miecslaus facile *Cod. Rozr.* [5]) in tuam etiam *Cod. Rozr.* [6]) expulsionem. *Ed. Dobr.* [7]) Msczugius autem is Princeps fuerat nomine *Cod. Rozr.* [8]) consulente *Ed. Dobr.*

cedit favore Boleslai Alti Ducis Wratislaviensis, a Petro secundo Gnesnensi archiepiscopo confirmatus et consecratus, qui alio nomine Swantko [1]) appellabatur, Polonus genere et nobilis de domo [2]) Prawditarum.

ANNUS DOMINI 1182.

Kazimirus recuperata Brzescze, cum suorum murmure Russiam petit: ubi circa Halicz profligatis duobus Ducibus, Msczislaum affinem in statu reponit et victor cum exercitu domum redit.

Brestensis civitatis et provinciae supra fluvium Bug sitae nuntiata defectio Kazimirum Ducem et Monarcham illico concitavit ad arma, et tam equestribus quam pedestribus copiis in unum coactis, celerrimo gradu in Brzescze [3]) perveniens, illam oppugnat, et infra dies duodecim vincit et conquirit, percussisque securi defectionis autoribus, municipium illic oppido imminens exstruit [4]), ac valido praesidio, ut populares contineantur in fide, imposito, versus Haliczіensem civitatem et regionem exercitum ducit, affinem suum Msczislaum Ducem, quem fratres sumpta occasione fallaci [5]), quasi non legitimus, sed subductitius et de iniusto matrimonio susceptus fuerit, de Regno eiecerant, restituturus. Molesta plerisque Polonorum proceribus ea expeditio videbatur, et aegre in eam militiam procedebant, clandestinisque et secretis colloquiis Ducem Kazimirum carpebant, quod propriis bellis non contentus, externa et iniusta bella parum felicitatis et commodi habitura, tractanda assumpsisset; indignum insuper esse, ut pro spurio et ambigui tori homine in acie iniqua longe a domo sua sine donativo [6]) decertarent. Has querelas etsi Kazimirus nosset per milites ingeminari in castris, nihil tamen militari rumore motus, promovet exercitum in ulteriora. Iam prope Haliciam ventum erat, dieque altera obsidio Haliczіensium parabatur, dum subito ab exploratoribus nuntiatum est, Wszewoldum Belszensem et Wladimirum Haliczіensem germanum Msczislai, Duces, cum omnibus Ruthenorum Principibus et Boyaris infesta acie adventare. Tum iam non secreta, sed aperta Poloni in Ducem suum Kazimirum probra exaggerant; sed et Nicolaum Cracoviensem palatinum et principem militiae, quasi huius belli praecipuum auctorem, contumeliosis insectantur sermonibus, seque ad evidens periculum perductos [7]) et pene Ruthenis queruntur proditos. Videbant enim Ruthenorum exercitum magnis copiis refertum esse, et

---

[1]) Suanko *Ed. Dobr.* [2]) de domo et familia *Cod. Rozr.* [3]) Brzeście *Ed. Dobr.* [4]) construxit *Ed. Dobr.* [5]) falsitatis *Ed. Dobr.* [6]) donatione *Ed. Dobr.* [7]) abductos *Cod. Rozr.*

quasi in Polonorum perniciem universas Ruthenorum provincias velut ex composito convenisse. Ruthenos praeter odium in Polonos insitum, Polonorum conspecta paucitas [1]), suorumque frequentia et consulti de futuro belli eventu haruspices, laeta omnia sibi, Polonis tristia nuntiantes, in praelium accendebant. Kazimirus nihil aspectu et multitudine hostium territus, ordinatis aciebus, milites animat, docet in Ruthenorum multitudine, paucis exceptis, vilia esse mancipia, et si parum adnitantur, facilem victoriam praebitura, saepiusque multitudinem a paucitate fusam extitisse. Ac sic militibus animatis [2]) et spe victoriae alacribus [3]), laevo [4]) cornu Nicolao Cracoviensi palatino commisso, dextrum ipse regens, signis canere iussis, cum hostibus congreditur. Rutheni clamore sublato, vehementi et ipsi impetu capessunt pugnam, durumque certamen inter utrumque populum aliquanto tempore gerebatur. Iam quoque laevum cornu, cui palatinus Nicolaus praeerat, a levis armaturae sagittariis, equis aut confossis aut vulneratis, referre coeperat [5]) pedem, dum Kazimirus denuntiato sibi periculo, turmam unam militum in laevum cornu subducens, pulsis Ruthenorum sagittariis, praelium restituit; ac in dextro cornu Polonorum phalanx, Ruthenorum aciebus disruptis, proculcatisque, in caeteras Ruthenorum turmas gladios stringebat, dum in laevo cornu Rutheni a Nicolao palatino fusi, pulsique, in fugam dilabuntur. Sed nec hi, qui contra dextrum cornu pugnam sustinebant, faciunt moram: metu enim fugientium perculsi, in fugam vertuntur [6]). Wszewoldus Belszensis et Wladimirus Haliczniensis Duces, ne in potestatem Kazimiri venirent vivi, equos mutando sequentium se manus evadunt. Ruthenorum magnus numerus eo praelio aut occisus aut captus; castra Ruthenorum omnis opulentiae plena, per Polonos iubente Kazimiro direpta: sed et castrum et oppidum Haliczniense illico Kazimiro victori deditum est, qui illud Msczislao Russiae Duci affini suo, sacramento perprius adacto, quod nunquam se et Polonorum gentem in adversis et prosperis desereret, committens, in Haliczniense Regnum ipsum de integro restituit, rebusque Russiae ordinatis, in Poloniam redit. Et Wszewoldus quidem Belszensis Dux ex praelio fugiens, in Belsz castrum suum cum paucis pervenit; Wladimirus vero Haliczniensis Dux in Hungariam divertit, a Rege Hungarorum Bela suffragium, supplementumque militum et impensarum pro sua in Haliczniensem Ducatum restitutione petiturus.

---

[1]) paucitate *Ed. Dobr.* [2]) milites animatos *Cod. Aut.* milite animato *Ed. Dobr.* [3]) alacres *Cod. Aut.* alacri *Ed. Dobr.* [4]) sinistro *Cod. Rozr.* [5]) retrorsum coeperat referre *Ed. Dobr.* [6]) et ipsi vertuntur. *Ed. Dobr.*

Petro secundo archiepiscopo Gnesnensi succedit Zdzislaus.

Gnesnensis metropolitanus Petrus secundus, cum annis duobus et viginti ecclesiam Gnesnensem rexisset, moritur et in Gnesnensi ecclesia sepelitur. Cui Zdzislaus canonicus Gnesnensis, nobilis genere Polonus de familia et domo Koszlyarogy [1]), per electionem canonicam succedit, a Summo Pontifice Lucio Papa tertio, Myeczslao Maioris Poloniae Duce intercedente, provisus.

Barones et milites Bohemiae imperium et mores Friderici Ducis sui perosi, tam ipsum, quam fratrem suum Ottonem, variis opprobriis et contumeliis deturpatum, seditione exorta, de Ducatu eiiciunt et Cunradum Moraviae Ducem in Ducem [2]) et dominum assumunt, Pragamque, quae pro Friderico per militum suorum Almanorum praecipue praesidium tenebatur, obsidione cingentes, oppugnant et per deditionem conquirunt. Fridericus autem Romanorum Imperator, in cuius tutelam Fridericus Bohemiae Dux ab omnibus suis desertum iri se advertens [3]), confugerat, tam Cunradum Ducem, quam barones Bohemiae (sed Cunrado [4]) Duce vocationem abnuente) ad suum tribunal de iustitia Friderico responsuros vocat. Barones Bohemiae [5]) magna trepidatione ad se venientes Fridericus Imperator variis suppliciis coram positis iubet torqueri, quorum metu impulsi, deserto Cunrado, Fridericum in Ducem reassumunt et novo sacramento atque foedere se illi obstringunt.

Alexander Papa tertius, cum annis uno et viginti, mensibus undecim et diebus tredecim sedisset, Romae moritur et in ecclesia beati Petri sepelitur. Cui Lucius tertius natione Tuscus, de civitate Luca ex nobili prosapia originem trahens, Cardinalis tunc episcopus Ostiensis [6]), succedit; ad quem Kazimirus Dux et Monarcha Polonorum novos nuntios fatigat, ossa Sancti alicuius, de quibus dandis a suo praedecessore Alexandro spes facta fuerat, pro ecclesia Cracoviensi precaturos.

ANNUS DOMINI 1183.

Myeczslaus aspirans ad Monarchiam, procurat se haeredem Ducatus Masoviae et Cuiaviae per Lestkonem nepotem dolis circumventum, fieri: quod Kazimiro Duci displicuit; et filius Kazimiri a vipera necatur.

Restitutione sua ad Maioris Poloniae Ducatus Myeczslaus Senex parum

[1]) Kozlerogi *Ed. Dobr.* [2]) Principem *Cod. Roer.* [3]) desertum se videns *Ed. Dobr.* [4]) Conrado tamen *Cod. Roer.* [5]) Barones Bohemiae *deest in Cod. Aut.* [6]) Hostiensis *Cod. Aut.*

contentus, etiam ut in Principatum Monarchiae restituatur, magnopere exaestuat, variisque vafris et subdolis machinamentis, nunc hos, nunc illos consiliarios aut pollicitationibus aut largitione corrumpendo, conveniendoque, reditum sibi ad Monarchiam conatur extruere, saepe quoque cum Kazimiro Duce et Monarcha sponsionis et cessionis suae oblitus, de Principatu duris et acerbis sermonibus parum a iusta guerra [1]) abhorrentibus, contendit et velut ambitus reum carpit, quod se et germanum et [2]) natu maiorem ex possessione Monarchiae detraxerit, et non legitimo iure illam detineat occupatam. Et verbis quidem industria et astu oblitis Myeczslaus Dux pro Principatu contendens, in arma non veniebat, quin etiam Kazimirum Ducem contra se arma expedientem novo ingenio, novaque [3]) arte, viribus se sciens, si res in dimicationem veniret, imparem, placabat, astruens iureiurando ab omni Monarchiae iure et petitione se de caetero [4]), cum sors suorum Ducatuum sibi absque Monarchiae Principatu longe sit placidior [5]) atque praestantior, cessurum. Interdum insuper et per se et per communes consiliarios apud Kazimirum agebat, ut Lestkone communi nepote absumpto, cuius aegritudo in annos aliquot procedens moriturum illum propediem nuntiabat, in Masoviae et Cuiaviae Ducatus Myeczslaus pro sui iuris, quod in Monarchia habebat contentatione, succederet. Verum Kazimiro abnuente et in externa [6]) bella divertente, resumpto dolo ad Monarchiae Principatum aspirat irrumpere, asserens, ad coactas se sponsiones [7]) non teneri. Propositum autem animi sui aliquando tandem consecuturus, communem nepotem Lestkonem Masoviae et Cuiaviae Ducem, cuius tutoriam pater Boleslaus Crispus moriturus Duci Kazimiro mandaverat, ad se quibuscunque potest blanditiis perlicit, maximum fore virium accessionem rebus suis profuturam existimans, si Lestko Dux Masoviae et Cuiaviae, Kazimiro Monarcha deserto, in suam ditionem concederet. Sciens autem Lestkonem Masoviae et Cuiaviae Ducem praedictum a Zira Comite, quem illi Kazimiri Ducis autoritas in alumnum [8]) et alterum curatorem praefecerat, in singulis actionibus dirigi et omnia illius arbitrio Lestkonis acta moderari, Ziram Comitem non largitione solum, sed ea praecipue spe, quod ex pacto inter Kazimirum et Myeczslaum inito, Ducatus Masoviae et Cuiaviae, Lestkone obeunte, ad Myeczslaum Ducem sint recisuri, illectum expugnat et in omnia vota sua dolosa assertione inclinat [9]). Lestko itaque Dux praefatus, alumni [10]) sui Zirae Comitis persuasus, victusque consiliis, primario et praecipuo suo curatore Duce Kazimiro deserto, ad Myeczslaum

---

[1]) seditione *Cod. Rozr.* [2]) germanum suum *Ed. Dobr.* [3]) atque *Cod. Rozr.* [4]) amplius *Cod. Rozr.* [5]) splendidior *Ed. Dobr.* [6]) extrema *Cod. Rozr.* [7]) coactis se sponsionibus *Cod. Rozr.* [8]) patronum *Cod. Rozr.* [9]) Masoviae et Cuiaviae posessio sibi post obitum Leskonis esset, tanquam haeredi, scripto obventura. *Ed. Dobr.* [10]) patroni *Cod. Rozr.*

transmigrat, et suae ditioni, tutoriaeque tam personam suam, quam utrumque Principatum suum commendat, eumque Ducatuum et rerum suarum omnium scribit et designat successorem, in illiusque fidem militares et subditos suos iurare compellit. Quae novitas etsi Kazimiro Duci permolesta fuerit, iustaque ira et in fratrem Myeszkonem Ducem [1]), cuius astu et ambitione, et in Ziram Comitem, cuius perfidia [2]) et deceptione rem noverat conflatam, moveretur [3]), motus tamen omnes sagaciter comprimens, neque Myeszkoni [4]) fratri, neque Lestkoni nepoti, sed nec eius curatori Zirae molestus esse voluit, tacitus quoque, quonam tam improbi et infidi conatus reciderent [5]), dissimulans, oportuno tempori huius suae iniuriae contemptus correctionem destinabat. Obruit et alius aeque molestus Ducem Kazimirum sub eodem tempore casus: dum enim filius suus adolescentior Boleslaus nomine, arborem quandam iocandi gratia succideret [6]), vipera [7]) de stipite corruens et in gula tenera et delicata Boleslaum laedens, subita violentatione [8]) suffocat et extinguit, adeo quidem praecipitanter, ut a [9]) terra a circumstantibus sublatus neque vocem, neque gemitum ediderit. Cuius tam subitam et non vulgarem mortem pater illius Dux Kazimirus diuturno prosecutus luctu, honestis eum in Cracoviensi ecclesia extulit funebriis. Filii autem Boleslai decessum, quod in meliorem vitam translatus, non [10]) absque Divinitatis ordinatione, cui nequit resisti, illam oppetierit mortem, facile et aequo animo laturus, de praeiudicio, quod illi fratris Myeczslai Senis Maioris Poloniae Ducis in occupandis Masoviae et Cuiaviae terris intulerat ambitio, animo et spiritu nec tacitus interdum torquebatur. Quod plerique consiliarii Kazimiri Ducis contigisse hoc illi laetabantur, et quibusdam exprobrationibus in eum usi, iuste circumventum a Myeczslao Sene disserebant, ut experiretur eum hostem, quem pro suo scelere exulem pati non poterat, quasi restitutionem illius Kazimirus Cracoviensium Dux levitate potius, et non potius commiseratione atque indulgentia fraterna procurasse videretur.

Cunrado Moraviae Duce impetitionem Ducatus Bohemiae deserente, Wenceslaus filius antiqui et frater [11]) iunioris Sobieslai, a baronibus Bohemiae rerum novandarum cupidis suffectus est [12]), quorum potentia fretus, Pragam aliquanto tempore obsedit; conatibus tamen suis nullus effectus, Almanis pro praesidio relictis egregie urbem tutantibus, respondit. Interim Fridericus Bohemiae Dux, collecto in Almania exercitu, Bohemiam venit, et Wenceslaum decernere [13]) non ausum (erat enim Fridericus et germani sui Adalberti

---

[1]) in fratrem Miecslaum et in nepotem Leskonem *Cod. Rozr.* [2]) praesidio *Ed. Dobr.* [3]) accensus *Ed. Dobr.* [4]) Miecslao *Cod. Rozr.* [5]) caderent *Ed. Dobr.* [6]) conscenderet *Cod. Rozr.* [7]) ipera *Cod. Aut.* [8]) violenter eum *Ed. Dobr.* [9]) de *Ed. Dobr.* [10]) non *deest in Cod. Aut.* haud *Ed. Dobr.* [11]) filius fratris *Ed. Dobr.* [12]) suffectus est in Ducatum Bohemicum *Cod. Rozr.* [13]) decertare *Cod. Rozr.*

archiepiscopi Salczburgensis, et Leupoldi Ducis Austriae vallatus solatiis)[1] ab obsidione Pragensi repellit, obsidioneque soluta, etiam eos barones, qui a se ad Wenceslaum defecerant, partim benivolentia, partim metu sibi conciliat, et civiles motus sedans Bohemiam pacificat.

ANNUS DOMINI 1184.

Cum Myeczslaus suos locaret in castris Masoviae officiales, reiectis Lestkonis officialibus, Lestko poenitentia ductus ad Kazimirum vadit et tutoriam revocat venia impetrata.

Tutoriam Myeczslai Maioris Poloniae Ducis Lestko nepos suus Masoviae et Cuiaviae Dux, in quam malo seductus consilio, Kazimiro Duce deserto, transmigraverat, diuturno tempore non tulit. Nec ab re, Myeczslaus enim valitudine Lestkonis attenta, suspicatus illum propediem moriturum, non curatorem se, sed Principem mox gerere coepit, et in castris ac municipiis Masoviae, destitutis antiquis, suos praefectos et officiales instituit: ex quo facile Lestko Dux et alumnus[2]) eius Zira Comes se et autoritatem suam contemptum, diminutumque iri perpendit. Mox deinde in vehementem poenitentiam actus, transgressionis suae facinus, ampliora incommoda veritus a Myeczslao suboritura, rescindere curavit, et ad Kazimirum Cracoviensem Ducem cum Zira Comite, primisque Masoviae et Cuiaviae proceribus personaliter usque in Cracoviam se conferens, reatum suum humo prostratus, sibi et suis humili supplicatione petit ignosci: non se amplius spondens contra Maiestatem patrui sui et patris Boleslai ordinationem excessurum. Excussit ea vox Kazimiro Duci lachrimas: nam cum suapte clementia inclytus fuerit[3]), calamitosorum tamen et opem suam, culpa recognita, implorantium deprecatione facile frangebatur; Lestkoneque cum suis assurgere iusso, primum illum[4]), quod se deseruisset, quod paternam ordinationem temerasset, quod tranquillam et felicem vitam pati nequivisset, blanda castigatione[5]) obiurgat[6]), deinde quod in facinore et excessu suo non habitaverit[7]), sed peregrinatus magis fuerit, commendat, ac postremo omnem ex animo offensam, complexans[8]) et exosculans nepotem, relaxat, muneratumque in Ducatuum suorum sedes remittit: qui ex Cracovia reversus, institutos a Myeczslao capitaneos et praesides excedere iussit, suosque instituit. Eaque ordinatione, qua sibi successorem Myecz-

[1]) auxiliis *Cod. Rozr.* [2]) patronus *Ed. Dobr.* [3]) praeditus esset, tum *Ed. Dobr.* [4]) plurimum illum primum *Cod. Rozr.* [5]) castigatione pene gravatus *Ed. Dobr.* obiurgatione *Cod. Rozr.* [6]) castigat *Cod. Rozr.* [7]) non perseveravit *Ed. Dobr.* [8]) complectens *Ed. Dobr.*

slaum Ducem scripserat, revocata, paternam ordinationem ratam esse voluit, illi quoque et suae voluntatis robur, ut nemo praeter Kazimirum sibi [1]) succederet, adiecit, barones quoque et proceres suos ordinationem ipsam caste servaturos novo sacramento addixit.

Iaroslao Iszaslawicz Kyoviensi Duce obeunte, Swanthoslaus Czirnyeoviensis Dux Kyoviensem accipit Principatum [2]). Sub idem tempus [3]) quarta decima Iunii Michalko Dux Wladimiriensis obiit: cui frater suus Wszewoldus in omnes Ducatus succedit. Quem Mstislaus Rostislawicz [4]) a sedibus, quae illi provenerant [5]), turbaturus, cum Rostowczis contra illum consurgit [6]), et victus a Wszewoldo in Rostow et deinde in Novohrod [7]) refugit. Ea autem victoria Wszewoldus erectus, vadit contra Ducem in Reszan, habens in comitatu suo non proprias tantummodo gentes, sed et duos filios Swanthoslai Wszewoldicz [8]) Kyoviensis Ducis, Olham et Wladimirum, et nepotem suum Wladimirum Hlebowicz Ducem Pereaslaviensem. Hleb autem Dux Reszanensis callido usus consilio, assumptis in solatium sui [9]) Polowczis, in terram Wladimiriensem propere accessit et illam incendiis, caedibus et spoliis adeo crudelissime afflixit, ut ecclesias, monasteria et ministros eius omnibus spoliis et contumeliis afficeret. Quo [10]) sibi Dux Wszewoldus denuntiato [11]), festine ex Reszanis rediens, cum Hleb et Polowczis confligit, ipsosque non sine utriusque partis caede magna devincit, et Hleb Ducem Reszanensem et filium suum Romanum, et fratrem uxoris suae [12]) Mstislaum Rostislawicz [13]), et duos nepotes suos [14]) Mstislaum et Iaropolkum [15]), et omnem eius militiam captivat, Polowczos vero delet, occidit et trucidat. Processu deinde temporis Hleb Ducem Reszanensem in carcere mori fecit; nepotes vero illius Mstislaum et Iaropolkum caecavit, caeteros liberos dimisit.

Lucius Papa tertius corpus Sancti Floriani mittit Duci Kazimiro et ecclesiae Cracoviensi.

Lucius Papa tertius assiduis supplicationibus Kazimiri Ducis et Monarchae Polonorum, etiam per [16]) praedecessorem suum Alexandrum tertium ad exauditionis gratiam admissis, volens se praestare morigerum, corpus beati Floriani eximii martyris Duci praefato et Cracoviensi ecclesiae donandum de-

---

[1]) illi *Cod. Rozr.* [2]) Czernieioviensis Dux succedit. *Ed. Dobr.* [3]) Sub eodem tempore *Ed. Dobr.* [4]) Mscislaus Rościsławic *Ed. Dobr.* [5]) obvenerant *Ed. Dobr.* [6]) insurgit *Ed. Dobr.* [7]) Novogrod *Ed. Dobr.* [8]) Wszeuoldowic *Ed. Dobr.* [9]) in auxilium *Cod. Rozr.* [10]) Ea novitate *Ed. Dobr.* [11]) denuntiata *Ed. Dobr.* [12]) illius *Cod. Rozr.* [13]) Mscislaum Rościsławic *Ed. Dobr.* [14]) illius *Cod. Rozr.* [15]) Mscislaum et Iaropelkum *Ed. Dobr.* [16]) apud *Cod. Rozr.*

cernit: cuius donatio etiam miraculo divinitus ostenso comprobata est. Summus siquidem Pontifex Lucius (ut veteranorum etiam usque in tempora nostra derivata fert relatio) sacrarium, quod plura martyrum corpora confovebat [1]), ingressus, quis Sanctorum illic quiescentium Poloniam migrare vellet, inquisivit. Ad quam vocem (serione an ioco, incertum est) a Summo Pontifice prolatam, ex tumba, in qua corpus sacrum beati Floriani conditum erat, manus protensa Summo Pontifici vocitantis [2]), designantis et indicantis se apparuit, donarique Polonis et ecclesiae Cracoviensi huiusmodi manus protensione corpus suum signavit. Quo quidem miraculo sibi tunc ostenso Lucius Papa commonitus, minus cunctanter corpus beati Floriani martyris Polonis et ecclesiae Cracoviensi tribuit, et in ampliorem tam Sancti, quam Polonorum honorem, ossa corporis sancti per Aegidium Mutinensem episcopum Duci Polonorum Kazimiro et Cracoviensi ecclesiae destinavit. Qui Cracoviensem urbem Sexto Calendarum Novembris cum sacro onere perveniens, a Duce Kazimiro et Gedeone Cracoviensi episcopo, omnibusque statibus et ordinibus obviam illi ad septimum lapidem euntibus, summo honore, summaque iubilatione et gratulatione exceptus est, ovantibus singulis, quod Polonis novus suffragator et patronus divina propitiatione accesserit, et quod [3]) ecclesia Cracoviensis celeberrimi martyris corpore et deposito fuerit illustrata: in eam etenim corpus praefatum sub frequentia ingenti populorum illatum [4]) atque depositum est, et illius [5]) splendido deposito decora funiculos sui ornamenti longe lateque et tetendit et porrexit. In honorem autem martyris beati Basilica illi pulchro ac sumptuoso opere extra Cracovienses muros a Gedeone Cracoviensi episcopo, in hanc diem Divinitate propitia perseverans, exstructa est, et Aegidius episcopus Mutinensis a Duce Kazimiro et Gedeone Cracoviensi episcopo magnificis onustus muneribus Romam remissus; ab eoque tempore in Sancti Floriani decus et memoriam coeperunt Poloni tam militares, quam civiles et agrestes, filios suos in baptismate huius nominis appellatione [6]) insignire.

Fundatio collegiatae ecclesiae Sancti Floriani in Kleparz.

Fundat et Kazimirus Poloniae Monarcha et Cracoviensium Dux in ecclesia praefata in honorem novi hospitis beati Floriani, novum praelatorum et canonicorum atque vicariorum collegium, et illud villis et decimis, a Gedeone Cracoviensi episcopo precario impetratis, dotat: praeposituram ex ecclesia

---

[1]) continebat *Ed. Dobr.* [2]) vocitanti *Cod. Rozr.* [3]) quia *Cod. Rozr.* [4]) in locum *Ed. Dobr.* [5]) altius *Ed. Dobr.* [6]) in baptismo hoc nomine *Ed. Dobr.*

parochiali [1]) in Rupella [2]) ordinans et omnes canonicas horas psalli in ea, resque divinas agi instituens [3]).

De Cunrado Moraviae Duce Fridericus Bohemiae Dux, eo quod Bohemiae Ducatum sibi nitebatur surripere, ultionem sumpturus, fratrem suum Przemislaum [4]), dato sibi ex pedite et equite exercitu copioso, in Moraviam, ut illam flammis et spoliis humiliet et disperdat, transmittit: qui ea incendiis et rapinis pervastata, Cunrado secum, cum viribus inferior esset, congredi non auso, in Bohemiam rediit. Sed et Theobaldum fratrem suum Fridericus ipse de Bohemia in exilium egit, consortium suum abhorrens, et praesentiam suam sibi suspectam existimans et status sui [5]) turbationem allaturam.

ANNUS DOMINI 1185.

Msczislaus Haliczicnsis Dux a suis veneno necatur, et Bela Rex Hungariae, Wladimiro exule incarcerato, filium suum Andream in Russiam mittit, qui Ducatum Haliczionsem capit.

Triennio vix plene exacto Msczislaus Dux Haliczicnsis a Kazimiro Polonorum Duce et Monarcha (Wladimiro conflicto [6]) et eiecto atque in Pannonias acto) in dominium et Principatum Russorum restitutus, suis Ruthenis molestus et exosus coepit esse, quod et eorum non ferebat plerosque abusus et vitia, et in Polonorum milites apud se consistentes, parum de suis confidens, largitione et gratia propensior, quam in Ruthenos videbatur. Primores itaque Ruthenorum in eius necem, hi praesertim, qui Wladimiri exulis partem sectabantur, conspirant, quam cum vi aperta discrimen suum veriti efficere nequirent (quippe Msczislaus fidis corporis custodibus septus sine periculo a carnificibus non poterat adiri), veneno clam propinato innocentem extinguunt, Polonorumque militibus, qui in obsequiis Msczislai versabantur, eiectis, arce Haliczicnsi occupata, pro Wladimiro in Hungariam mittunt, ut [7]) veniret [8]) celerius et adversario sublato, Principatum suum repeteret. Laetus eo nuntio Wladimirus rem ad Belam Hungariae Regem defert, oratque [9]), ut qui exulem in dubiis et fractis rebus exceperat, tenuerat, aluerat, eundem rebus confirmatis et feliciorem sortem nactis [10]), dignaretur militum, equorum et sumptuum ad repetendum Ducatum relevare praesidio: cum Kazimiri Polonorum Ducis sciret sibi insidias et hostilitatem imminere, qui morte Msczi-

[1]) ex redditibus ecclesiae parochialis *Cod. Rozr.* [2]) Rumpella *Cod. Aut.* [3]) instituit. *Ed. Dobr.* [4]) Premisliensem *Ed. Dobr.* [5]) statui suo *Ed. Dobr.* [6]) profligato *Cod. Rozr.* [7]) ut *deest in Cod. Aut.* [8]) adveniret *Ed. Dobr.* [9]) rogatque *Cod. Rozr.* [10]) nactum *Ed. Dobr.*

slai comperta, Romanum Wladimiriae Ducem in eius locum substituendum ad Haliciam transmiserat. Bela autem Hungariae Rex ad usurpandum pro se et Regno Hungariae Haliczionsem regionem oportunum tempus venisse ratus, Wladimirum exulem in vincula coniicit, filium vero suum Andream cum copiis [1]) equestribus et terrestribus [2]) in Russiam, dato mandato, ut quam celerrime Haliczionsem arcem occupet, transmittit. Rutheni qui Haliczionse castrum tenebant, omnium eorum, quae a Bela Hungariae Rege gerebantur, ignari, sed et captivitatis sui Ducis Wladimiri expertes, Andream filium Hungariae Regis, velut rerum suarum suffragatorem magno plausu excipiunt et in castrum Haliczionse (Wladimirum enim se praecessisse fingebat) intromittunt: qui suarum gentium multitudine facile Ruthenorum paucitatem vincens, Haliczionse castrum occupat, exclusisque Ruthenis, nonnullis vero qui ad novandas res videbantur proclivi, captis [3]), tam castrum, quam Haliczionsem Ducatum in suam redegit potestatem, et personalem illic faciens residentiam, ducalem in Haliczionses iurisdictionem exercet. Omnia tamen officia in Hungaros, cum Ruthenos pro ambiguae fidei hominibus duceret [4]), distribuit et omnia per Hungaros administrat; a veneno quoque quam maxime cavet, quo Msczislaum nuper noverat interiisse. Rutheni ubique se oppressos, ubique contemptos et perditos [5]) tacitis et clandestinis tractatibus queruntur, et Duce suo Wladimiro capto, etiam se sub iugum missos deplorant et scelus suum in Msczislaum admissum altero scelere luunt.

Gedeoni Cracoviensi episcopo succedit Fulco.

Vicesima Septembris Gedeon Cracoviensis episcopus, vir magnae religionis et in suam ecclesiam atque rem publicam magni zeli, moritur, cum annos viginti sedisset, et in Cracoviensi ecclesia sepelitur. Hic plures decimas manipulares mensae episcopalis Cracoviensis duobus monasteriis, videlicet Andrzeoviensi et Myechoviensi, perpetua donatione contulit et singulari devotione et eo forsan respectu, quod [6]) utrumque monasterium a militibus et nobilibus Griffonum, a quibus ipse genus et originem ducebat, fundatum erat, attractus [7]). Successit autem Gedeoni Fulco, qui in Polonico vulgari Pelka solet dici, canonice electus, genere Polonus, ex nobili stirpe et domo, quae crucem geminatam sagitta imposita defert pro insigni, et de Vulpibus appellatur, trahens originem. Confirmatio tamen sua propter Lucii Papae, qui in

---

[1]) suis copiis *Ed. Dobr.* [2]) pedestribus *Cod. Rozr.* [3]) proclives, capite mulctatis *Ed. Dobr.* [4]) homines diceret *Ed. Dobr.* [5]) perditos cernentes *Cod. Rozr.* [6]) quoniam *Ed. Dobr.* [7]) attractus est. *Ed. Dobr.*

anno subsequenti [1]) diem obiit, decessum et propter nonnullas causas ultra annum unum fuit protelata.

Fundatio monasterii in Koprziwnicza.

Anno eodem monasterium Koprziwniczense in Cracoviensi diocesi per Kazimirum Polonorum Ducem fundatum et dotatum est, et fratribus Cisterciensibus [2]) consignatum, ad cuius ampliorem dotem nobiles et militares de armis Bogoria et Habdank, aliisque domibus et familiis, nonnullas villas, sortes et praedia devote contulerunt. Kazimirus quoque Dux primarius fundator oppidum Koprziwnicza, iuxta quod monasterium situm est, eidem coenobio contulit cum omni iure, dominio et proprietate, concedens oppido praefato et villis eidem monasterio collatis et conferendis, ab omni onere et servitute plenam libertatem; fratres quoque ordinis Cisterciensis ex monasterio Morimundensi sumptos, in praefato monasterio locavit, fabricavitque ecclesiam quadro lapide, eamque Sancto Floriano martyri, novo hospiti procuravit dicari. Primarius tamen post Kazimirum Ducem fuit Comes Nicolaus Bogoria, qui frequentiores villas in praefatum monasterium [3]) donavit [4]).

In Cunradi Ducis Moraviae odium Fridericus Bohemiae Dux Moraviam altera vice vastaturus, Przemislaum fratrem suum cum amplioribus copiis transmittit, data commissione et mandato, ut Moraviae regionem quam latius poterit, populatione extensa exterminet. Secus tamen, quam rebatur, successit. Cunradus enim Moraviae Dux et suorum Almanorum fretus potentia, Przemislao et Bohemico exercitui in loco, qui Ludomicz [5]) appellatur, occurrens, pugnam conserit: in qua utraque parte pro victoria adnitente, infestis armis longo tempore pugnatum est. Strage quoque maxima utrinque edita, cum de Bohemis et Moravis primi proceres occidissent, incerto Marte, cruento tamen, discessum est.

ANNUS DOMINI 1186.

Lestko Masoviae Dux moritur.

Cruciatus et exhaustus Lestko Masoviae et Cuiaviae Dux filius Boleslai Crispi diuturno morbo et languore (neque enim diebus aut mensibus, sed an-

---

[1]) insequenti *Ed. Dobr.* [2]) Cisterciensis ordinis *Cod. Rozr.* [3]) praefato monasterio *Cod. Rozr.* [4]) contulit. *Ed. Dobr.* [5]) Ludowicz *Ed. Dobr.*

nis aliquot aegritudo sua tendebatur) cum se propediem absumi prospiceret, pervicacibus [1]) nuntiis missis, Kazimirum Ducem et Monarcham Poloniae, patruum suum germanum, ad se videndum, visitandumque invitat. Quo in Ploczskam [2]), ubi Lestko decumbebat, adveniente, utriusque Ducatus convocatis [3]) proceribus, eos Duci Kazimiro commendat, castra quoque et munitiones sibi resignat, ac non multo post sacramentis omnibus, ut Duci catholico conveniens erat, perfunctus, animam exhalat. Cuius corpus Kazimirus Dux [4]) in Ploczensi ecclesia in choro sepeliens, diebus aliquot funeris celebritatem [5]) sacrificiis et eleemosynis prosequebatur. Et quoniam Lestko Dux praefatus nullam ex se prolem reliquerat, et Kazimirus Dux et Monarcha Polonorum tam patris Lestkonis Boleslai Crispi, quam Lestkonis testamento haeres scriptus erat, morte Lestkonis secuta, Masoviae et Cuiaviae Ducatus possidere coepit. Myeczslaus autem Maioris Poloniae Dux, etsi exinde se iniuriatum [6]) et laesum iri quereretur, cum et ex iure sanguinis et iure testamenti dimidia Ducatuum praedictorum portio ex morte nepotis germani ad illum iuxta atque Kazimirum recidisset, potentiam tamen Kazimiri et baronum ac militarium in se odium secum reputans, sola querelarum ingeminatione suam iniuriam prosequens, ab armis, quibus se inferiorem non ignorabat, abstinebat. Unde et extunc et usque ad haec nostra tempora (quemadmodum propitia Divinitate in subsequentibus monstrabimus) cum ex aliis Principatibus et regionibus Polonorum filii et nepotes Kazimiri praedicti varia rerum mutatione, defectioneque defluxissent, in Masoviae tamen Ducatu Kazimirus per succedentes linea regulari [7]) nepotes etiam in diem hanc retinet Principatum.

Arnoldo primo Posnaniensi episcopo succedit Mrokotha.

Decimo octavo Calendas Februarii Arnoldus primus Posnaniensis episcopus, cum annos novem in pontificatu exegisset, a dysenteria vexatus moritur et in Posnaniensi ecclesia sepelitur. Cui Mrokotha custos Posnaniensis per canonicam electionem succedit, ab archiepiscopo Gnesnensi Zdzislao confirmatus et consecratus, Myeczslai Maioris Poloniae Ducis accedente favore et consensu.

Fridericus Bohemiae et Cunradus Moraviae Duces, per communes barones et arbitros conventu in Kunicz habito, pacificati sunt, et uterque Principatus a civili clade solutus.

---

[1]) pervicibus *Ed. Dobr.* [2]) Plockum *Ed. Dobr.* [3]) advocatis *Ed. Dobr.* [4]) Polonorum Monarcha *Ed. Dobr.* [5]) funebrem celebritatem *Ed. Dobr.* [6]) iniuriatum sentiret *Ed. Dobr.* [7]) per succedentem lineam *Ed. Dobr.*

Facta est autem eo anno in sole eclipsis notabilis, quam magna hominum pestis atque mortalitas morbo epidimiae multos mortalium absorbens, fuit subsecuta, quae in Polonorum, Ruthenorumque regiones [1]) saeviebat.

Lucius Papa tertius, cum annis quatuor, mensibus duobus, diebus viginti quatuor sedisset, Veronae moritur et illic sepelitur. In cuius sepulchro [2]) tale epitaphium, quo ortus, processus et exitus suus designantur, inscriptum [3]) est:

Luca dedit lucem tibi, Luci, Pontificatum
Ostia, Papatum Roma, Verona mori.

Adversae deinde sententiae ponuntur metra et quasi quoddam primorum apologeticon:

Immo Verona verum dedit tibi vivere, Roma
Exilium, curas Ostia, Luca mori.

Fuit autem praefatus Lucius Papa, Friderico Imperatore agente et cooperante, de Roma pulsus; quo in Veronam divertente, multi de suis officialibus et familiaribus a Romanis capti caecantur, et mitrati super asinos aversis vultibus ligantur. Lucio autem Urbanus tertius, ex patre Iohanne natione Lombardus, episcopus Mediolanensis, Veronae electus succedit, qui nonnullas simultates et odia cum Imperatore Friderico gessit, et [4]) qui [5]) ante Papatum Hunbertus nominabatur.

ANNUS DOMINI 1187.

Wladimirus corruptis custodibus ex Hungaria fugiens, dum castrum Haliczienso capere tentaret, in Poloniam facta incursione, praedam abegit, quam sequens exercitus Kazimiri recuperat.

Carcerales molestias Wladimirus Haliczensis Dux apud Belam Hungarorum [6]) Regem, in quas illum iure foedato hospitii, quo tutior filio suo Andreae occupatio Haliczensis Ducatus proveniret, coniecerat, biennio prope exacto perpessus, cum solutionem suam difficulter proventuram metiretur, animum ad ingenia vertit, custodesque suos altis [7]) promissionibus inescatos corrumpit, et vincula, carceresque evadens, his ipsis custodibus, qui licentiam evadendi praestiterant, fugae comitibus et gressus suos dirigentibus, ad Rus-

---

[1]) regionibus *Cod. Rozr.* [2]) tumba *Ed. Dobr.* [3]) designanter descriptus *Ed. Dobr.* [4]) et *deest in Cod. Aut.* [5]) is *Cod. Rozr.* [6]) Hungariae *Cod. Rozr.* [7]) magnis *Ed. Dobr.*

siam pervenit. Castrumque et Ducatum suum Haliczieusem tentans irrumpere, ab Hungaris, quorum in castro Halicz [1]) validum praesidium cum filio Regis [2]) Andrea erat, repulsus, incertis itineribus, non habens sedem, in qua consisteret [3]), per Ruthenorum regiones, velut vagus et profugus, rotabatur. Collecta ad eum erat rapto vivere assuetorum, aut aere alieno et pro scelere damnatorum manus, cum qua et Ruthenorum circumvicinas regiones, praedas agens, infestabat; sed nec Polonorum regio ab eius tyrannide tutior fuit. Circa festum siquidem Assumptionis Dominae nostrae [4]) Poloniam frugum collectione et messura [5]) occupatam irrumpens, omnem citra [6]) Premisliam consistentem oram, sub ditione tunc Polonorum constitutam invadit, et singulis hostilem vim inferens, templa, oppida, vicos, villas spoliat aut exurit, matronas ingenuas et nobilium sponsas et natas, agrestium quoque aliquantam multitudinem captivat et versus Kyow praedam huiusmodi celeriter transportat, eaque venundata, infelicem suam et suorum sustentat et explet famem. Non tulit Kazimirus Polonorum Dux et Monarcha suorum captivitatem et cladem, sed dato Nicolao palatino Cracoviensi exercitu, Wladimirum ex Kyoviensi ora, nusquam consistere aut congredi ausum, propellit, suosque captivos partim armis, partim pretio solvit [7]) et in libertatem restituit. Non quievit tamen Wladimiri Haliczieusis Ducis rabies, sed in silvas Alpesque invias cum suis se transferens, illis pro praesidio utebatur, rugientemque suam et suorum esuriem vicinarum regionum spoliis sustinebat [8]).

Origo gentis Thartaricae et quomodo creverit.

Thartarorum gens [9]) et natio ex Armenis, quibus tam in vultus similitudine, quam in linguae identitate communicat, ortum ducens, priscis quidem temporibus orbi ignota erupit. Quae cum prope civitatem Coroczoram, ad plagam aquilonarem, in campestribus absque vicis et urbibus, Regi Bucham, qui Iohannes Presbyter appellatur [10]), tributum solvens, habitasset, in gentem maximam se videns excrevisse, proprium Regem de sua stirpe Thinchis nomine, virum magnae industriae, sibi creat, cuius ducatu vicinas regiones invadens sibi subiicit, in eamque virtutem convenientibus undique, qui in variis regionibus serviebant, ad famam novi Regis, Thartaris, crevit, ut Regis quondam sui [11]) filiam, missis nuntiis, novo Regi deposcerent [12]) in uxorem. Qui eorum petitionem perosus, dum illos ad solitum tributum cogere statuisset,

---

[1]) Haliciensi *Ed. Dobr.* [2]) cum Rege *Ed. Dobr.* [3]) persisteret *Ed. Dobr.* [4]) Assumptionis Mariae *Ed. Dobr.* [5]) messe *Cod. Roer.* [6]) circa *Ed. Dobr.* [7]) exolvit *Ed. Dobr.* [8]) sustentabat. *Ed. Dobr.* [9]) genus *Ed. Dobr.* [10]) apellabatur *Cod. Roer.* [11]) ut ipsius regis quandam Ioannis Presbyteri *Ed. Dobr.* [12]) deposceret *Cod. Roer.*

indicto bello congressus, et ab eis victus et occisus est. Ab illo quoque tempore in validissimum robur natio Thartarorum coepit protendi.

ANNUS DOMINI 1188.

Wladimirus supplex a Kazimiro obtenta venia, eius exercitu, depulsis ex Halicz Hungaris, ad Ducatum restituitur.

Nusquam terrarum Wladimirus Haliczicnsis Dux propter recens et iniquum facinus, quo in Kazimirum Ducem et Monarcham, regionemque Polonorum deliquerat, tutus [1]) consistere ausus (utpote quem Kazimirus etiam per avia [2]) loca, et quibus [3]) se abdiderat lustra, ad necem et captivitatem ordinabat inquiri, sceleris commissi poenam debitam pensurus) veritus ne in periculum, ad quod quaerebatur, recideret [4]), per crebros nuntios Kazimirum Ducem humillimis precibus, et tandem data veniendi securitate, per se ipsum prostratus humo interpellat, ut facinori suo atque errori veniam tribuat, et clementiae [5]) suae propitiationem [6]) illi impendat, fidum et obsequiosum servitorem atque amicum, et qui priorem transgressionem geminata fidei puritate resarciat, habiturus. Ea humilitate et prece Kazimirus expugnatus, Wladimirum infestum hostem in amicum suscipit, et suae grandi in Poloniam atque in se praevaricationi facile ignoscit. Et cum satis, superque satis fuerit culpam remittere, adiicit tamen clementiae magnam beneficii exhibitionem: frequenti enim congesto, comparatoque exercitu, et in fidem atque potestatem Nicolai palatini Cracoviensis commisso, in Russiam illum destinat, exulem Wladimirum et pridem hostem [7]) suum ad Ducatum Haliczicnsem restituturus. In ludibrium ea expeditio apud exteras nationes vertebatur [8]), quae impossibile censebant Pannoniorum Regem Belam et filium eius Andream ea tempestate armis, virisque [9]) et omni rerum abundantia potentem, ex Haliczicnsis Ducatus possessione a Polonis posse depelli. Sed et barones Poloniae eam expeditionem moleste ferebant, militesque aegre in militiam ibant, dolentes vicinum et amicum Regem indigna hostilitate percelli, et hostem invisum amico non solum iuxta poni, sed praeferri. Nicolaus itaque palatinus Cracoviensis cum Polonorum exercitu, Wladimiro etiam exule secum praesente [10]), ad Halicz perveniens, castrum Halicz, in quo Andreas filius Hungariae Regis se cum Hungaris concluserant [11]), obsidione vallavit, et

[1]) tuto *Cod. Rozr.* [2]) invia *Ed. Dobr.* [3]) in quae *Ed. Dobr.* [4]) incideret *Ed. Dobr.* [5]) dementiae *Ed. Dobr.* [6]) gratiam *Cod. Rozr.* [7]) praedonem hostemque *Cod. Rozr.* [8]) habebatur *Ed. Dobr.* [9]) viribusque *Cod. Rozr.* [10]) eunte *Cod. Rozr.* [11]) incluserat *Ed. Dobr.*

coactis agrestibus, castella in circuitu munitionesque aedificat et corona castrum angustat, magna cura providens, ne quid ad obsessos (noverat enim castrum exigue victualibus provisum esse) posset inferri. Reficiebat Hungaros magna spes Belae Regis, quem cum magnis copiis venturum et obsidionem soluturum propediem, cum ad id per aliquot nuntios solicitatus fuerit, non ambigebant. Verum cum obsessos [1]) primum fame macerasset [2]), desperatio tandem tarde sibi lati a Bela Rege subsidii animos incessit: propter quod missis ad Nicolaum palatinum Cracoviensem principem militiae caduceatoribus, de castro dedendo pacem componunt, pacti, ut incolumibus omnibus in personis et rebus liceret excedere. In constituta quoque die castro reddito, in Hungariam, datis a Nicolao palatino, ne quid hostile pati eos contingeret, qui [3]) ad metas prosequerentur, abeunt. Nicolaus palatinus feliciter sua expeditione perfunctus, castrum Halicz Duci Wladimiro (ita enim a Monarcha Polonorum Kazimiro et iussus et doctus erat) restituit, iureiurando obstrictum, ut tam ipse quam successores sui Ducibus Poloniae subiecti, et sinceriores [4]) sint, et in eorum ditione [5]) atque obedientia perpetuo, quicunque casus illos exceperint [6]), perseverent. Maximam haec expeditio, Hungarorumque ex Halicz depulsio Kazimiro apud Ruthenorum nationes peperit laudem, et pavorem sui Principatus in omnes diffudit, efferentibus eum singulis, quod Regis Hungarorum Belae contrarius [7]) evasit, qui hospitem et amicum ceperit, de Ducatuque suo eiecerit: quem Kazimirus, quamvis infestum hostem, clementia sua erexerit atque in suum Ducatum, fugatis [8]) occupatoribus, restituerit.

Hierusalem a Saladino capitur.

Saladinus cognita Christianorum Regum et Principum, qui ad subveniendum Terrae Sanctae transfretaverant, discessione et eorum qui remanserant discordia, fortissimo exercitu congregato Hierusalem obsedit et quartodecimo obsidionis die, Idibus Octobris, per deditionem (non enim se amplius cives, muris per machinas deiectis, sustinere poterant) capit. Uxores autem et filiae Hierosolimitanorum militum Christianorum, qui in bello capti fuerant, ad Saladini praesentiam admissae, ediderunt lugubrem eiulatum. Inquisita causa, respondent se amisisse viros, sibique possesiones sublatas [9]), petebantque sibi misericorditer [10]) subveniri. Ille pietate motus, eos qui superessent,

---

[1]) obsessi *Ed. Dobr.* [2]) marcescerent *Ed. Dobr.* [3]) ductoribus, qui *Cod. Roer.* [4]) sinceri *Cod. Roer.* [5]) subiectione *Cod. Roer.* [6]) quicumque arma contra illos ceperint *Ed. Dobr.* [7]) manus *Ed. Dobr.* [8]) fatigatis *Cod. Roer.* [9]) ablatas *Ed. Dobr* [10]) per misericordiam *Ed. Dobr.*

captivos reddi, puellisque pecuniam ex thesauro suo dari iussit. Hanc autem urbem inclytam post Gothfridum christiani Reges per octo et octuaginta annos nobilitata gloria tenuerant.

Urbanus Papa tertius consternatus super sanctae civitatis Hierusalem captione, magna tristitia et dolore, languore gravi corripitur, missisque nuntiis ad Fridericum Imperatorem, qui illum pro recuperatione Terrae Sanctae celerem agere expeditionem monerent, paucis post diebus, cum annum unum, menses [1]) decem, diebus quindecim sedisset, nimio consternatus dolore, moritur et in Ferraria sepelitur. Cui Gregorius octavus natione Beneventanus, qui et Albertus, Urbani Papae cancellarius, a collegio Cardinalium concorditer electus succedit. Qui cum mensem unum et dies viginti septem tantummodo sedisset, composita inter Ianuenses et Pisanos pace, ut recuperationi Terrae Sanctae potentiis unitis fortius intenderent, Pisis moritur et sepelitur. Cui Clemens tertius, natione Romanus ex patre Iohanne, succedit.

ANNUS DOMINI 1189.

Bela Rex Hungariae dolens filii ex Halicz expulsionem, incursiones in Poloniam, et viceversa Kazimirus in Hungariam facit.

Depulsionem [2]) filii sui Andreae, Bela Hungariae Rex, ex castro et Ducatu Haliczienai moleste ferens, omnem culpam tam acerbae, foedaeque suae iniuriae in Kazimirum Polonorum Monarcham retorquet et multifariis querelis dolorem suum ingeminat: asserens se ab amico suo non diffidato, Kazimiro Polonorum Duce, vehementi iniuria violatum et ex possessione castri et Ducatus Haliczi ensis contra [3]) ius, fasque et contra foedus, quod Hungariae et Poloniae Regna vetusto tempore observant, detractum. Nec querelis solum sed et armis iniuriam ipsam pro viribus censet ulciscendam, et exercitum gentium suarum ad fines Poloniae transmittens, eam vastatione et spoliis perturbat, praesidiumque militum in castris cometaneis [4]) pro lacessendo Poloniae Regno locat. Sed nec Kazimirus Dux segnius id bellum a Bela Hungariae Rege motum repellit: nam et per se et per praefectos, capitaneosque Hungariam ingressus, eam vicissitudinario more per flammas et spolia subiicit vastitati, et praedas magnas ex illa in Poloniam depellit [5]). Ad prohibendas quoque Hungarorum subitas invasiones et insultus, praesidia militum in locis crebris ponit. Lento tamen gradu et animo remisso id bellum

---

[1]) anno uno, mensibus *Ed. Dobr.* [2]) Expulsionem *Cod. Rozr.* [3]) praeter *Cod. Rozr.* [4]) finium *Ed. Dobr.* [5]) deportat. *Ed. Dobr.*

inter Hungaros et Polonos gerebatur, vitabaturque dimicatio: sed soli mercatores et agrestes eo premebantur, aegreque Polonorum milites hanc militiam et eius munera obibant, serebant querelas et murmura, non legitimum bellum Ducem suum Kazimirum cum Regno vicino et amico pro hoste et transfuga nulli partium [1]) fido suscepisse.

Clerus Poloniae ad Terrae Sanctae defensionem tributa pendit.

Polonicam ecclesiam Clemens Papa tertius in membris et in capite reformaturus, et pro impensis ad defendendam Terram Sanctam, cuius recuperationem magno ardore zelabat, subsidium a clero Poloniae percepturus, Iohannem Cardinalem cognomine Malabranka Poloniam transmittit. Qui Cracoviam primum perveniens, a Kazimiro Duce et Fulcone episcopo, omnibusque ordinibus honore processionis exceptus, synodum omnibus provinciae Gnesnensis episcopis in civitate Cracoviensi indixit et aliquas constitutiones ad reformandum clerum promulgavit, et tam episcopis, quam universo clero pro recuperatione Terrae Sanctae decimam imposuit. Hunc Kazimirus Polonorum Dux et Monarcha comiter pertractans, magnificis illum, et se dignis honorat muneribus.

Fridericus Imperator et eius item filius Fridericus in expeditione pro recuperanda Terra Sancta suscepta interierunt: hic peste, ille aquis suffocatur.

Fridericus Romanorum Imperator a tribus Summis Pontificibus sollicitatus, congregata insigni et potenti militia et innumerabili nobilium et vulgarium turba, gubernatione Imperii Henrico filio commissa, per Pannoniam, Bulgariam et Graeciam, tam navali, quam terrestri itinere versus Terram Sanctam et in eius recuperationem processit. Cumque mari in Stricto [2]) et apud Sanctum [3]) Georgii brachium superato, in Armeniam, filio Imperatoris Friderico Duce Sueviae in fronte exercitum praecedente, pervenissent, et maxima spes recuperationis omnes mulceret, Dominico die Imperator Fridericus sudores loturus in flumine [4]), quod ab incolis Fretum vocatur tenues undas habens, prohibentibus eum multis descendit, et subito sive undarum rapacitate, sive quod verisimilius est, nervis frigescentibus, militibus, qui secum una in flumen descenderant, nequicquam suffragantibus, suffocatus est. Cu-

---

[1]) Principi *Ed. Dobr.* [2]) mari stricto *Ed. Dobr.* [3]) Sancti *Cod. Rozr.* [4]) flumen *Cod. Rozr.*

ius corpus repertum, a filio suo Friderico in Tyrum delatum, illic iusto honore sepultum est. Vir largus, strenuus, facundus, et in decidendis quaestionibus iustitiae zelator severrimus. Christianorum autem, et cruce signatorum exercitus in Imperatoris Friderici locum filium eius Fridericum virum rarae [1]) strenuitatis substituit, et eo Duce primum Antiochiam, ubi octo hebdomadis immoratum est, deinde Tripolim, Sur et Akkaron [2]) processit et hostes occurrentes victoriose conflixit; verum peste in exercitu grassante, dum plures nobiles et vulgares absumpsisset, Fridericus et [3]) ipse filius Imperatoris, unica exercitus catholici spes et solatium, decedit. Ex cuius et aliorum Principum militum et peregrinorum morte expeditio tam sumptuosa et insignis, et subsequenter Terrae Sanctae recuperatio recidit in irritum. Mortuus autem est Fridericus Imperator anno Imperii tricesimo tertio, Regni vero tricesimo octavo [4]). Cui filius eius Henricus concorditer ab omnibus electoribus electus succedit, Aquisgrani per Coloniensem archiepiscopum quintadecima Aprilis coronatus.

Fridericus Bohemiae Dux eodem etiam anno diem in Praga obiit, et universorum Bohemorum favore Cunradus Moraviae Dux accepit Principatum. Ita sub uno anno et pene eodem tempore tres Fridericos morte immatura vides decessisse et fatalem illis annum ipsum fuisse.

ANNUS DOMINI 1190.

Pacis inter Polonos et Hungaros compositio communi partium consultatione frustra tentata.

Guerram [5]) inter Hungariae et Poloniae Regna ex Haliczicnsis Ducis Wladimiri per Kazimirum Polonorum Ducem restitutione facta [6]), communes Regnorum barones et consiliarii extincturi, antequam amplius invalesceret, in metis Regnorum conveniunt, pluresque inter se disserunt tractatus, unaquaque partium causam suam iustiorem affirmante. Et Hungari quidem se et Regem suum Belam de Haliczionsis Ducatus possessione armis quaesita querebantur depulsos; Poloni ex adverso Haliczicnsem et caeteras Russorum [7]) regiones ad se pertinuisse, tributisque et obsequiis suis subiacuisse refellebant: concertatioque studiis partium in dies aliquot tenedebatur, pacisque reformatio difficilis visa est. Quapropter ad rescindendum ulteriorem guerrae [8])

---

[1]) mirae *Ed. Dobr.* [2]) Alkoron *Cod. Rozr.* Alkonor *Ed. Dobr.* [3]) etiam *Cod. Rozr.* [4]) tricesimo. *Ed. Lips.* [5]) Dissidium *Cod. Rozr.* [6]) per Casimiri Poloniae Ducis estitutionem exortum *Ed. Dobr.* [7]) Russiae *Ed. Dobr.* [8]) dissidii *Cod. Rozr.*

processum, treuga in [1]) triennium ab utraque parte accepta et firmata est, ea conditione interposita, ut treuga pendente, novi ineantur de pace instauranda [2]) tractatus, et communes consiliarii in eundem rursum locum, odiis abrogatis, pacem stabilem compposituri conveniant.

Meynhardo [3]) primo episcopo Livoniae ad flumen Dwinae [4]), ubi nunc castra Iokul et Doley situata sunt, verbum Dei praedicante, gentes Livonicae fidem Christi suscipere coeperunt.

Wnelpho Wladislaviensi episcopo succedit Stephanus.

Wnelphus Wladislaviensis episcopus, cum annis decem et paulo amplius Wladislaviensem ecclesiam rexisset, moritur et in veteri Wladislaviensi ecclesia sepelitur; cui Stephanus natione Almanus per electionem canonicam, dum esset Wladislaviensis praepositus, succedit, a Caelestino Papa tertio Romae, Kazimiro Duce et Monarcha Poloniae consentiente [5]), confirmatus et ibidem iussu Papae benedictus [6]).

ANNUS DOMINI 1191.

Aegre ferentes Poloni Wladimirum in Halicz reimpositum, degente Kazimiro in Russia, Monarchiam restituunt Myeczslao, qui praeter castrum Cracoviense omnia occupat: quo audito Kazimirus accurens omnia recuperat, et filium Myeczslai captum, datis muneribus, liberat; unde constat, Kazimirum fuisse fidum et usque ad mortem fratris sui amantissimum.

Haliczieusis Ducis Wladimiri, qui Poloniae fines hostili invasione vexaverat, per Kazimirum Principem et Monarcham Poloniae in Principatum Haliczieusem restitutio ante biennium (ut in superioribus explicavimus) facta, nemini baronum Poloniae satis placebat, clandestinisque colloquiis et tractatibus restitutionem ipsam frequenti usurpatione suggilationum [7]) carpebant: virum morte dignum non solum punitione aliqua castigatum, sed etiam honore et dignitate auctum, rem perniciosi exempli fore, et ad capita sua tandem redundaturam. Ea enim impunitate [8]) caeteros Russiae Duces in Polonorum vastationem [9]) accendi, et suam vastationem tam cumulato favore pro-

[1]) per *Cod. Rozr.* [2]) restauranda *Ed. Dobr.* [3]) Mieirichardo *Ed. Dobr.* [4]) Dzwinae *Ed. Dobr.* [5]) consentiente *deest in Cod. Aut.* [6]) consecratus. *Cod. Rozr.* [7]) suggilatione et usurpatione *Ed. Dobr.* [8]) vastatione et impunitate *Cod. Rozr.* [9]) in Poloniae incursionem *Cod. Rozr.*

moveri [1]). Omnium itaque baronum Poloniae, quorum septuaginta principales erant, re huiusmodi alienatis, offensisque animis, seditio contra Kazimirum Ducem gliscere et tandem in rebellionem apertam spectare [2]) coepit: Principatumque Kazimiri ob praefatum nefas perosi, Myeczslaum Senem Maioris Poloniae Ducem, a se alias exclusum, in Cracoviensem Ducatum et Monarchiam, qui et ipse restitutionem suam omnibus ingeniis sollicitabat, restituendum decernunt [3]), tempusque componunt. Excesserat in id temporis Kazimirus Dux in Russiae partes, quaedam negotia inter Romanum Wladimiriensem et Wszewoldum Belszensem Duces (de finibus enim suorum Ducatuum contenderant) compositurus. Id optimum tempus Cracovienses barones ad exequendum destinata [4]) rati, Myeczslaum Senem nuntiis et literis accersunt; ut insuper nobilium et civium atque vulgarium animos in restitutionem Myeczslai Senis facilius inclinent, fingunt Kazimirum Ducem in Russorum [5]) partibus veneno propinato interisse. Sub hac itaque spe Myeczslaus Senex cum filiis, baronibusque et militibus Maioris Poloniae Cracoviam adveniens, ab omnibus ordinibus, universisque baronibus, nobilibus et civibus debito honore et favore exceptus est, et tam civitas Cracoviensis, quam omnia castra et municipia in circuitu in eius traduntur ditionem [6]); unus solus Fulco Cracoviensis episcopus cum Nicolao palatino Cracoviensi germano suo de armis Vulpium, a consiliis et rebellione militum alienus et restitutioni Myeczslai adversus, etiam ne arx Cracoviensis in potestatem Myeczslai veniret, providerat. Novam itaque arcem Myeczslaus Senex ex lignis blancatis [7]) exstruit, et fortissimis roboribus brevi spatio communit, castrum etiam in Bothun [8]) aedificat, et aliquantum in Cracovia perseverat. Kazimirus autem Poloniae Dux et Monarcha novitate [9]) huiusmodi intellecta [10]), illico Cracoviam cum Polonorum paucis, et cum Romano Wladimiriensi, Wszewoldo Belszensi Ducibus et Nicolao Cracoviensi palatino [11]) advenit. Cuius adventu Myeczslaus Senex nuntiato, [12]) in Posnaniam refugit, Boleslaum tamen filium et Henricum Kyetlicz militem, qui illi recuperationem Monarchiae ingerere crebris sermonibus solitus erat, in Cracoviensi castro, quod nuper erexerat, caeterisque castris et municipiis, et militum forte et frequens praesidium reliquit, resistentiam Kazimiro, donec ipse cum novo militum supplemento praesidium ferret, opposituros. Verum Kazimirus Dux pro accepta a fratre Myeczslao iniuria fremens et frendens, dum Cracoviam advenisset, castrum a Myeczslao erectum, concurrente ad eum tam militum quam agrestium multitudine, et de suo re-

---

[1]) promoveri, animarique omnium. *Ed. Dobr.* [2]) aspirare *Ed. Dobr.* [3]) decreverunt *Cod. Rozr.* [4]) propositum *Ed. Dobr.* [5]) Russiae *Ed. Dobr.* [6]) traduntur eius ditioni *Cod. Rozr.* [7]) balneatis *Ed. Dobr.* [8]) Bochnia *Cod. Rozr.* Bohemia *Ed. Dobr.* [9]) novitatibus *Cod. Rozr.* [10]) intellectis *Cod. Rozr.* [11]) tunc palatino *Ed. Dobr.* [12]) audito *Cod. Rozr.*

ditu atque bona valetudine gratulante, nocte et interdiu oppugnat, et fatigatis defensoribus, nonnullisque peremptis, tandem conquirit. Boleslaus etenim filius Myeczslai Senis parum spei in defensione patris [1]) reponens, et se ipsum et castrum, quod tuebatur, in potestatem et gratiam Kazimiri patrui sui tradit, sed et caetera castra atque munitiones, quae in ditionem Myeczslai Senis concesserant, illico ditioni Kazimiri reddita sunt. Et Kazimirus quidem Dux ea victoria modestissime usus, castrum novum incendit et funditus exterminat; Boleslaum vero [2]) nepotem suum et omnes militares Myeczslai Senis illic captos, et in [3]) libertatem restituit, et benigne habitos, amplissime insuper muneratos, in propria remittit. Solus Henricus Kyetlicz, cuius consilio constabat Myeczslaum Senem regi et ad recuperandum Monarchiam impelli, et qui omnis dissensionis civilis inter fratres fuerat occasio, ad ecclesiam maiorem et in eius cryptam, sceleris sui conscius, in qua [4]) latere aestimans [5]), confugerat, ubi et [6]) latitabat. Cumque irrumpentibus Ruthenis tumultus fieret super muros ecclesiae, animo et intentione res et communicalia [7]) ecclesiae, omnemque suppellectilem diripiendi, clamor [8]) a sacerdotibus et ministris ecclesiae et Polonorum gentibus attollitur [9]) ad Kazimirum Ducem, et eius patrocinium, ut ecclesiam Cracoviensem a Ruthenorum invasione et expilatione defendat, certatim imploratur. Qui accedens insultum Ruthenorum compescuit, et res ecclesiae, ne ab eis diriperentur, animose defendit. Interea Henricus Kyetlicz ex crypta, tumultu audito, egressus, catervis vulgi tanquam ignotus permixtus, de castro nitebatur et sperabat effugere, quod cum facere nequisset, captus ad Kazimirum Ducem deducitur: quem Dux probris confusum et alapis caesum, Duci Romano in captivitatem tradit, et ne [10]) inter fratres seminarium esset futuri dissidii, ipsum in exilium Russiam relegat, ubi consenescens moritur; Romanum autem [11]) Wladimiriensem et Wszewoldum Belszensem Duces cum Ruthenorum copiis, qui [12]) sibi tulerant solatia [13]), in Russiam remittit. Ut autem tam clemens tamque liberalis in Boleslaum nepotem, caeterosque devictos Kazimirus esset, autor fuit Zdzislaus Gnesnensis archiepiscopus, vir praeter insitam facundiam rarae et singularis industriae, qui Kazimirum Ducem, ut in Boleslaum nepotem et singulos Myeczslai milites esset non tam clemens, quam munificus, docens, si secus ageret, bellum atrox iterum inter se et Myeczslaum [14]) resurrecturum [15]), si modeste [16]), penitus cessaturum, facile pervicit. Nec pontificem Gnesnensem opinio fefellit: Myeczslaus enim Senex Dux Maioris Poloniae,

[1]) fratris *Ed. Dobr.* [2]) autem *Ed. Dobr.* [3]) ad *Cod. Rozr.* [4]) ibi se *Cod. Rozr.* [5]) latere posse existimans *Ed. Dobr.* [6]) ibique *Cod. Rozr.* [7]) clenodia *Cod. Rozr.* [8]) clamores *Cod. Rozr.* [9]) attoluntur *Cod. Rozr.* [10]) ne amplius *Cod. Rozr.* [11]) autem *deest in Cod. Aut.* [12]) quoniam *Ed. Dobr.* [13]) auxilia *Cod. Rozr.* [14]) fratrem Miecslaum *Cod. Rozr.* [15]) exoriturum *Ed. Dobr.* [16]) modeste se gereret *Cod. Rozr.*

tanta Kazimiri Ducis fratris clementia et liberalitate magis quam armis expugnatus, omnium iniuriarum, quas a Kazimiro pertulerat, obliterata memoria, in puram et integram mediatoris optimi, praefato Petro Gnesnensi archiepiscopo vicem agente, concordiam et reconciliationem rediit, ac ipsum de caetero mira charitate et veneratione coluit, nec eo superstite ad movendum bellum pro recuperanda Monarchia poterat induci.

Clemens Papa tertius cum annos tres, dies sedecim sedisset, Romae moritur et in Laterano sepelitur. Cui Caelestinus tertius, natione Romanus ex patre Petro Bubonis, succedit, qui in festo Paschae consecratus, secundo die sui Pontificatus Henricum filium Friderici Imperatoris in Imperatorem Romae coronat. Cum autem imperiali benedictione accepta, in Siciliam, distracta et occupata recuperaturus, Henricus Imperator transisset [1]), et Neapolim obsidione trimestri spatio coartaret [2]), ex epidimia, quae exercitum suum vexaverat [3]), Cunradus Bohemiae Dux moritur et Pragam sepeliendus refertur [4]). Post cuius obitum Wenceslaus filius Sobieslai senioris accipit Ducatum, quem cum mensibus tribus tenuisset, a Przemislao filio olim Wladislai Regis, patruo germano [5]), de sede ducali pulsus, in confinibus Sirbiae [6]) a Marchione Adalberto Sirbiae captus et in vincula coniectus est. Przemislaus vero, quia et ipse a militibus Bohemiae spretus et expulsus fuerat, magnam partem Bohemiae spoliis et incendiis vastavit. Imperator autem Henricus notabilibus proceribus et militibus a morbo epidimiae spoliatus [7]), cum et ipsum languor pervasisset, discedere ex Sicilia cum paucis in Almaniam coactus est, Constantia filia Regis Siciliae in consortem desponsata.

Eclipsis in sole [8]) anno eodem Nona Calendas Iulii [9]) accidens a Tertiis usque in Nonas duravit.

Livonia ad fidem Christi conversa.

Circa eadem tempora, tempore Caelestini tertii Papae, per operam Meynhardi episcopi Livoniae, Livonia ipsa ad fidem christianam conversa est. Cui successit frater Bertholdus, a Livonis occisus; in cuius locum Albertus substitutus, et residuitates Livoniae ad puritatem fidei reduxit, Rigensem metropolim et civitatem iure Gothorum, et aliquot episcopatus in Livonia auctoritate apostolica fundavit et dotavit, et ordinem canonicorum regularium in ecclesia Rigensi, in qua annis triginta sedit, instituit.

---

[1]) exercitum transmisit *Cod. Rozr.* [2]) coartat *Ed. Dobr.* [3]) vexaverat, multis absumptis discessit. *Ed. Dobr.* [4]) in Praga sepelitur. *Ed. Dobr.* [5]) germano suo *Ed. Dobr.* [6]) Serbiae *Cod. Rozr.* [7]) spoliatis *Ed. Dobr.* [8]) Eclipsis solis *Cod. Rozr.* [9]) Iunii *Ed. Dobr.*

ANNUS DOMINI 1192.

Kazimirus necem Henrici fratris ulturus, in Prussiam vadit, omniaque ferro et igne vastat, Pruthenosque ad tributa retenta solvenda et obsides dandos compellit.

Plenam et sinceram Kazimirus Poloniae Dux et Monarcha reconciliationem cum fratre suo Myeczslao Sene Maioris Poloniae Duce, omnium denique terrarum suarum et Principatuum statum pacificum consecutus, ad ulciscendum fratris germani Henrici primi Sandomiriensis Ducis, et exercitus Polonici, fraude a Pruthenis locorum iniquitate circumventi, mortem, animum intendit, et contra Pruthenos, quibus ad id usque temporis [1]) impunita fuerat eorum prava temeritas, omnibus copiis bellum gesturus, omnibus terris et Principatibus Polonorum expeditionem indicit. Myeczslaus Senex Posnaniensis Dux, filium Boleslaum cum exercitibus in eam expeditionem transmittens, domi remanserat; Boleslaus vero Altus Wratislaviensis et Myeczslaus Rathiboriensis Duces, nepotes Kazimiri et filii olim Wladislai, personaliter proficiscuntur. Cum autem singulae copiae ad oppidum Chelm [2]) supra Wislam situm convenissent, aciebus ordinatis, in Prussiam cauteloso et explorato gradu, ne quis dolus a Pruthenis iniiceretur, processum est, flumineque Ossa superato, usque ad interiora penetratum, summa quoque cura, summaque diligentia et stativis eligebantur loca, et ne in pabulatores eruptiones [3]) a Pruthenis fierent, ne quis insuper locus sua iniquitate detrimento Polonis foret, Kazimirus Dux tam per se, quam per praefectos providebat. Pruthemi cum Polonorum copiis congredi non ausi, aut in paludes, aut in concretas nemorum densitates, inviaque loca, quae sine periculo non poterant adiri, refugerant; Polonos tamen locorum iniquitate frequenter intercipere tentabant [4]). Quos cum Kazimirus Polonorum Dux ad pugnam elicere non posset, et vastationem agrorum et incendia vicorum longe lateque iussit extendi, et tam puberes quam impuberes necari. Ingens itaque trucidatio, ut suorum interfectorum manibus parentaretur, non tam propter Ducis imperium, quam ob iustam iram edita, barbaros [5]) pacem petere coegit. Venerunt siquidem Pruthenorum maiores, et ad pedes Kazimiri in terram prolapsi, misericordiam precabantur, rogantes, ut ferro parci mandaret, et miserandas eorum delere non pergeret reliquias, satis se poenarum pro temeritate eorum intulisse; offerentes se, et solita et retenta tributa pendere, et quaecunque legitime im-

---

[1]) temporis spatium *Cod. Rosr.* [2]) Thorun *Cod. Rosr. et Ed. Dobr.* [3]) irruptiones *Ed. Dobr.* [4]) satagebant. *Ed. Dobr.* [5]) Barones *Ed. Dobr.*

perarentur, implere. Quorum precibus Kazimirus Dux motus, et caedem et exustionem iubet rescindi, retentaque tributa coram afferri [1]) et obsides centum dari, captivosque et signa intercepta reddi. Nec mora [2]) barbari et [3]) omnia imperata perficiunt, et [4]) Kazimirum Ducem singularibus donis placabilem sibi effecturi, honorant. Ita Kazimirus clade suorum ulta, obsidibus quoque Pruthenorum et tributis receptis, amplissima laude militibus eum efferentibus, quod provide et prospere Pruthenicum bellum gesserit, cum magna sua et suorum alacritate in Poloniam, finibus Regni sui recuperatis, remeavit.

Saladinus Babyloniae Rex post occupatam permissione divina et pro scelere humano Terram Sanctam, et post multifariam Christianorum stragem, dum apud Damascum decumbens mortem sibi sensisset imminere, vocavit signiferum suum, dicens: Tu qui solebas ferre vexilla mea in bellorum, quae gessi, congressibus, fer vexillum mortis meae, panniculum videlicet vilem super lanceam, clamitando per totam Damascum: Ecce Saladinus Rex Orientis moriturus non fert secum ex omni gloria sua nisi hunc pannum [5]) vilem; et sic mortuus est.

ANNUS DOMINI 1193.

Concordantur perpetuo Poloni cum Hungaris; et Rex Bela cum Kazimiro Duce conveniunt, pacemque confirmant.

Castigata et ad servitutem, tributariamque conditionem Pruthenica regione per Kazimirum Ducem et Monarcham Polonorum redacta, ad res Hungaricales [6]) componendas, bellumque, quod treuga suspensum erat, extinguendum, opera utrinque novata est, et dieta [7]) primum in Regnorum metis per consiliarios communes, quemadmodum triennio ante inter eos convenerat, celebrata est. Ad quam cum pro parte Regni Poloniae Fulco Cracoviensis episcopus, Nicolaus Cracoviensis palatinus et caeteri Polonorum consiliarii, pro parte vero Hungariae Regni [8]) Strigoniensis et Agriensis pontifices cum palatino Hungariae et nonnullis aliis baronibus convenissent, multiplici tractatu irritatos animos pacificant, sanciuntque, ut Bela Hungariae Rex suo amplissimo Hungariae Regno contentus, Ruthenorum regiones ad Poloniae Regnum spectare permittat. Conveniunt deinde personaliter Bela Hungariae Rex et

---

[1]) offerri *Ed. Dobr.* [2]) morantur *Cod. Rozr.* [3]) sed *Cod. Rozr.* [4]) et mandatis obediunt, *Cod. Rozr.* [5]) panniculum *Cod. Rozr.* [6]) Hungariae *Ed. Dobr.* [7]) conventio *Cod. Rozr.* [8]) Regis *Ed. Dobr.*

Kazimirus Polonorum Dux et Monarcha in Antiqua villa, et omnibus offensis atque iniuriis hinc inde remissis, foedus dudum inter Hungarorum et Polonorum Regna stabilitum, iureiurando innovant, et amicitias communes sincere et integre coli, et tam prosperos quam adversos successus vicissitudinaria relatione participare debere decernunt, et eo foedere icto [1]), muneribusque invicem datis, discedunt.

Pragensis episcopus Henricus, ducalem et ipse ducens stirpem, ut cognati sui Przemislaus in Bohemia, Wladislaus in Moravia Principatum gererent, apud Imperatorem Henricum non precibus solum et gratia, sed largitione atque promissione obtinuerat, seque pro promissa Imperatori pecunia vadem posuerat. Quae cum in tempore constituto non redderetur, et Imperator tum ob id, tum quia Przemislaus Bohemiae Dux cum hostibus suis Principibus Saxoniae foedus contra illum inierat, Przemislao offensus [2]) esset, Henricum Pragensem episcopum tunc apud se praesentem de Ducatu Bohemiae investit et Bohemiam ad principandum remittit. Verum etsi Bohemiae barones se constanter Przemislao Duci contra Henricum episcopum Pragensem adhaesuros astrinxissent, Henrico tamen Pragensi episcopo Bohemiam cum Almanis et nonnullis Bohemis intrante, omnes Przemislao deserto, ad Henricum episcopum Pragensem deficiunt: propter quod Przemislaus, ne a suis truderetur in carcerem, per fugam sibi vix consulere potuit. Henricus episcopus Pragam, quae pro Przemislao tenebatur, obsidione cingens, quinto demum [3]) obsidionis mense per deditionem accepit.

ANNUS DOMINI 1194.

Kazimirus Polonorum Monarcha ipso die Sancti Gothardi, dum cum suis baronibus convivaret, subito cum omnium moerore moritur.

Composita ab intus et extra pace, et subactis, quae dudum aversae erant, in obedientiam et tributum nationibus, Kazimirus Polonorum Dux et Monarcha celebris et felicissimus apud proprias et exteras gentes habebatur, utpote qui atrocissima bella armis et ingenio prospere gessisset, unde illum non imparem genitore [4]) suo Boleslao Krzywousty nonnulli destinabant, quieturum se de caetero et reliquum vitae [5]) in pace exacturum ratus, ad res urbanas instaurandas, quae sub cursu praecedentium bellorum aut depravatae, aut neglectae erant, animum intenderat, omnem operam pro condendis et ornan-

---

[1]) inito *Ed. Dobr.* [2]) infensus *Ed. Dobr.* [3]) tandem *Cod. Rozr.* [4]) illum in felicitate parem genitori *Cod. Rozr.* [5]) vitae spatium *Cod. Rozr.* vitae tempus *Ed. Dobr.*

dis castris et urbibus deinceps navaturus. Sed fatorum invidia oppressus, et proprium propositum, et spes subditorum iam de altera felicitatis sorte nimia alacritate plaudentium, non implevit, ne humanam felicitatem supergrediens, et triumphator magnificus et instaurator magnanimus censeretur. Nam cum in Cracoviensi urbe iuxta consuetudinarium [1]) morem diem Sancti Floriani patroni loci et regionis, sub magna devotione, festivitateque solennes et se dignas oblationes et hostias offerens, exegisset, pauperesque Christi et personas miserabiles ducali munificentia pavisset, in subsequenti Sancti Gothardi die pontifices, barones et primos Poloniae honore mensae excepit. Ubi inter prandendum sub magna animorum hilaritate venere in mentem priores expeditiones, laboresque et priores, frequentesque de hostibus sub Kazimiri auspiciis relati triumphi, venere evitata, superataque pericula et subsecuta tempora emerita et tranquilla, sub quibus se et securos de caetero gloriabantur et beatos. Omnium tamen felicitatum et gloriarum suarum splendorem in Kazimirum Ducem et Monarcham suum referebant, cuius ductu et auspiciis commemoratas tunc felicitates [2]) nacti essent et bella domi forisque prospere gessissent. Cum itaque singuli magnificis epulis opipare tractati, disgredi properarent [3]), Kazimirus Dux quasdam pontificibus de statu et immortalitate animae, de beatorum beatifica fruitione quaestiones proponens, et scrupulosius quo poterat obscurarum latentiumque rerum circumstantias exquirens, modico exhausto poculo retrorsum relapsus [4]), subita (ut ferunt) virtute corruptus veneni, amissis sensibus concidit et sub paucis horis ingravescente morbo expiravit. Morbo nonnulli extinctum credidere, nonnulli veneno, quod illi a quadam ex Cracovia [5]) muliere, ut illum ad sui inflammaret amorem et Venerem, ferebant propinatum. Monitus siquidem a pontifice Cracoviensi Fulcone, quoniam vitare facinus adulterii non horrebat, mortis subitae per venenum incurrit discrimen improvise. Ex suo autem tam subito et inopinato occasu fletus ingens, tum a consorte et duobus teneris filiis Lestkone et Cunrado, tum a pontificibus et militibus in regia coortus etiam in urbe exaudiebatur. Illum Ducem egregium, illum victorem propitium, illum iustum iudicem, illum severum malis, placabilem bonis, exterminatorem gravaminum et abusionum, satorem [6]) optimarum legum, instauratorem denique et parentem [7]) patriae, crebra ingeminatione et comploratu appellabant. Quarto demum die, comparatis et praeparatis omnibus, quae ad funerias tam illustrissimi Principis necessaria visa sunt, in Cracoviensi ecclesia regales illi maximo sumptu et apparatu exequiae habitae sunt, corpusque in sepulchro, in

---

[1]) consuetum *Ed. Dobr.* [2]) tantum felicitatis *Cod. Rozr.* [3]) discedere parabant *Ed. Dobr.* [4]) elapsus *Ed. Dobr.* [5]) quadam Cracoviensi *Ed. Dobr.* [6]) latorem *Cod. Rozr.* [7]) patrem *Ed. Dobr.*

chori latere aedificato, manibus militum iusto honore tumulatum. Probitati, modestiae, frugalitati [1]), caeterisque id genus animi humani ornamentis constat illum in omni vita operam dedisse impensius, ob morum suavitatem, facilitatemque [2]) naturae ab universis ordinibus magno desideratus affectu.

Lestko filius Kazimiri, Albus dictus, post mortem patris in Ducem eligitur, et fratri Cunrado Masovia et Cuiavia dantur.

Funeralibus exequiis rite peractis, ad substituendum novum Principem frequens Cracoviae conventus indictus et habitus est: in quo in [3]) surrogando Principe diebus aliquot, variis diversisque votis certabatur. Et Fulco quidem Cracoviensis episcopus ad milites et multitudinem oratione habita, persuadebat fortissima ratione, nulla cunctatione in eligendo Principe utendum fore, sed ex duobus Kazimiri filiis, attentis beneficiis, quae in patriam egerat [4]), alterum in solium paternum quanto celerius, et antequam calliditas Myeczslai Senis et aliorum Ducum sedem Cracoviensem ambientium, quicquam in adversum moliri possit, evehendum, pendendaque Kazimiro optimo Principi meritorum suorum et in patriam et in singulos vicissitudo: qui etsi Domino vocante, morte praeoccupatus sit, in duobus tamen filiis, etsi non completam, optimam tamen et singularem indolem, et quae patrem expressura sit, habentibus vivit. Sed neque patriae statum sine Principe, velut apum gregem sine parente diuturnum constare [5]), neque suas et patriae res, legesque salvas et incolumes fore, si proprio Principe et apud se educato, contempto, in alterius transeant ditionem. Hisque et aliis eleganter propositis, maiorem natu Kazimiri filium Lestkonem decernebant substituendum. Huic sententiae cum et Senatus et maior pars militum assensi forent, unus ex baronibus negavit rem boni moris et exempli existere, ut ad gubernandum magnas nationes et populos puer surrogaretur, et infantilis atque inexperta aetas, forsitan processu temporis vel deliratura, vel regimine [6]) Principatus abusura [7]), maturis et prudentibus imperet, suoque [8]) imprudenti regimine statum patriae et ea, quae a Kazimiro parta sunt, eversum iri, et regiones, quae tributa pendunt, ad rebellionem reverti opportunitate nacta contingat; placere sibi, ut magis patriae consulatur, quam pueris, et pro bene gerendis [9]) patriae rebus, eiusque quiete et stabilimento, aut Myeczslaus Senex Maioris Poloniae Dux, qui et ipse obtinendi Monarchiam potior iure quam

[1]) Singulari probitate, modestia, frugalitate *Ed. Dobr.* [2]) felicitatemque *Ed. Dobr.* [3]) de *Cod. Rosr.* [4]) contulerat *Ed. Dobr.* [5]) duraturam stare *Ed. Dobr.* [6]) in regimine *Ed. Dobr.* [7]) erratura *Ed. Dobr.* [8]) illiusque *Cod. Rosr.* [9]) regendis *Ed. Dobr.*

Kazimirus nuper mortuus censebatur, aut Myeczslaus Opoliensis et Rathiboriensis Dux sufficiatur: cum sub alterius ex his Principatu et regimine sperandum sit, patriam meliores quam sub puero effectus habituram. Probabant nonnulli sententiam taliter depromptam, pedetentim in illam ibant, et plures verisimiliter credebantur [1]) in illam, prima quae a Fulcone episcopo explicata erat, deserta, ituri, ni idem Fulco episcopus [2]) sententiam ipsam refellendo demonstrasset, ea, quae baro disseruisset, tum demum vera fore, ubi ius electionis, ius successionis, non perimeret. In praesenti vero casu [3]), quo tantummodo de iure succedendi, non eligendi, quaestio ventilatur, rationes et persuasiones [4]) propositas locum legitimum non habere, cum acerbum nimis durumque esset [5]), quandam quoque inhumanam redoleret tyrannidem et crudelitatem, si filiorum ducalium [6]) ad iustam aetatem brevi perventurorum haereditas exteris hereditanda traderetur; cum divina, canonica et imperiali lege filiis non adultis solummodo, sed etiam posthumis, paternae portionis successio debeatur. Pro retinenda vero salute patriae, pro manutenenda eius autoritate, pro benegerendis eius rebus, repellendisque adversitatibus, quid vetat, curatores, provisoresque eligi, et illis tam filiorum ducalium, quam patriae salutem et regimen mandari? cum Reges et Principes frequentius per administratorias potestates et magistratus, quam per se ipsos, etiam virilem aetatem consecuti, Regna et Principatus administrent. Accepta est haec illico pontificalis sententia, et omnibus, quae in contrarium allegabantur, abrogatis, consurgunt proceres milites, et voce coelotenus emissa acclamant: Vivat, vivat Lestko Dux et Rex noster in aeternum! Ac sic gradu concito in thalamum ingressi, puerum splendide exornatum, alba caesarie eum venustante, propter quam et Albus Lestko nuncupationem sortitus est, in publicum educunt, atque in sede paterna collocatum Principem constituunt, duosque sibi et Principatibus suis curatores, videlicet Fulconem Cracoviensem episcopum et Nicolaum germanum suum palatinum Cracoviensem deligunt, et illis se, donec Princeps adolescat, in singulis parituros obstringunt. De hac autem baronum et militum uniformi concordia, omnium pectora singularis [7]) exultatio pervasit, gratulantibus universis, pro mortuo Principe olivam tam speciosam sibi proluxisse: quam Nicolaus palatinus Cracoviensis, vir ea tempestate plurimum oculatus et industrius, amplius firmaturus (noverat enim vulgares animos facile aura frangi et averti), primum quidem omnibus in commune gratias agit, quod tam patriae, quam [8]) ducalium filiorum rationem habendo [9]), dignum et se honestum Reipublicae statum formare studuissent, et

[1]) concedebant *Ed. Dobr.* [2]) episcopus Cracoviensis *Cod. Rozr.* [3]) consilio *Cod. Rozr.* [4]) propositiones *Ed. Dobr.* [5]) sit *Cod. Rozr.* [6]) filiorum Ducis Kazimiri *Cod. Rozr.* [7]) magna *Ed. Dobr.* [8]) gratias agit pro patriae et *Ed. Dobr.* [9]) ratione habita, quod *Ed. Dobr.*

tandem ut in eo servando, custodiendoque [1]) essent, et [2]) in illius praevaricationem non [3]) fierent proclivi, ab uno quoque iuramenti sacramentum exigit. Cunradus vero minor natu [4]), Cristino palatino Masoviae cooperante, Masoviam et Cuiaviam cum suis pertinentiis ex integro suscepit.

Russiae Principes, conventu apud Kyoviam celebrato, expeditionem contra Polowczos [5]), regiones eorum assidua irruptione vastantes, indicunt. Itaque quamprimum tempus aestivale advenit, Swanthoslaus Wszewoldicz [6]) Kyoviensis Dux, Rurik Rostislawicz [7]), Hleb Swanthoslawicz, Hleb Iuryowicz [8]) Turoviensis, Wlodimirus Hlebowicz, Mstislaus Romanowicz, Izaslaus Davidowicz et Wszewoldus Mstislawicz Duces [9]), item milites Haliczienses, Wladimirienses et Luczenses per Romanum Ducem Wladimiriensem transmissi, in terram Polowczonum adveniunt, et vicesima Iunii die cum Polowczis in maxima et forti multitudine in occursum eorum euntibus congressi, Polowczos de sua virtute gloriantes, caede magna in brachio Dei confligunt et prosternunt, multisque caesis aut captis, paucis vero effugientibus, castris eorum et tabernaculis potiti, praedis et spoliis onusti, victores cum gloria revertuntur.

Henricus episcopus Pragensis et Dux Bohemiae exercitualiter Moraviam ingressus, affinem suum Wladislaum de ea excludit; deinde tam ex Bohemis, quam Moravis maioribus copiis adunatis, iussu Henrici Imperatoris, qui Alberto Marchioni Sirbiae [10]) infensus fuerat, Sirbiam ingressus, eam vastat, et multa relatu indigna non solum in saeculares et agrestes, sed etiam in ecclesiasticos, monasteria ac servos Dei committit.

Parem et ampliorem famam et gloriam, quam Russiae Duces in Polowczonum vastatione consecuti fuerant, Ihor [11]) Russiae Dux sibi comparaturus, cum duobus filiis et Nowogrodensibus [12]) de Syewior et fratre suo Wszewoldo Olhowicz et militibus de Czirnyeow [13]) vadit contra Polowczos. Et quamvis notabiles eorum copias prostravissent, una tamen victoria non contenti, constituerunt ire ultra flumen Don, omne genus Polowczonum deleturi, et tanto insigniorem habituri laudem, quanto longiorem, et quam nemo ante illos tentare ausus fuerat, exegissent viam. Interim autem [14]) Polowczonum ingens multitudo eis prope Don occurrens, cunctos conflixit et delevit, neminem ex ea [15]) clade superstitem esse sinens. In Russiae posthaec terras circa Pereaslaw irrumpunt, et omnia castra in flumine Sula comprehendunt.

---

[1]) custodiendoque constantes *Cod. Rozr.* [2]) ne *Ed. Dobr.* [3]) animo *Ed. Dobr.* [4]) minor natu Kazimiri filius *Cod. Rozr.* [5]) Polowconum *Ed. Dobr.* [6]) Wszewoldowic *Cod. Rozr.* [7]) Roscislawic *Ed. Dobr.* [8]) Iurgieniec *Ed. Dobr.* [9]) Duces Russiae *Cod. Rozr.* [10]) Serbiae *Cod. Rozr.* [11]) Ior *Ed. Dobr.* [12]) cum duobus filiis suis *Ed. Dobr.* [13]) Czernieiow et Nowogrod *Ed. Dobr.* [14]) tamen *Ed. Dobr.* [15]) hac *Ed. Dobr.*

ANNUS DOMINI 1195.

Myeczslaus Senex electionem Lestkonis aegre ferens, ad Fulconem episcopum et milites Cracovienses mittit, illum abrogari et se surrogari petens: quos id facere renuentes valido exercitu invadit.

Sublimationem Lestkonis Albi in Cracoviensem Principatum ex morte Kazimiri vacantem, per Fulconem episcopum [1]) et Cracovienses ac Sandomirienses milites factam, se neque avisato, neque consulto, Myeczslaus Senex Maioris Poloniae Dux moleste ferens, frequenti suorum consilio advocato, quantum animo ob id consternatus sit, quantis vexetur, uraturque cruciatibus, quantam illi et suis, immaturi pueri in Regnum, quod sibi debebatur, erectio [2]) ignominiae materiam attulerit, et in posterum allatura sit, edicit, omnem culpam in Fulconem episcopum et Cracovienses milites retorquet, quos propterea Principatum puero mandasse disserit, ut totius Principatus administratio apud [3]) illos consistat, et appellatione quidem vana Lestko Princeps in fascibus appareat, illi revera actione et imperio [4]) gerant et exerceant Principatum, et in tenera quidem atque parvula aetate Lestkonem et Cunradum nepotes suos blande tractari, dum vero ad maiorem aetatem perventuri forent [5]), deleri illos a baronibus Cracoviensibus veneno, et occupari, stirpe ducali sublata, astruit Principatum. Nec nunc primum Cracovienses proceres, sed altera vice ignominiosae exclusionis notam sibi inussisse. Et quamvis primam [6]), fratre Kazimiro vivente, utcumque [7]) tulerit, civilem cladem stragesque domesticas vitaturus, eam tamen quae nuper erupit, nulla ratione passurum: cum multiplici respectu, velut natu maiori, Cracoviensis sibi quondam non legitime ereptus debeatur Principatus, et cura puerorum neminem magis, quam se [8]), qui alter pupillorum parens sit, contingat; armis eatenus et ferro ignominiam et iniuriam a Cracoviensibus sibi illatam rescindendam fore, aut gloriosa morte occumbendum, ne sua despectui et irrisui [9]) habeatur aetas, decrevit, et cum universi propositum animi sui, velut efficax et necessarium commendassent, armari suos omnes in id bellum quanto celerius, quantoque expeditius iubet. Boleslaum deinde Altum Wratislaviensem et Myeczslaum [10]) Opoliensem et Rathiboriensem Duces, nepotes suos, filios Wladislai exulis, item Msczugium Ducem Pomeraniae generum suum, ad feren-

---

[1]) episcopum Cracoviensem *Ed. Dobr.* [2]) evectio *Cod. Rozr.* [3]) penes *Cod. Rozr.* [4]) actione imperium *Ed. Dobr.* [5]) pervenient *Ed. Dobr.* [6]) patienter *Ed. Dobr.* [7]) utrumque *Ed. Dobr.* [8]) nemini magis, quam sibi *Ed. Dobr.* [9]) irrisioni *Cod. Rozr.* [10]) Cunradum *Cod. Aut. erronee; in reliquis Codd.* Myeczslaum.

dum sibi personalia solatia [1]) multifaria exhortatione et prece accendit. Iustius tamen bellum habiturus, nuntios ad Fulconem episcopum, baronesque Cracovienses mittit, requirens et sublimationem nepotis Lestkonis Ducis velut iniustam et in suum praeiudicium atque dedecus redundantem, rescindi et se in administrationem et regimen Monarchiae Polonorum et Principatus Cracoviensis admitti. Fulcone autem episcopo et baronibus Cracoviensibus, ius quod sibi ad Monarchiam et Principatum Cracoviensem competere astruebat, iustiore confutatione refellentibus, et se, antequam scita et decreta sua abrogari, pupillorumque haereditates occupari patiantur, respondentibus honesta prius morte morituros, Myeczslaus Senex Maioris Poloniae Dux contra Cracovienses milites arma sumit, et habens in suo comitatu Myeczslaum Opoliensem et Rathiboriensem, et Iaroslaum filium nepotis sui germani Boleslai Alti Wratislaviensis, et Pomeraniae [2]) Duces et filium suum Boleslaum, copiasque tam equestres, quam pedestres, versus Cracoviam, Monarchiam resumpturus, alacer et ingenti spe plenus procedit, auxiliaribus Ducibus gradu tardiori insequentibus agmen suum. Nullo autem pacto credebat Cracovienses milites secum in dimicationem venturos, sed pactis et conditionibus illum pro Principe et Monarcha, abrogato Lestkonis Albi Principatu, facile accepturos.

Milites Cracovienses audientes potentiam Myeczslai, exercitum cum Ruthenis validum congregant, et Myeczslaum cum suo exercitu confligunt: ex quo bello utraque pars victa discedit, Myeczslao vulnerato fugiente et Goworicio palatino Sandomiriensi capto.

Non ignari Cracovienses barones et milites, quanto studio et cura, qualique animo et apparatu, quantis denique copiis Myeczslaus Senex Maioris Poloniae Dux bellum ipsis indicturus procedat [3]), arma et ipsi de Principatibus Cracoviensi, Sandomiriensi, Lublinensi, Masoviensi, Cuiaviensi, Brzestensi supra Bug [4]) sito, caeterisque Russiae oris, quae Kazimiro, dum viveret [5]), parebant, expediunt, Romanum insuper Mstislawicz Wladimiriensem Ducem et filiorum Kazimiri Ducis affinem, multis beneficiis per Kazimirum obstrictum, in sui suffragium accersunt; tribus quoque agminibus, quorum unum Nicolaus palatinus Cracoviensis, alterum Goworicius [6]) palatinus Sandomiriensis, tertium Romanus Wladimiriensis alias Luczensis Dux ducebant, Myeczslao Seni Maioris Poloniae Duci et suis auxiliariis obviam procedunt, popu-

---

[1]) auxilia *Cod. Rozr.* subsidia *Ed. Dobr.* [2]) et Msczugium Pomeraniae *Cod. Rozr.* [3]) procedebat *Cod. Rozr.* [4]) Bug fluvium *Cod. Rozr.* [5]) vivebat *Ed. Dobr.* [6]) Gouortius *Cod. Rozr.*

lationem agrorum et villarum, quibus iam Myeczslaus Senex ignem iniici iusserat, prohibituri. Iam usque in Andrzeoviense coenobium et oppidum, in Cracoviensi diocesi situm, Myeczslaus Senex cum suo tantummodo exercitu pervenerat, exinde ad fluvium Moszgawa, quatuor a monasterio praedicto milliaribus decurrentem, stativa posuerat, dum Cracoviensium militum nuntiatur exercitus hostilis advenisse. In eo itaque loco infestis aciebus uterque exercitus concurrit. Cracovienses enim milites nondum auxiliares Duces Myeczslao scientes advenisse, ne simul cum omnibus pugnare cogerentur, acies Myeczslai, faciliorem victoriam consecuturi, invadunt. Et sinistrum cornu Romanus Dux, dextrum Nicolaus palatinus Cracoviensis tenebat; Goworicius Sandomiriensis palatinus in subsidiis relictus erat. Ad vesperam diei praelium extractum est, cum in Tertiis coeptum esset, et miro pugnandi ardore ab utrisque certabatur; quamvis in utroque exercitu fratres, cognati, affines, soceri, generi, variarumque necessitudinum homines consisterent [1]), nemo tamen animum, nemo fervorem belli remisit, nemo fratri, cognato aut amico indulsit, sed mutua se caede obtruncando [2]), iuxta atque inter infestissimos et perpetua guerra [3]) dissidentes hostes, bellum agebatur [4]). Quapropter neutra parte refellente [5]) gradum, strages horrenda cadaverum utrinque edita est. Ad Duces quoque ipsos, qui suis laturi auxilium, praelio se, praelium restituturi, immiscuerant, clades pervenit: Boleslaus siquidem filius Myeczslai Senis sub patris conspectu lancea traiectus, ex equo defluens [6]) expirat. Myeczslaus Senex Maioris Poloniae Dux a gregario [7]) milite vulneratus, in mortem, mucrone crebros ictus repetente, agebatur, ni galea detracta se Myeczslaum et Ducem, parcique sibi et misereri postulando exclamasset; maiestatis autem suae et caniciei terrore miles gregarius [8]) perculsus, non solum ferro abstinuit, sed etiam ex acie eductum, ne a quoquam alio violaretur, fuga celeri sibi consulere persuasit. Romanus insuper Mstislawicz Wladimiriensis Dux, pluribus vulneribus adverso pectore acceptis, dum suos Ruthenos partim stratos partim in fugam versos [9]) conspiceret, e praelio et ipse periculum vitaturus declinat. Multis denique militibus de utraque parte aut occisis, aut vulneratis, praelium diremtum est, quod tam horrendo et crudeli Marte gestum est [10]), ut uterque exercitus cruenta referens vulnera, pro victo abierit, et nemo in certaminis loco compertus est aliter [11]), quam pectore adverso cecidisse. Cognata arma, acies fraternae, signa [12]) communia, unius patriae, unius linguae robur ingenio parum sano, infestis eo primum

---

[1]) constiterant *Ed. Dobr.* [2]) obtruncantes *Ed. Dobr.* [3]) perpetuo odio *Cod. Rozr.* [4]) gerebatur. *Cod. Rozr.* [5]) referente *Cod. Rozr.* [6]) delapsus *Cod. Rozr.* desiliens *Ed. Dobr.* [7]) Gregorio *Cod. Rozr.* [8]) Gregorius *Cod. Rozr.* [9]) fuga dilapsos *Ed. Dobr.* [10]) gerebatur *Cod. Rozr.* [11]) aliter *deest in Cod. Aut.* [12]) vexillorum signa *Ed. Dobr.*

tum die bellum gessere bellum animis. Solus Myeczslaus Lyaskonogy [1]) Dux eodem die, caeteris diffugientibus, in certaminis loco permansit, solusque soli sibi cessisse victoriam gloriabatur.

Partis utriusque exercitu [2]) ex certaminis loco defluente et dilapso, Myeczslaus Opoliensis et Rathiboriensis Dux, qui et ipse partes Myeczslai Senis Ducis Maioris Poloniae iuvaturus [3]), tardius egressus, praelio non interfuerat, cum nepote suo Iaroslao Boleslai Alti Wratislaviensis [4]) filio, et copiis sui exercitus [5]) advenit, eosque, qui de Myeczslai Senis exercitu diffugerant, recolligens, in certaminis loco consedit, ac signis erectis quasi victoris in morem constitit. Cui et eam ipsam exultationem Goworicius palatinus Sandomiriensis, ad quem reliqui disturbati Cracoviensium exercitus se applicaverant, erepturus, nulla suorum paucitate et recenti clade perculsorum [6]) inita ratione, occurrens, acerrime pugnat, et potioribus de suis amissis, caeteris fuga lapsis [7]), numerositate hostium superatus, in hostiles manus, fugere turpe ratus, vivus venit, et longam captivitatem apud hostes, antequam manumitteretur, pertulit. Opoliensis Dux Myeczslaus cum nepote suo Iaroslao, ne iterum a Cracoviensibus militibus insectaretur, veritus, ex praelii loco Goworicium palatinum Sandomiriensem et nonnullos alios Cracovienses milites captivos, spoliaque relati triumphi secum ferens, discedit, et ab exploratoribus, nuntiisque doctus, Myeczslaum Senem graviter vulneratum lectica in Posnaniam deferri, exercitum et ipse [8]) suum ac nepotes [9]) in Slesiam reducit.

Fulco episcopus cognita strage facta, Nicolaum fratrem suum, Myeczslaum sequentem, revocat et arcem Cracoviensem providit.

Sollicitus de futuro belli ineundi eventu Fulco Cracoviensis episcopus in villa sua Dzerzaszna [10]) duobus milliaribus a conflictu distante substitit, et inter spem atque metum positus, obsecrationibus lacrimosis [11]) suis victoriam cedere precabatur. Advenit interea aliquis ex praelio fugiens, et pontifici de exitu belli avide sciscitanti respondet: magna caede Cracovienses et Sandomirienses et Romanum Ducem Wladimiriae cum exercitibus eorum per Myeczslaum Senem Maioris Poloniae Ducem contritos esse, et tam palatinos, quam Romanum cum primoribus in acie cecidisse, Myeczslaumque Senem triumphali pompa insignitum et spoliis atque signis debellatorum a se hostium onustum,

---

[1]) *Sic in omnibus Codd. erronee forsan pro* Wladislaus Laskonogi filius Myeczslai Senis. [2]) Utroque exercitu *Ed. Dobr.* [3]) invasurus *Ed. Lips.* [4]) Wratislaviensis Ducis *Ed. Dobr.* [5]) et suis copiis *Ed. Dobr.* [6]) perculsus *Cod. Rozr.* [7]) diffugientibus *Ed. Dobr.* [8]) exercitum vero *Ed. Dobr.* [9]) et nepotis *Cod. Rozr.* [10]) Dzierzązna *Cod. Rozr.* [11]) et lachrimis *Ed. Dobr.*

celeri cursu ad occupandam Cracoviam contendere. Nondum is relationem suam expleverat [1]), et unus alius [2]), itemque alius et alius diversum ferentes successisse casum, adveniunt. Fulco autem episcopus, quid veritas contineat gestiens agnoscere, unum e presbyteris suis sub dissimulato habitu in certaminis locum, singula quae et quali ordine acciderint, et quis successus palatinos [3]) Cracoviensem et Sandomiriensem, Ducemque Romanum maneat, exploraturum mittit [4]), iubens illum impigrum, diligentem et cautum esse. Qui cum pedestri itinere in [5]) praelii locum ante occasum solis pervenisset, et ab his qui semineces relicti erant, et ab his qui interfectorum aut animas exhalantium legebant spolia, percunctata, rescitaque veritate, ad episcopum suum Fulconem reversus, singula eo ordine, quo acciderant, exponit, referens: Myeczslaum Senem Maioris Poloniae Ducem, et pro nece filii sui Boleslai, et pro vulnere [6]), pro victo discessisse, Goworicium Sandomiriensem palatinum a Myeczslao Opoliensi Duce et suo exercitu, qui supervenerat, conflictum et captum esse, Romanum Mstislawicz Ducem in Russiam sauciatum, caeteros [7]), prout quemque casus tulit, in loca varia abiisse. Et Fulco quidem episcopus moerore nimio consternatus, pupillis [8]) et patriae consulturus, nocte subsequenti Ducem Romanum consecutus, obnixe rogat: quatenus cum his, quae illum sequebantur, reliquiis, Cracoviam redeat, arcem et filios ducales contra saevitiam Myeczslai Senis, quem sperabat supplemento militum habito, ad occupandum Cracoviam reversurum, defensurus. Sed Romanus Dux duplici se praepeditum causa respondet, et defectu militiae, quae aut praelio corruerat aut fuga defluxerat, et acceptis vulneribus [9]) quae tumescebant [10]). Quaerenti deinde episcopo, quid in tam periculoso necessitatis articulo agendum pro incolumitate patriae optimum et necessarium fore censeret, respondet: de capite omnem curam habendam esse, et Cracoviam provinciarum omnium dominam et principem ab hostili invasione tutandam, qua salva et incolumi caetera omnia felicius secutura. Id consilium Fulco pontifex secutus, dum altero die Nicolaus palatinus Cracoviensis instaurato exercitu, magnis ausis ignominiam acceptam ad Moszgawam detersurus, Myeczslaum Senem, ne insequi pergeret illum prohibuit, et ne arx et civitas Cracoviensis in aliquod periculum recideret, secum una Cracoviam rediit, et militum praesidio, non Cracoviensem solum arcem, sed et singula ditionis pupillorum castra, ne nuntiata clades aliquam procellam exciret [11]), munivit, et ne novandi res quisquam ausus sumeret, providit.

---

[1]) absolverat *Ed. Dobr.* [2]) quidam *Ed. Dobr.* [3]) apud palatinos *Ed. Dobr.* [4]) mittit *deest in Cod. Aut.* [5]) ad *Cod. Rozr.* [6]) pro vulnere accepto *Cod. Rozr.* [7]) caeterosque *Ed. Dobr.* [8]) moerore nimio confectus consternatis pupillis *Cod. Rozr.* [9]) vulneribus in corpore *Cod. Calv.* [10]) se iturum negabat *Cod. Calv.* [11]) excitet *Cod. Rozr.*

ANNUS DOMINI 1196.

Stantibus rebus quietis committunt Poloni Helenae uxori Kazimiri Ducis imperium.

Foeda inter Myeczslaum Senem Maioris Poloniae Ducem et Cracovienses milites pro Principatu ad Moszgawam gesta dimicatio, foeda insuper clades, per quam plures [1]) mortales civili bello et nullum referente triumphum, absumpti sunt, diu partem utramque sub quiete distinuit, quasi ex composito utrosque crederes treuga bellum suspendisse. Myeczslaum siquidem Senem Maioris Poloniae Ducem acceptae ignominiae plurimum puduit, quod et in praelio inito multos milites, multasque fortunas, et super haec omnia charum filium suum Boleslaum perdiderit, et quod ipse nihil ex praelio praeter vulnera, filiique Boleslai cadaver retulerit. Tenebat et Cracovienses milites ingens rubor [2]), quod nonnulli eorum, signis et locis desertis, in fugam abierint et partam prope victoriam e manibus emiserint. Sub hoc autem turbatarum publicarum rerum dispendio salutare visum est, Ducissae Helenae Kazimiri relictae, supra sexum muliebrem singulari prudentia pollenti, fasces imperii et regimen Principatuum committi, ea conditione adiuncta, ut absque Fulconis episcopi et Nicolai palatini Cracoviensis consilio et assensu nihil in rebus publicis statuat, innovet aut decernat. Itaque usque ad filiorum maturam aetatem Helenae Ducissae praefatae arbitrio, et vacantium dignitatum atque officiorum magistratus personis idoneis mandabantur, et ducales census et [3]) introitus aut inferebantur in fiscum, aut in rei publicae distribuebantur commoditates [4]) et profectus; charitate siquidem, quam ergà Kazimiri stirpem gerebant, milites acti, conditionis suae quodammodo in tempus, quod viri essent obliti, muliebri potius subiacere imperio, quam ducales filios deserere maluerunt.

Mrokotae Posnaniensi episcopo succedit Philippus.

Posnaniensis episcopus Mrokota febribus correptus moritur et in ecclesia Posnaniensi sepelitur, cum annis decem pontificali regimini praesedisset. Cui per electionem canonicam octava Septembris tentam [5]) Philippus canonicus Posnaniensis, nobilis Polonus de domo Wyenyawa, via scrutinii succedit,

---

[1]) multi *Ed. Dobr.* [2]) pudor *Ed. Dobr.* [3]) ac *Ed. Dobr.* [4]) commoda *Ed. Dobr.*
[5]) habitam *Cod. Rozr.*

a Zdzislao Gnesnensi archiepiscopo, Myeczslao Duce Maioris Poloniae consentiente, confirmatus et consecratus.

ANNUS DOMINI 1197.

Uxorum usus sacerdotibus in Polonia per Legatum Caelestini tertii Papae interdicitur.

Petrus tituli Sanctae Mariae in via lata Diaconus Cardinalis, Capuanus vulgariter nuncupatus, a Summo Pontifice Caelestino tertio Legatus de latere ad reformandam ecclesiam Polonicam destinatus, venit Poloniam. Qui Cracoviensem civitatem ingressurus, a Fulcone Cracoviensi episcopo et omnium ecclesiarum processione magno honore exceptus [1]) est, primamque congregationem Cracoviae, alteram in Lubcza agens, deinde in Gnesnensem, Wratislaviensem, Posnaniensem, Ploczensem, Wladislaviensem, Chelmensem et Lubuczensem, dioceses se transferens, id praecipuum in ecclesia reformanda sibi curae assumpserat, quatenus presbyteri a mulieribus et concubinis abstinendo [2]), continentem et castam, et quae laicos aedificare posset, ducerent vitam, cum plures ea tempestate sacerdotes uxoribus, velut iure legitimo uterentur. Cuius usus corruptelam Cardinalis ipse summo studio a Polonica eliminavit, abrogavitque ecclesia, et presbyteris uxores accipere et tenere sub gravissimis poenis interdixit, laicis vero quacunque excellentia pollentibus, connubia sua in facie ecclesiae contrahere instituit. Et haec quidem salubris praefati Petri Cardinalis constitutio facile a Polonorum clero et ab universa Polonica ecclesia accepta, et accurata diligentia custodita, servataque est; a Bohemis tamen, cleroque Bohemico, apud quos Cardinalis ipse legationis etiam officio fungebatur, non solum repudiata, sed parum abfuit, quin Cardinalis ipse constitutionem ipsam, ordines in Sabbato Sitientes [3]) celebraturus, promulgans et presbyteros ad castitatis votum compellens, violaretur. In cuius occisionem Bohemici sacerdotes grassari Pragae coeperant, nisi illorum improbos conatus episcopus Pragensis Henricus, ducalem tunc obtinens in Bohemia potestatem, oppressisset. Non solum autem in his, sed et in pluribus aliis Cardinalis [4]) praedictus Polonicam ecclesiam, pontificibus et clero benevolos se praebentibus, ad singula reformavit.

---

[1]) susceptus *Cod. Rozr.* [2]) abstinentes *Ed. Dobr.* [3]) *id est, Sabbato ante dominicam Passionis.* [4]) Cardinalis ipse *Cod. Rozr.*

Stephano Wladislaviensi episcopo succedit Ogerius.

Wladislaviensis episcopus Stephanus, cum annis sex sedisset, diem obiit [1]), et in veteri ecclesia Wladislaviensi sepelitur. In cuius locum Ogerius [2]) natione Italus [3]), propter discordem electionem capitularium [4]) ab Innocentio tertio provisus successit.

Valido languore Henricus Pragensis episcopus et Dux Bohemiae correptus Decimo septimo Calendas Iulii moritur. In aegritudine tamen positus, Przemislaum Ducem consanguineum suum, quem de Ducatu Bohemiae eiecerat, in spem mortis suae Ducatum occupare molientem, per gentes suas conflixit et de Bohemia fugavit, quamvis et parti suae non incruenta provenerit, multis cadentibus, victoria. Post mortem vero suam Dux Wladislaus Przemislai Ducis germanus, a vinculis, quibus propter germanitatem Przemislai velut suspectus detinebatur, solutus, favore militum in Ducem acceptus est. Verum dum Ducatum praedictum mensibus quinque tenuisset, Przemislaus germanus suus, collecto ex Bohemis, Almanisque exercitu, venit in Bohomiam, pro Principatu certaturus. Wladislaus autem quamvis maiori gentium potentia fultus esset, noluit velut vir pacificus in dimicationem cum fratre venire, sed missis communibus [5]) baronibus, pacem et foedus cum fratre iniit, sorteque Moraviae contentus, Przemislao de Ducatu Bohemico excessit, qui a Philippo Romanorum Imperatore Friderici secundi fratre, quem Romana ecclesia non accepit, coronari iussus, diadema accepit.

ANNUS DOMINI 1198.

Wladimirus Haliczіensis Dux moritur, et Lestko Albus Polonorum Dux Haliczіensi Principatu, profligato Romano Duce, potitur.

Wladimirus Haliczіensis Dux beneficio, brachioque Kazimiri olim Polonorum Ducis et Monarchae ad Haliczіensem Principatum, a quo per Pannonios deiectus fuerat, restitutus, morte absumptus, dum nullum superstitem reliquisset [6]), magnam inter Lestkonem et Cunradum Polonorum Duces et eorum curatores, Cracoviensesque milites ab una, et Ruthenos, Ruthenorumque Duces partibus ab altera [7]), dissidii suscitavit procellam. Iure quidem et

---

[1]) moritur *Ed. Dobr.* [2]) Agerius *Cod. Rozr.* [3]) natione Polonus *Cod. Ciess.* [4]) per electionem capitularem *Ed. Dobr.* [5]) Comitibus alias communibus *Cod. Rozr.* [6]) reliquisset haeredem *Cod. Rozr.* [7]) partibus ab altera *deest in Cod. Aut.*

aequitatis ordine, foedere insuper cum Kazimiro Polonorum Duce per Wladimirum, dum restitutus esset, icto, Haliczieosis Principatus ad Poloniae Regnum et ad filios Kazimiri (super quo et Halicziensos milites sacramento adacti [1]) erant) debebat devolutus censeri; sed multorum Principum Russiae, Ducatum praedictum sibi in feudum dari deposcentium, ambitio plures seditionum rumores concitatura videbatur: ad quos, antequam latius serperent, opprimendos Nicolaum palatinum Cracoviensem cum copiis tam equestribus quam pedestribus in Haliczjam ad providendum de Ducatus vacantis statu, et ut in formam provinciae redigi, Regnoque Poloniae uniri posset, ordinandum, mitti placuit. In lachrimis illico Lestko Dux resolutus, ne se desererent, sed in illius expeditionis comitem eum assumerent, primum curatores, deinde consiliarios singulos blandis haerens complexibus [2]) precabatur. Et dum tam mater ducissa Helena, quam consiliarii resisterent, et satius illum in aula interim manere persuaderent: Quantum, inquit, refert, quod signa muta et omni [3]) sensu carentia, vobiscum itura sunt, et ego Dux vester futurus relinquor? Assumite, precor, me, ut virorum contubernio fortium fortis evadam, quoniam inter feminarum greges me taedet pudetque amplius esse. Quod si non impetravero, sequar vel uno tantummodo comite contentus, vestra vestigia. Hisque et aliis sermonibus suam indolem futuram exprimentibus usus, consiliariis animum ducalem certatim efferentibus, ut se assumerent, pervicit. In frequenti [4]) itaque militum numero dum in Halicziensium fines [5]) pervenisset, Halicziensium primi illi [6]) occurrunt et velut dominum suum legitimum devotius suscipiunt et adorant, idque primum ab eo precantur, ut solus illis imperet, solus Halicziensem administret, regatque Principatum, aliorum Russiae Ducum execraturos se, et [7]) honesta prius morte morituros [8]), pronuntiant ditionem. Collaudatos et blande habitos Dux Lestko praecedere iubet; verum illi Lestkoni et suis curatoribus infensi, quod rumore vulgato cognoverant, Romanum Mstislawicz Wladimiriae Ducem se [9]) pro Duce et praeside Lestkonem locaturum, armis correptis obviam Lestkoni ut hosti procedunt. Sed cum levi negotio primae eorum turmae fusae, fugatae, postremae quoque, in quibus erat ingens peditum multitudo, metu perculsae, fuga dilapsae essent, et Lestko ad oppugnandum Halicziense castrum properaret, Halicziensos missis caduceatoribus, petita obtentaque venia, portas castri Lestkoni aperiunt, et omnia, quae imperaret, se facturos repromittunt.

---

[1]) addicti *Cod. Rozr.* [2]) amplexibus *Cod, Rozr.* [3]) animi *Ed. Dobr.* [4]) Insequenti *Ed. Dobr.* [5]) in Halicz *Cod. Rozr.* [6]) Halicienses illi primum *Ed. Dobr.* [7]) vel *Cod. Rozr.* [8]) perituros *Ed. Dobr.* [9]) sibi *Ed. Dobr.*

Romanus Wladimiriensis Dux, nepos defuncti, investitur per Lestkonem Album in Haliciensem Ducatum, cum omni Haliciensium moerore.

Plenam et castri et totius Haliczensis Ducatus Lestkone Polonorum Duce possessionem consecuto, tum demum inter competitores de Ducatu Haliczensi Russiae Duces in altius certamen res venit, et post longa litigia inter illos ventilata, caeteris a proposito resilientibus, solus Romanus Mstislawicz Wladimiriensis Dux, mortui Haliczensis Ducis nepos germanus, Ducatum Haliczensem sibi conferri ratione et respectu multiplici deposcebat: isque [1]) caeteros Duces Russiae a petendo Ducatu Haliczensi, tum rogando et persuadendo, tum terrendo averterat. Apud Ducem quoque Polonorum Lestkonem et suos consiliarios in praefato Ducatu Haliczensi petendo multiplicibus ingeniis usus, supplicationem suam quotidie novis adminiculis subornabat, iniquum esse deducens, ut patrui germani sui hereditas ad alium, quam ad se perventura, ampliorem sibi mortis patrui causaret dolorem; neminem praeterea adeo, ut se, meritum inter Duces, cui beneficium illud praestari aequum esset, cum merita sua in Poloniae Ducem Lestkonem [2]), recentia stigmata ad Moszgawam accepta, et plures sui milites illic desiderati, testarentur. Adiungebat his causis minas, iniuriam suam, si a Ducatu Haliczensi et sorte patrui excluderetur, armis et omni hostilitate [3]) se vociferans ulturum. Difficilis apud Lestkonem Polonorum Ducem et consiliarios suos huiusce rei decisio visa, consummationem illius in plures dies (sub quibus Dux Romanus submissius se gerens, Haliczensem Ducatum non iure, sed precario, non in proprietatem et titulum, sed in procurationem et regimen temporaneum sibi petebat mandari) extraxit. Nemo erat ex consiliariis Polonorum, cui satis placeret tam foecundum Ducatum, Romano suapte [4]) inter Ruthenos diviti et potenti, ne in superbiam erectus calcitraret et ex subdito hostis infestus fieret, conferri, sed Ducatum ipsum Regno Polonorum, velut utilem et valde pernecessarium [5]), plures allaturum commoditates, uniri; Haliczensium insuper baronum et militum et querelis et precibus movebantur, qui sibi callidum et versipellem Principem, varia tyrannide in se usurum, dari et praefici abhorrebant. Offerebant praeterea Lestkoni Polonorum Duci, si in formam provinciae redacti Romano non committerentur, auri, argenti, gemmarum, vestium, equorum, boum et armentorum certam quantitatem annis singulis pensuros. Movebant ista Lestkonem Principem et Polonorum consiliarios; respectus tamen futuri cum Romano, si refutatum iri suas preces contingeret, belli, et

[1]) Hisque *Ed. Dobr.* [2]) in Poloniam et Ducem Leszkonem praestita *Ed. Dobr.* [3]) hostilitate facultateque *Cod. Rozr.* [4]) satis *Cod. Rozr.* [5]) necessarium *Cod. Rozr.*

superimpendens a Myeczslao Sene Maioris Poloniae Duce [1]) hostilitas, ne pro uno et eodem tempore a fronte et tergo urgerentur, Lestkonem Ducem et Polonorum consiliarios pervicit, ut propriis commoditatibus et caeterorum Ducum Russiae ac Haliczionsium militum petitionibus neglectis, Haliczionsem Ducatum Romano Wladimiriensi Principi, subiectum illum atque fidum putantes sibi futurum, conferrent, ipsumque tunc de Ducatu praedicto [2]) investirent, et illius possessionem non sine Halicziensium amaro cruciatu, multiplex malum sibi ominantium, contraderent [3]), Romano fidem, devotionem et obedientiam in Ducem Polonorum Lestkonem, aequitatem vero et iustitiam in Halicziensos milites et subditos se iureiurando astringente [4]) et vovente custoditurum. In hunc modum rebus Halicziensium compositis, Lestko Dux cum sua militia Cracoviam repetiit.

Lubuczensis terra a Polonia sequestratur.

Boleslaus unus ex filiis beatae Hedvigis et Henrici cum barba Ducis Wratislaviensis, substantiam paternam, celebrata cum fratribus Henrico et Cunrado Crispo Ducibus Wratislaviensibus, patre permittente, divisione, adeptus, Ducatum Lubuczensem, qui illi sorte [5]) obtigerat, cum illius arce et [6]) territorio Marchionibus Brandeburgensibus pro certa summa pecuniae, vivens luxuriose et prodigaliter perpetuo vendidit: ex quo tempore praefatus Ducatus et episcopatus eius Lubuczensis insignis a Poloniae Regno abstractus et sequestratus est, ac perperam et iniuste Marchionatui Brandeburgensi applicatus, non sine Regni Poloniae notabili mutilatione usque in nostra tempora durante. Adeo autem praefati Boleslai Ducis malitia et transgressio ascenderant [7]), ut in oppido Srzroda et in cimiterio parochialis eiusdem oppidi ecclesiae octingenti homines, ipso causam et occasionem praestante, flammae [8]) incendio perierunt [9]).

Caelestinus Papa tertius, cum annis sex, mensibus octo [10]), diebus undecim sedisset, Romae moritur et in ecclesia Sancti Petri sepelitur; cui Lotharius [11]), appellatus Innocentius tertius, natione Campanus ex patre Transimundo, quamvis aetate iuvenis, sed scientia divina atque humana acutus, in omnium conspectu gratiosus, vicesima secunda die Februarii succedit.

---

[1]) Duce *deest in Cod. Aut.* [2]) praefato *Ed. Dobr.* [3]) traderent *Cod. Rozr.* [4]) obstringente *Ed. Lips.* [5]) forte *Ed. Dobr.* [6]) arcem cum eius *Cod. Rozr.* [7]) progressa est *Cod. Rozr.* [8]) flaminis *Ed. Dobr.* flammis et *Ed. Lips.* [9]) pergerent. *Ed. Dobr.* perirent. *Ed. Lips.* [10]) septem *Cod. Rozr.* [11]) Laetantius alias Lothargius *Cod. Rozr.*

Bohemiae Dux in Regem coronatur per Philippum alterum electum Imperatorem.

Eodem insuper anno in die Sancti Michaelis Henricus Imperator, cum annis undecim imperasset, apud Panormum in Sicilia moritur et Neapoli insigniter sepelitur. Hunc plerique Annalium scriptores asserunt in fine vitae suae magnum hostem et adversarium Ecclesiae fuisse, et nonnullos episcopos, qui nequitiae suae assentire noluerant (ob quam causam apostolico fuit innodatus gravi anathemate) trucidasse. In substituendo Imperatore cum Principes variassent, et Coloniensis atque Treverensis archiepiscopi Ottonem Comitem Pictaviae, filium Henrici quondam Ducis Saxoniae, Maguntinensis vero archiepiscopus cum aliis Philippum Ducem Sueviae [1], fratrem Henrici sexti Imperatoris, elegissent, gravissimus bellicus stridor et promiscua atque miserabilis vastatio et caedes in Germania pene universa coorta est [2], incendiisque Almania fumabat. Philippus ius electionis de se factae roboraturus, plures Almaniae Principes sibi conciliat, Bohemiae quoque Ducem Przemislaum in sui suffragium vocat; quem ut propensius sibi obligaret, in Regem creat, et sub sui in Bamberk praesentia, vel ut quidam ferunt, in Maguntia coronari in Bohemiae Regem per archiepiscopum Maguntinensem procurat, cuius fretus auxilio, Coloniensem archiepiscopatum et alias Almaniae sibi adversas partes crudelissime [3]) devastat. Innocentius autem Papa odio habens Philippum, quod frater suus Henricus Imperator multis contumeliis et iniuriis apud Siciliam pontifices et sacerdotes Domini [4]) affecerat, Ottonis partem studiosissime promovebat. Cuius etiam mandato ipse Otto corona prima apud Aquisgranum fuit insignitus, et Philippus velut iniustus Imperii invasor anathematisatus.

Francisco Wratislaviensi episcopo succedit Iaroslaus.

Franciscus alias Franko, qui alio nomine Swantko appellatur [5], Wratislaviensis episcopus, cum annis decem et septem sedisset, moritur: in cuius locum Iaroslaus Dux, filius Boleslai Alti [6] Ducis Wratislaviensis, patre ordinante et dirigente, succedit, a Zdzislao [7] archiepiscopo Gnesnensi confirmatus et consecratus. Hic Iaroslaus de consensu paterno ecclesiae Wratislaviensi terram Nissensem perpetua donatione contulit et inscripsit in dotem, per

---

[1]) Ducis Saxoniae *Cod. Roer.* Ducis Sueuiae *Ed. Dobr.* [2]) sunt *Cod. Aut.* [3]) crudeliter *Ed. Dobr.* [4]) Dei *Cod. Roer.* [5]) apellabatur *Cod. Roer.* [6]) Albi *Ed. Dobr.* [7]) Zdzislawo *Cod. Aut.*

communes barones reconciliatus patri, quem iuvenili ambitione fervens, et propter odium Adilheidis [1]) novercae, cum filios ex ea susceptos videret a patre sibi praeferri, nonnullis militibus id facinus nutrientibus, de Ducatu Wratislaviensi propulerat [2]). Hic etiam Iaroslaus donationem decimarum novalium per Ziroslaum praedecessorem suum monasterio Lubensi in toto territorio Legniczensi factam, velut mensae episcopali plurimum nocivam, irritavit [3]).

Principalior Ruthenorum Dux, Swanthoslaus Kyoviensis Princeps [4]) moritur et in ecclesia Sancti Cyrilli, quam pater suus Czirnyeoviensis Dux fabricaverat, sepelitur. Post cuius mortem Rurik Rostislawicz Dux apud Kyovienses principari [5]) coepit; sed cum per Kyovienses temporis processu pulsus esset, ad Polowczos confugit.

ANNUS DOMINI 1199.

Romanus Dux Haliciensis brevi omnem sua tyrannide nobilitatem Haliciensem cum terrore vicinorum perdit.

Halicziensem provinciam Romanus Wladimiriensis Dux favore, liberalitate et largitione Lestkonis Albi Polonorum Ducis consecutus, Halicziensibus coepit primum esse blandus, mox infestus, et ad extremum truculentus, nec sua, quam de regendo Haliczienai Principatu in iustitia et aequitate Duci Polonorum Lestkoni praestiterat, sponsio [6]) fuit constans et diuturna; sed iureiurando et foedere praevaricato, primos Halicziensium nihil [7]) hostile de illo suspicantium [8]), ad se evocatos [9]) captivat, e quibus quosdam publico [10]) trucidat gladio, alios infodit, mergitque sabulo, alios membratim coram discerpit, alios excoriat, alios exenterat, plures quasi signum [11]) ad statuam ligatos missilibus conficit, varioque mortis genere interimit. Cum autem occisorum militum affines, consanguinei et filii, et fere universa nobilitas, tam foeda crudelitate perculsa, in vicinas regiones diffugisset, omnem suis eiulatibus et querelis in Lestkonem Polonorum Ducem et Polonos, quod sibi tam efferum, nihil praeter humanam effigiem humani habentem Principem praefecissent, culpam retorquentes, Romanus suis artibus usus, exquisitis blandimentis et promissionibus illos revocat [12]), et parumper in honore et favore habitos, variis tandem excruciatos interficit tormentis, et fere universam Halicziensium nobilitatem tyrannide sua enecat et extinguit, solitus eo pro ex-

[1]) Adleydis *Cod. Rozr.* [2]) expulerat. *Ed. Dobr.* [3]) irritam fecit. *Ed. Dobr.* [4]) Swantoslai Kioviensis *Ed. Lips.* [5]) Kioviensem Principatum *Ed. Dobr.* [6]) sponsio fidesque *Cod. Rozr.* [7]) Halicienses nil *Ed. Lips.* [8]) suspicantes *Ed. Dobr.* [9]) vocatos *Ed. Dobr.* [10]) publice *Ed. Dobr.* [11]) lignum *Ed. Dobr.* [12]) evocat *Cod. Rozr.*

cusando suo scelere, quasi solenne quodammodo et coeleste oraculum extiterit[1]), uti proverbio: Neminem melle, apum nisi prius examen oppresserit, secure vesci posse. Tantum autem terrorem sua truculentia et tyrannide non propriis tantummodo, sed et finitimis ingesserat, tantum sibi famae et potentiae brevi quaesierat, ut facile omnibus Ruthenorum imperaret provinciis, et singulos Russiae Principes haberet tributarios et subiectos. Quae res, ne in Polonorum perniciem verteretur, saepe Polonos affligebat iam tacitos saepenumero superimpendentem Romani tyrannidem in se quoque ominantes aliquando recisuram.

Myeczslaus Senex Maioris Poloniae Dux Cuiaviam occupat.

Myeczlaus Senex Maioris Poloniae Dux, qui post cladem ad Moszgawam acceptam pacificus constiterat, ad res per bellum et controversiam [2]) gerendas animum inclinat, et in Cuiaviensem provinciam, quae de Lestkonis et Cunradi filiorum Kazimiri sorte erat, velut Principatibus suis confinantem [3]) ex propinquitate et opportunitate, occupat et in suam redigit ditionem. Quae quidem iniuria a Lestkone Duce et suis curatoribus repressa tunc non est, quoniam et civile bellum verebatur consurgere, novas clades iterum pariturum, et atrox concertatio discussioque [4]) inter Nicolaum Cracoviensem de domo Vulpium, et Goworicium Sandomiriensem, palatinos, de domo Rawitarum, ab aemulatione et livore orta intervenerat, in illumque processerat ardorem, ut post plura seditiosa litigia, Goworicius Sandomiriensis palatinus hostis sui Nicolai palatini Cracoviensis potentiam perhorrescens, in Bohemiam ad fratres et cognatos domus suae (beneficio Ducis Bohemiae in sedes suas et haereditates, eo tamen pacto, ut veteribus insignibus abrogatis, in signum patratae fraudis asciam, in Bohemico vulgari Bradaticzam [5]), in Polonico Oxam vocatam, pro armis deferrent, restitutos) exulare cogeretur.

Zdzislao archiepiscopo Gnesnensi succedit Henricus.

Zdzislaus Gnesnensis archiepiscopus cum annos sedecim sedisset, moritur et in Gnesnensi ecclesia sepelitur. In cuius successionem, etsi capitulares Thomam archidiaconum Gnesnensem elegissent, Myeczslao tamen et Wladislao

---

[1]) existeret *Ed. Dobr.* [2]) controversias *Cod. Rozr.* [3]) confinem *Ed. Dobr.* [4]) dissensioque *Cod. Rozr.* [5]) Bradacicam *Cod. Ciesz.* Baradaticam *Ed. Dobr.*

Ottonis [1]) Maioris Poloniae Ducibus instantibus, frater Henricus dictus Kietlicz ordinis Minorum, in monasterio [2]) Sancti Iacobi apud Wratislaviam ordinem professus, ex patre Theodrico Duce Brennensi et Eudoxia Ducissa Poloniae genitus, licet renitens [3]), per Innocentium Papam tertium, aut ut aliis placet, per Martinum quartum provisus, Meraniae Principes [4]) propinqua cognatione et beatam Hedvigim gradu tertio contingens.

Nono Calendas Maii Bela Hungarorum [5]) Rex, cum annis tribus et viginti regnasset, moritur et in Alba Regali sepelitur; cui filius eius Emericus successit, communi et conformi praelatorum et baronum consensu in solium paternum evectus, sed parvo regnavit tempore.

ANNUS DOMINI 1200.

Myeczslaus Helenam matrem Lestkonis rogat et hortatur, ut sibi ad vitam de Monarchia conscendat: et ea consentiente, ac in Sandomiriam recedente, fit Monarcha.

Cuiaviensi Ducatu iniuste per Myeszkonem [6]) Senem Maioris Poloniae Ducem occupato, Myeczslaus ipse ad occupandum Cracoviensem Ducatum et Polonorum Monarchiam animum conatusque omnes intendit, et quia arma, quibus id primum assequi volebat, minus illi prospere cesserant, astu et dolis, quae omnibus armis potentiora existunt [7]), sperat se haud dubie consecuturum. Fulconem itaque episcopum et Nicolaum germanum eius, palatinum Cracoviensem, caeterosque primi ordinis et dignitatis viros, tum per se magna comitate, tum per literas et nuntios varia largitione sollicitat, quatenus illum, filiis praesertim Kazimiri Ducis, Lestcone et Cunrado, nondum epheborum aetatem [8]) excedentibus [9]), in Polonorum Monarcham assumant, prosperam et tranquillam vitam sub illius ditione acturi. Verum cum animos virorum huiusmodi blanditiis expugnare non posset, quippe magna charitate pupillis affecti [10]), quidquid per Myeczslaum Senem ingerebatur, surdis auribus excipiebant, ad matrem puerorum Ducissam Helenam Kazimiri relictam se totus convertit, facile sperans (quemadmodum successit) suis se calliditatibus illam ad vota sua inclinaturam [11]): reiiciebant etenim in illam barones, quos Myeczslaus prece aut pretio pertentaverat, sui consensus facultatem. Suggerit

[1]) atque Ottone *Cod. Rozr.* [2]) monasterii *Ed. Dobr.* [3]) renitens eligitur *Cod. Rozr.* [4]) Moraviae Princeps *Ed. Dobr.* [5]) Hungariae *Cod. Rozr.* [6]) Miecslaum *Cod. Rozr.* [7]) quae omnium armorum potentiam extingvunt *Ed. Dobr.* [8]) annos *Ed. Dobr.* [9]) excedentibus alienatis *Cod. Rozr.* [10]) erga pupillos effecti *Ed. Dobr.* [11]) inclinaturum *Cod. Rozr.*

itaque Helenae Ducissae, atque suadet, ut patiatur sibi Principatus et Monarchiae Polonorum fasces deferri, stabilitura ex hoc Regnum filiis, et maximas commoditates et profectus perceptura. Se quidem, ad quem, velut natu maiorem, Monarchiae devolutus censetur Principatus, dissentiente, non posse filios Kazimiri neque pacifice, neque legitime in Principatu Cracoviensi, qui solio Monarchiae reservatus est, consistere, sed pro illius ademptione iniusta nunquam se et filios suos quieturum. Ubi tamen Ducissa Helena de Ducatu praefato cedere consenserit, velle se et filios Kazimiri, Lestkonem et Cunradum, nepotes suos primum adoptare in filios, balteo illos [1]) militari cingere, Cuiaviensem restituere provinciam et Regnum Polonicum perpetuo illis, ut se mortuo, Principatus eorum non possit neque a filiis suis, neque a quoquam alio revocari in dubium, stabilire, neque aliter posse illos iuste et tute in Regnum succedere, neque successionem posse esse stabilem et diuturnam, si ab ipso firmata et stabilita non fuerit, cum huiusmodi stabilimenti robur ex eius arbitrio et auctoritate pendeat; ea vero, quae morte Kazimiri fratris sui secuta de filiis suis ad Principatum et Monarchiam per Fulconem episcopum et barones electio et substitutio facta est, fragilis et ridiculosa, nullum penitus duramentum, si a se ratificata non fuerit, habitura, consistat [2]). Attendat praeterea se senem et decrepitum, parvoque tempore victurum esse, et pro brevissimi temporis spatio non cunctetur de Ducatu Cracoviensi excedere, fructum multiplicis usurae filiis adiectura. His Helena Ducissa crebro expugnata sermonibus, facilitate muliebri omnia, quae in dolo a Myeczslao disserebantur, in credulitatem admittens, Fulcone episcopo, Nicolao palatino Cracoviensibus, caeterisque proceribus nequicquam renitentibus, adversantibusque, de Cracoviensi Principatu cum Lestkone et Cunrado filiis excedere sub pactis per Myeczslaum Senem propositis, dummodo tamen ea se iureiurando observaturum astringeret, consentit. Constituitur deinde ad haec confirmanda beati Bartholomaei Apostoli dies; pro qua dum Cracoviam, prout inter Helenam Ducissam et Myeczslaum [3]) convenerat, frequens praelatorum et baronum multitudo convenisset, Myeczslaus Senex facta promissa resumit, Lestkonem et Cunradum in filios se adoptaturum, Cuiaviam se illis restituturum, Regnum se absumpto stabiliturum repromittens. Quae non solum a Myeczlao Sene, sed etiam ab utriusque partis proceribus iureiurando tunc in manibus pontificalibus sancita sunt, idque utraque laudante parte addictum, ut si aliquis pacta taliter percussa praevaricari, violare, infringere et irritare, aut in earum violationem et irritationem consulere et assentire praesumpserit, per Gnesnensem metropolitanum et quemlibet

---

[1]) deinde balteo illos *Cod. Rozr.* [2]) consistat necesse est. *Cod. Rozr.* [3]) Mieczslaum Ducem *Ed. Dobr.*

alium provinciae Gnesnensis pontificem anathematis innodetur opprobrio, divina ultione, per cuius nomen fallaci corde iuraverat, puniendus. Icto huiusmodi foedere, Ducissa Helena cum Lestkone et Cunrado, multis baronibus eam prosequentibus, secedit ex Cracovia in Sandomiriam, reliquos Principatus sortis [1]) filiorum suorum gubernatura. Myeczslaus autem Senex Monarcha Polonorum effectus, Cracoviensis civitatis, arcis et Ducatus accipit possessionem, et post paucos dies in oppido Bithomiensi castrum forte aedificat, ut Cracovienses milites in fide contineat, et in rebellionis eventum propinquum habeat praesidium, quo tutus divertat. Tunc etiam Goworicius palatinus Sandomiriensis ex Bohemia amicorum literis revocatus, revertitur, et apud Lestkonem et Cunradum primum sortitus locum, Nicolai palatini Cracoviensis, Principatibus divisis, hostilitatem, cum uterque sub diverso Principe consisteret [2]), non verebatur.

Quinta Maii mensis die terrae motus in Polonorum regione, vicinisque Regnis et terris sub meridiano tempore exortus et frequenti dierum spatio resumptus, plerasque [3]) turres, domos et munitiones attrivit. Quae res raro in Polonia contingens, velut prodigiosa et apud plerosque in religionem versa videbatur.

Constantinopolis Graecorum civitas, in qua tunc Askarius [4]) imperabat, a Venetis et Francis capitur. Cuius captio longo tempore non credebatur pro eo, quod fatatum [5]) fuit, eam non nisi per Angelum capi posse; sed hostibus per murum, ubi Angelus pictus erat, intrantibus, veritas fati et aequivocatio erroris tum primum notata est. Askarius autem Constantinopolitanus Imperator, capta urbe, versus Ponticum mare, Tersonam transiit, et abinde postea Galatiam alias Haliczionsem provinciam, quae est pars Russiae hactenus sub Polonorum Regno consistens, pervenit, et a Romano Russiae Duce benigniter [6]) et humane susceptus, tractatus atque habitus, aliquanto tempore illic permansit.

Fundatio monasterii Sancti Iacobi in Sandomiria.

Adleida dominicella virgo religiosa et devota, filia Kazimiri olim Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis, monasterium Fratrum Praedicatorum sub titulo Sancti Iacobi in oppido Sandomiriensi fundat et erigit. Quae in virginitate Deo serviens, cum Anno Domini Millesimo ducentesimo undecimo [7]), Octava Decembris diem obiisset, in eodem monasterio sepulturam accepit [8]).

---

[1]) et sortes *Ed. Dobr.* [2]) constaret *Cod. Rozr.* [3]) pluresque *Cod. Rozr.* [4]) Ascharius *Ed. Dobr. (forsan* Lascaris) [5]) fatale *Ed. Dobr.* [6]) benigne *Ed. Dobr.* [7]) Millesimo ducentesimo *Ed. Dobr.* [8]) sepulta est. *Ed. Dobr.*

Emericus Hungariae Rex, cum vix anno regnasset, moritur pridie [1]) Calendas mensis Decembris, et in ecclesia maiori Agriensi sepelitur. In cuius locum filius eius Ladislaus suffectus est, coronatus Septimo Calendas Septembris [2]).

ANNUS DOMINI 1201.

Myeczslaus, dum Helenae pacta servare velle negat, per Nicolaum palatinum Cracoviensem, cum ipse ad Maiorem Poloniam ivisset, Monarchia privatur, et tota terra Cracoviensis Lestkoni Albo restituitur.

Alterum iam annum Myeczslaus Senex in Monarchatu [3]) et Principatu Cracoviensi agebat, nondum tamen ex multiplicibus promissis et pactis Lestkoni Duci et genitrici suae [4]) Helenae Ducissae factis aliquod impleverat, sed nec Cuiaviensem terram superioribus annis iniuste occupatam restituerat, sed [5]) vafro usus ingenio, interdum publicas occupationes, interdum corporis valitudinem in sui excusatione opponebat. Tum primum Ducissa Helena Kazimiri relicta se a Myeczslao Sene circumventam et delusam vanissimis promissis querebatur, tum etiam coepit agnoscere muliebres suas actiones et consilia, quibus in id ludibrii ventum erat, virorum consiliis, quae id quam maxime improbabant, longe inferiora et minus tuta fore. Nondum tamen omni spe, quam ex promissis Myeczslai Senis conceperat, deposita, in Cracoviam adveniens, Myeczslaum privatim primum, deinde publice convenit, ut pactorum secum et filiis [6]) suis initorum memor, Cuiaviensem eis terram restituat, militari cingulo utrumque insigniat [7]) et Monarchiae atque Cracoviensis Principatus haeredem [8]) se moriente scribat. Verum Myeczslaus Senex (ut erat vir versutiarum plenus) placidis primum Helenam Ducissam relictam [9]) Kazimiri, glotem suam habitam [10]) sermonibus satis restare asserit, quo haec perfici possint de tempore; deinde ubi muliebrem importunitatem videt eo responso non contentam, fortius de pactorum violatione queri, respondet: pacta ampliorem violationem sumptura, si filiis propriis, et debitam iam non aetatem tantummodo, sed et prudentiam habentibus, neglectis [11]), nepotes immaturos et ephebos anteferat; sed nec potuisse privatis pactis, filiis sibi legitime successuris, ius publicum successionis tolli, aut enervari. Abiret proinde et intelligeret, ius publicum iure privato non posse convelli, nec a se alios creari

---

[1]) Octavo *Ed. Dobr.* [2]) Decembris. *Ed. Dobr.* [3]) Monarchia *Cod. Rozr.* [4]) illius *Cod. Rozr.* [5]) verum *Cod. Rozr.* [6]) cum filiis *Cod. Rozr.* [7]) cingeret *Cod. Rozr.* [8]) haeredes *Cod. Rozr.* [9]) relictam *deest in Cod. Aut.* [10]) habitis *Cod. Rozr.* [11]) prudentiam honestate neglecta *Ed. Dobr.*

aut scribi haeredes, quam eos, qui ex lumbis suis procedentes, quamlibet aliam creationem minime forent laturi. Eo responso Helena Ducissa Kazimiri relicta [1]) et violatum pacta et preces suas repudiatum iri dinoscens, tristis et gemens in Sandomiriam reversa, plures ex Cracoviensibus baronibus, quorum fida quondam consilia neglexerat, per nuntios et literas, ne tam notoriam iniuriam sibi et filiis suis illatam, inultam esse sinant, et filios suos in Principatum Cracoviensem restituant, obsecrat [2]), promittens de caetero, nihil se, nisi ex eorum arbitrio in rebus publicis acturam. Promovebat autem petitionem huiusmodi non solum filiorum Kazimiri charitas in pectoribus singulorum ex beneficiis paternis vivens, sed etiam Myeczslai Senis odium, qui ut securius in Cracoviensi imperaret Principatu, aliquos barones ex veteribus possessionibus, ad se illas asserens pertinere, deturbaverat, et nobilibus ex Maiori Polonia, quasi magis sibi fidis, illas et publicos magistratus atque officia contulerat, pluresque credebatur temporis processu firmato solio deturbaturus. In perniciem itaque et exclusionem Myeczslai Senis facile exulcerati omnium animi consentiunt, et Myeczslao in terras Maioris Poloniae divertente, Nicolaus palatinus Cracoviensis, arce Cracoviensi occupata, Lestkonem Album et matrem eius Ducissam Helenam in Cracoviensem Principatum introducit, et omnium illi animos studiaque conciliat, officiales et praefectos Myeczslai, et quoscunque illi favere noverat, iubens post illum in Maiorem Poloniam transmigrare. Et licet omnia castra et munitiones Cracoviensis Principatus Lestkoni parerent, solum tamen Bithomiense castrum pro Myeczslao Sene tenebatur, in quod Myeczslaus Dux fortissimum militum praesidium transmittens, Cracoviensem provinciam spoliis, praedis et rapinis, caeterisque incommoditatibus [3]) vexare non omittebat.

Przemislaus Bohemiae Rex prima et legitima sua uxore Adla sorore Marchionis Misznensis repudiata, Constantiam Regis Hungariae Belae sororem accepit in uxorem.

Boleslaus Altus Wratislaviensis Dux cum filiis mortuus, Henricum cum barba filium, Sanctae Hedvigis maritum, reliquit successorem.

Decimo Calendas Februarii Iaroslaus episcopus Wratislaviensis, filius Boleslai Alti [4]) Ducis Wratislaviensis [5]), moritur, cum ecclesiam Wratislaviensem triennio vix exacto, gubernasset, et in ecclesia Wratislaviensi sepelitur. Cui Cyprianus episcopus Lubuczensis, qui abbas Sancti Vincentii extra muros

---

[1]) relicta *deest in Cod. Aut.* [2]) obsecrabat *Cod. Rozr.* [3]) incommodis *Cod. Rozr.* [4]) Albi *Ed. Dobr.* [5]) Wratislaviae *Ed. Dobr.*

Wratislavienses existens, in Lubuczensem episcopum promotus fuerat, canonice postulatus succedit, ab Innocentio Papa [1] tertio confirmatus. Et non post plures [2] dies Boleslaus Altus Dux Wratislaviensis filium suum episcopum Iaroslaum secutus, Octavo videlicet Idus Decembris moritur et in monasterio Lubens [3] sepelitur. Hic cum duas uxores habuisset, videlicet Wenczeslawam Ruthenam, et Adleidem [4] sororem Imperatricis, coniugis [5] videlicet Cunradi secundi Imperatoris, ex Wenczeslawa quidem Iaroslaum episcopum Wratislaviensem et Boleslaum, filiamque Algam nomine genuit; ex Adleide vero genuit [6] Henricum cum barba vocatum, Cunradum, Iohannem, et filiam Adylheidem [7], quae Dipoldo Marchioni Moraviae fuit matrimonialiter copulata. Sed omnibus filiis Boleslai Alti immature obeuntibus et in monasterio Lubens [8] sepultis, solus Henricus cum barba superstes existens, patri in Wratislaviensi Ducatu et in aliis dominiis successit; secundo genitus enim suus Boleslaus, dum pro militia consequenda oras et regiones visitaturus se praeparasset, Quintodecimo Calendarum Augusti obiit; Cunradus Tertio Nonas Iunii, et Iohannes Sexto Idus Martii fatis absumpti. Erat itaque Henricus cum barba non solum Ducatuum Poloniae a patre relictorum integritate conspicuus, sed etiam splendido et raro coniugio Hedvigis consortis suae, filiae Bertholdi Meraniae [9] Ducis, famosus [10] et clarus, quae admirandis iam tunc fulgens virtutibus, sanctitatis suae decus longe lateque diffundebat.

Ladislaus Hungariae Rex, cum exiguo tempore regnasset, Nonas Maii mortuus, in Alba Regali sepelitur [11]. Post cuius obitum Andreas filius Belae tertii adeptus est Regnum, in die Pentecostes favore omnium coronatus. Huic erat coniunx Gertrudis filia Bertholdi Meraniae [12] Ducis, soror germana Sanctae Hedvigis, de qua tres filios, videlicet Belam, Colomanum et Andream, et unam filiam, videlicet beatam Elisabeth produxit.

ANNUS DOMINI 1202.

Myeczslaus non praevalens contra fidem baronum quicquam de sua ad Monarchiam restitutione, iterum ab Helena omnia impetrat et ut Nicolaus palatinus Cracoviensis in exilium mittatur obtinet: qui ad eundem fugiens, ipsum ad omnia reducit. Et Myeczslaus Helenae promissa non servans, Visliciam oppidum capit; tandem brevi moritur.

Cracoviensi Principatu Myeczslaus Senex Maioris Poloniae Dux gravi

[1]) Papa *deest in Cod. Aul.* [2]) Et post paucos *Ed. Dobr.* [3]) Lubensi *Ed. Lips.* [4]) Adleydam *Cod. Rozr.* [5]) coniugem *Ed. Dobr.* [6]) suscepit *Cod. Rozr.* [7]) Adleydam *Cod. Rozr.* [8]) Lubensi *Cod. Rozr.* [9]) Bartholdi Moraviae *Ed. Dobr.* [10]) celebris *Cod. Rozr.* [11]) sepultus. *Ed. Dobr.* [12]) Bartholdi Moraviae *Ed. Dobr.*

molestia et dolore se querens baronum Cracoviensium dolo et iniquitate exutum, ad repetendum illum, animum et cogitationes intendit. Armorum autem via, velut quae multas secum difficultates, modosque et casus fortuitos ferebat, omissa, ad ingeniorum viam, plus commodi, minus impensae habituram [1]), se totum convertit. Et baronum quidem Cracoviensium pertentatis, exploratisque animis, dum spei suae, omnibus Principatum suum execrantibus, non responderet effectus, ad nota et trita redit ingenia, et Ducissam Helenam Lestkonis et Cunradi matrem, Kazimiri fratris relictam, blandioribus quam ante convenit sermonibus. Et primum quidem suspicionis facinus ex transgressione prioris foederis, quantum valet, extenuat, deinde muliebrem animum amplissimis promissionibus onerat: Non ex me, inquit, glos charissima, foederis inter nos icti conditiones putes neglectas aut violatas esse, ad quarum observantiam [2]) continuo ferebar et nunc feror ardore, sed Cracoviensium procerum, quod servatae et impletae non fuerint, scias iniquitate effectum, qui non sinebant me ad illorum procedere executionem. Nec alia extat meae exclusionis a [3]) Principatu Cracoviensi causa, nisi quod me senserant, eorum consiliis neglectis, ad observandum conditiones in foedere expressas processurum. Fides itaque mea et iurisiurandi religio, in tuum et filiorum tuorum profectum perventura, me Cracoviensi exuit Principatu. Quam quidem iniuriam, etsi ego patientius, quam mihi conveniret, tulerim: te tamen pro filiorum tuorum commodis, quae interceptum et [4]) neglectum iri vides, non arbitror aequo animo laturam. Ut autem de mea in te et filios tuos, nepotes meos, certior qualificatione [5]) existas, Cuiaviensem provinciam etiam nunc iam resigno, de eaque cedo, literasque quantumcunque efficaces volueris, in filiorum tuorum favorem, Principatum eis Cracoviensem me obeunte resignans, et eos haeredes [6]) instituens, scribo, tibique trado. His Helena Ducissa liquefacta promissionibus, Myeczslao Seni [7]) se de Cracoviensi Ducatu cessuram, si promissas conditiones primum impleverit, obligat. Verum Myeczslaus Dux veritus, ne nova vis, novaque consilia Cracoviensium procerum, et praesertim Nicolai palatini Cracoviensis, cuius nutu singula dirigebantur, conclusionem huiusmodi inficiat et irritet, Helenam Ducissam rogat, ut si velit singula pacta rata esse, Nicolaum palatinum Cracoviensem et in exilium agi [8]), et de arcanis suorum consiliis consentiat eiici, ne de Principatibus et dominiis suis ludibria exerceat, ne pro libito suo, uno deiecto, alterum pro Principe instituat. Eo enim in magistratu, quem gerit, remanente, neque foederum [9]) impletionem, neque concordiam et quietem inter se et nepotes proventuram; eo

---

[1]) habiturus *Ed. Dobr.* [2]) executionem *Cod. Rosr.* [3]) expulsionis ex *Ed. Dobr.* [4]) ac *Ed. Dobr.* [5]) fide aliquali significatione certior *Cod. Rosr.* [6]) in haeredes eos *Ed. Dobr.* [7]) Duci *Cod. Rosr.* [8]) mitti *Ed. Dobr.* [9]) foederis *Ed. Dobr.*

vero exulante, omnia [1]), quae aut pacta, aut concordiam inficere possent, cessatura. Haec autem Myeczslaus Senex ideo aestuabat perficere, ut Nicolao palatino, quem sciebat Lestkonis et Cunradi nepotum suorum fidelissimum et constantem amicum et cultorem esse, sublato, facilius in filios [2]) suos Wladislaum et Ottonem derivaretur successio. Ducissa autem Helena Kazimiri relicta, iam dudum Nicolao palatino Cracoviensi pro variis rebus et suspicionibus, quibus invidorum livor eum onerarat [3]), utpote virum industrium et iusto ac legitimo tenore singulas Reipublicae partes administrantem, offensa, in exclusionem suam exiliationemque [4]) facilem praestitit consensum. Quo periculo Nicolaus palatinus intellecto, ad Ducissam Helenam [5]) Kazimiri relictam et filios suos Lestkonem et Cunradum supplex venit, orans: ut fidelium suorum obsequiorum, tam praestitorum, quam praestandorum memores, exiliatum [6]) se iri non patiantur, in eius praesertim hostis favorem, quem nonnisi propter fidem in eos, patremque eorum habitam, sibi graviter nosset iratum; ne quoque hosti communi suum devoverent caput, quod ipse in certamine ad Moszgawam cum eodem hoste habito extremo periculo pro eis obiecisset. Verum cum nihil pacificum a Ducissa et filiis responderetur (quippe tam gravi indignationis nubilo Ducissa in Nicolaum palatinum efferbuerat, ut supplicationes suas surdis auribus audiret), palatinus ipse implacabilem attendens Ducissae iram, rebus suis prospecturus, ad Myeczslaum ipsum Senem Posnaniam personaliter contendit, facilius sperans se apud publicum et iratum hostem, quam apud infensam Ducissam, veniam obtenturum. Magna gratitudine et benevolentia a Myeczslao Duce exceptus est, maximoque favore et honore habitus: non dubitabat enim Dux Myeczslaus principalis et praecipui baronis accessione [7]) solium suum in Principatu Cracoviensi pro se et pro filiis firmaturum. Gaudebat insuper eum se [8]) rerumque [9]) suarum habere adiutorem, quem antea infestum expertus erat hostem, et cuius sola autoritate de Principatu Cracoviensi vice iam tertia exciderat. Omnium itaque offensarum superiorum sibi [10]) culpas liberaliter donat et ignoscit, et amplissimis promissionibus oneratum in sui fidem et amicitiam conciliat, intelligens se ad conditiones in foedere cum Helena Ducissa inito, palatini assistentia habita, cogi non posse. Nec eum fefellit opinio. Eius quidem ductu et consiliis Myeczslaus Dux Senex in Cracoviam receptus est, et tam arx, quam urbs Cracoviensis, caeteraeque civitates et munitiones in Ducatu Cracoviensi, mandante et dirigente palatino [11]) Nicolao, in ditionem Myeczslai consignantur, totiusque Ducatus Cracoviensis Myeczslao, nulla illarum conditione, quam

[1]) ea omnia *Cod. Rozr.* [2]) filios *deest in Cod. Aut.* [3]) onerarat *deest in Cod. Aut.* [4]) exulationemque *Ed. Dobr.* [5]) Helenam *deest in Cod. Aut.* [6]) exulatum *Cod. Rozr.* [7]) assistentia *Ed. Dobr.* [8]) sui *Cod. Rozr.* [9]) rerum quoque *Ed. Dobr.* [10]) illi *Cod. Rozr.* [11]) palatino Cracoviensi *Cod. Rozr.*

Helenae Ducissae promiserat, impleta, possessio plenaria assignatur, et in Ducissae Helenae odium singuli Cracovienses proceres Myeczslao plenam et fidelem faciunt adhaesionem. Ex qua re Myeczslaus Senex iureiurando cum Ducissa et filiis suis [1]) se solutum tenens, cum non ex sua resignatione, quemadmodum conventum fuerat, sed ex Nicolai palatini Cracoviensis [2]) se asserit adeptum fuisse Principatum, nihil de his quae promiserat, se censet impleturum. Et in hunc modum Ducissae et nepotibus de implendo foedere in conditionibus eius eum requirentibus, respondet, mulcentibusque responsionem suam Cracoviensium proceribus, nedum [3]) Cuiaviensem terram iniuste occupatam non restituit, sed insuper Visliciense oppidum cum tribus castris ad terram Sandomiriensem pertinentibus, quae de [4]) ditione Lestkonis et Cunradi erant, occupat; pro quorum restitutione interpellatus respondet: illa iuris sui esse et iuste occupasse, et non ad Sandomiriensem, sed ad Cracoviensem provinciam spectare debere. Sed neque tulisset caeteras Sandomiriensis terrae urbes et munitiones sub ditione nepotum esse, nisi [5]) illum magno animo de reintegratione universae Monarchiae cogitationibus distentum, mors insperata absumpsisset [6]). Prius enim quam cogitata perficere coepisset, a morte praeventus, in ecclesia collegiata Sancti Pauli in Kalisch, cuius ipse fundator erat primarius, in sepulchro filii sui Myeczslai sepelitur. Oppido autem Calissiensi de veteri loco, in quo tunc consistebat, in novum locum, in quo nunc situm est, translato, etiam ecclesia collegiata Sancti Pauli in ecclesiam Sanctae Mariae collegiatam translata et transmutata est, et fabrica ecclesiae Sancti Pauli labefactata et defluente, ducale sepulchrum sub divo relictum monstratur potius ab accolis [7]), quam scitur. Reliquit autem Myeczslaus Senex duos filios, Wladislaum natu maiorem et Ottonem; alii enim, antequam ad debitam aetatem pervenirent, diem obierunt. Et Otto quidem paucis annis post supervivens moritur, filium unum Wladislaum impuberem, qui Plwacz vocatus est, derelinquens, propter quod Wladislaus frater suus, qui magnus et Lyaskonogi vocatus, nepotis tutelam agens, universum Principatum gubernabat.

Expulsionem suam Rurik Roscislawicz a Kyoviensi Ducatu acerbe ferens, Polowczonum, ad quos confugerat, nactus in notabili numero suffragia, habens etiam in suo comitatu filios Olh [8]), venit contra Kyow, et nemine adversus illum stare, aut castrum Kyoviense defendere auso [9]), castrum Kyoviense Secunda Ianuarii capit; barbarorum autem Polowczonum multitudo et feritas civitatem multifaria clade, crudelitate et spoliis affligens, in omnes

---

[1]) eius *Cod. Rozr.* [2]) Cracoviensis favore *Cod. Rozr.* [3]) non modo *Ed. Dobr.* [4]) in *Cod. Rozr.* [5]) sed *Cod. Aut.* [6]) absumpsit. *Cod. Aut.* [7]) incolis *Ed. Dobr.* [8]) Olech *Ed. Dobr.* [9]) audente *Ed. Dobr.*

etiam ecclesias, monasteria et aedes Deo dicatas, ministrosque eius desaevit, spoliando metropolitanam ecclesiam Sanctae Sophiae et omnes alias. Universis autem senibus et infirmis partim trucidatis, partim caecatis, sacerdotes, monachos, monachas et omnes Kyovienses Boyaros, cives et plebem communem, cum uxoribus, parvulis et lactantibus, in captivitatem et regionem suam deduxit. Captivati et [1]) sub eodem tempore fuerunt, Msczislaus Wlodimirzowicz, item Roscislaus Dux et militia eius [2]) per Polowczos. Quibus malis patratis, Rurik in sede Kyoviensi vasta [3]) tamen et pene deserta consedit.

ANNUS DOMINI 1203.

Conventione habita de Monarcha eligendo, omnes in Lestkonem consentiunt, modo prius relegetur Goworicius palatinus Sandomiriensis: quod cum facere Lestko negligit, ipse palatinus se paratum offert ad exilium; cuius virtutem complexus Lestko, cum ea conditione renuit Principatum.

Ad substituendum in Cracoviensem Principatum ex Myeczslai Senis morte vacantem, alium Principem Fulco episcopus et Nicolaus palatinus Cracovienses generalem conventum comitiorum gratia apud Cracoviam instituunt. Quo cum militarium frequens numerus convenisset, singuli ad Lestkonem Album, tum ob paterna merita, tum ne Principatus Cracoviensis sequestrationem a Sandomiriensi acciperet, tum ob indolem Principis coeperunt habere respectum; nec inter Principes Poloniae alius aeque utilis videbatur. Adversabatur huic voto Nicolaus palatinus Cracoviensis et indignum censebat parere Principi, cuius singulae actiones ex levitate feminea (notabat autem Helenam Ducissam Kazimiri relictam et matrem Lestkonis) dependerent, cuius bile indignabatur se superiori anno fuisse proscriptum. Parva tamen haec causa et meliori ordine rescindenda putabatur: alia multo acerbior extabat. Nicolaus enim palatinus Cracoviensis et Goworicius palatinus Sandomiriensis in tam testatas et vulgatas inimicitias devenerant, ut unus alterius nedum fortunis, sed et capiti insidiaretur. Superiori quoque tempore Goworicius Sandomiriensis palatinus potentiam Nicolai palatini Cracoviensis non ferens, in Bohemiam exulatum abierat; de qua a Lestkone Albo, postquam Myeczslaus Monarchiam et Principatum Cracoviensem occupasset, revocatus, in primo honoris gradu apud Lestkonem et Sandomirienses proceres habebatur. In huius itaque odium Nicolaus palatinus Cracoviensis, Lestkonis magnopere abnuebat Principatum, difficileque erat, illo dissentiente, in favorem Lestkonis aliquod concedere de-

---

[1]) Captivi etiam *Ed. Dobr.* [2]) cum militia sua *Ed. Dobr.* [3]) vastata *Ed. Dobr.*

cretum, cum et sui et Fulconis episcopi respectu, caeteri Cracoviensium proceres ex eorum sententia penderent. Longo itaque tractatu habito, etsi omnium vota pro Lestkone Albo inclinarent, non aliter tamen eum [1]) pro Principe suscipere placuit, nisi ut Goworicium palatinum Sandomiriensem a se prorsus releget et abdicet: cum ex duorum mutua et infesta collisione neque Rempublicam legitime posse dirigi, neque consilia tute tractari, neque fidei et subiectioni locum esse. In hunc morem dum Lestko Albus Cracoviensium legatos accepisset, diu cum suis, quid ageret, perplexus mansit. Et optabile quidem erat, Cracoviensem Principatum ultro delatum suscipere, et execrandis schismatibus et bellis propterea orituris seminarium auferre; nemini tamen satis placebat, virum innocentem absque demerito exiliationis poena, quam de illo Nicolaus palatinus Cracoviensis petebat, mulctari, et in assecutionem [2]) Cracoviensis Principatus bene meritum consiliarium proscribi. Dum autem in huiuscemodi ambiguitate Lestko Albus et sui consiliarii versarentur, nec quale responsum Cracoviensium legatis ederent, invenirent, Goworicius palatinus Sandomiriensis difficultatis praefatae [3]) nodum soluturus, ita disseruit: Indignum, inquit, clarissime Princeps, reor, ut propter me unum cras forsitan aut hodie a vita excessurum, publica deseratur utilitas, et ob meae salutis unius respectum salus infinitorum negligatur, tu quoque a Cracoviensis Principatus, cuius tibi divina et humana [4]) debetur iusta successio, excidas [5]) portione: cum in omnibus humanis actionibus publica optimum sit, privatis anteferri. De me quidem exiguam et nullam, dummodo Cracoviensem Principatum assequaris, habendam fore rationem, et omnem moram exortae propter me difficultatis censeo rescindi. Nunquam enim in iusta acie horrendum est fideli servo et militi pro Principe et domino suo honestam mortem oppetere: quanto magis et mihi gloriosum erit, pro tui Principatus diffundenda amplitudine ad iniustum exilium ire, felicem me et genus meum ratus, si quid indignum pro te et pro Republica, cui soli vitam debeo, pertulero. Plus virtuose loquendo profecit, quam si arroganter se gessisset: tam modesta enim et humili sermonis supellectili omnes movit, ut potius de sua salute servanda, quam de assequendo Cracoviensi Principatu cogitarent. Lestko quoque Albus Dux legatis Cracoviensium in consilium introductis, ita respondit: Etsi vestram, caeterorumque Cracoviensium procerum erga me fidem gratam commendatamque habeam, qua me in Cracoviensem Principatum elegistis, in quem et ipsum quoque iure naturali et divino mihi competebat successurum [6]): non sum tamen terrenorum Principatuum adeo avidus, ut pro illis consequendis tyrannum me potius, quam legitimum Ducem geram [7]), et

[1]) eum *deest in Cod. Aut.* [2]) assecutionis *Cod. Rozr.* [3]) praedictae *Cod. Rozr.* [4]) humana lege *Ed. Dobr.* [5]) excedas *Ed. Dobr.* [6]) successio *Cod. Rozr.* [7]) exerceam *Cod. Rozr.*

Goworicium palatinum Sandomiriensem, militem probatae erga me fidei, pro sola Nicolai palatini Cracoviensis voluntate et beneplacito a me relegem, et virum innoxium contra fas iusque exulare compellam, et carnificina erga illum potius, quam ducali usus autoritate, improbo commercio caliginem mihi et nomini meo obfundenti [1]), Cracoviensem nanciscar Principatum. Aliis itaque Cracoviensium proceres [2]), eam quam attulistis, legem dicant [3]); me enim ita instructum norint, ut malim prius honeste mori, quam innoxios iuxta atque scelestos plus iusto punire. Murmure deinde, postquam Dux Lestko finem dicendi fecisset, a consiliariis Lestkonis exorto, vexabatur nonnullorum probris palatinus Cracoviensis Nicolaus, quod et superbius se, quam conditioni suae conveniret, gereret, et splenderet [4]) aliena invidia et incommodo laboraret, immoderataque eum cupiisse ac petiisse parum honesta astruebant [5]), solusque contenderet repudiatum iri, quae caeteri probabant, et contra omnium decreta, suam valere sententiam.

Celebrato iterum de electione conventu, Wladislaus filius Myeczslai Senis de consensu Lestkonis Albi in Monarcham Poloniae eligitur, seque optimum in primordio Dominii gessit Principem.

Cracoviensium proceres de voluntate Lestkonis Albi per legatos suos certificati, quid facto opus sit, altero apud Cracoviam conventu indicto, consultant. Et quamvis omnes conditionem improbam de exiliando Goworicio palatino Sandomiriensi tolli et Lestkonem in Principem assumi frequentibus sententiis decernerent: Nicolao tamen palatino Cracoviensi in adversum cum Fulcone episcopo germano suo et caeteris suae cognationis fratribus nitente, universus Senatus, qui in bubali morem ab eo quocunque vellet trahebatur, sententiae suae assensus, Wladislaum Ducem Posnaniensem, filium Myeczslai Senis nuper defuncti, eligit in Ducem. Novi quoque ad illum transmittuntur nuntii, exhortaturi illum, ut Cracoviam quam celerrime adveniat, geminato iure, et successionis videlicet haereditario et paterno, et electionis conformis nuper de eo a militaribus factae, Cracoviensem Principatum possessurus. Wladislaus autem Myeczslawicz Posnaniensis Dux, sciens Cracovienses proceres priorem electionem de Albo Lestkone Sandomiriensi Duce fecisse, petitioni Cracoviensium legatorum consentire cunctabatur, bellorum dissidia, quae quondam inter patrem suum Myeczslaum Senem et patruum Kazimirum viguerant, execratus. Verum legatis [6]) id refellentibus, et refutasse Lestkonem Album

[1]) obfundens *Ed. Dobr.* [2]) Cracoviensibus proceribus *Ed. Lips.* [3]) legationem dicatis *Ed. Dobr.* [4]) splendore *Ed. Dobr.* [5]) asserebant quod *Ed. Dobr.* [6]) Cracoviensibus legatis *Ed. Dobr.*

electionem de se factam astruentibus, Wladislaus Myeczslawicz expressam voluntatem Lestkonis Albi, ne se et patriam civili bello involveret, sciturus, nuntios transmittit, per quos et legationem Cracoviensium baronum ad se factam insinuat, et an factum electionis de eo [1]) ad Cracoviensem Principatum prosequine, an refutare [2]) velit, diligentius explorat, offerens se pro debito fraterno, quamvis et se iuxta [3]) illum tam electionis quam paternae haereditatis respectu contingat in praefato Cracoviensi Principatu successio, iuri et voluntati suae non adversaturum. His Lestko Albus, consilio habito, contra omnium consiliariorum vota respondet: electionem ad Cracoviensem Ducatum de se factam, dudum propter conditionem de exiliando Goworicio palatino Sandomiriensi appositam refutasse; nunc quoque, nisi eadem purgetur conditio, eiusdem voluntatis atque tenoris esse, nec posse adduci, ut cum palatini sui dedecore et iniuria, sui fasces augeat Principatus. Ageret proinde, quod pro se et Republica [4]) profuturum aestimaret [5]), neque se, neque fratrem suum Cunradum, eius ad Cracoviensem Principatum ascensum impediturum. Haec responsio a Lestkone Albo iuvenili potius ardore, quam maturo consilio facta, pluribus ecclesiasticis et saecularibus illam magnopere execrantibus, gemitus et lachrimas excussit, dolentibus et vociferantibus, prosapiam Kazimiri Ducis optimi a iusta Monarchiae successione excludi. Wladislaus itaque Myeczslawicz de voluntate Lestkonis Albi Sandomiriensis Ducis certior factus, etiam Ducis Opoliensis et Rathiboriensis et Henrici Wratislaviensis sibi animos conciliat, quorum etsi non magnopere sciebat sibi prodesse favorem, volebat tamen, ut vir prudens et industrius, tollere invidiam. Quibus omnibus perfectis, Wladislaus Myeczslawicz in Cracoviam ascendit, et ab universis proceribus exceptus, omnium concordi favore et consensu Monarcha factus, Cracoviensem accepit Principatum: in quo se mira benignitate omnibus gratiosum gessit, praebens quibuscunque ad se faciles aditus, causas iusto decidens examine, iniurias ab infirmioribus propulsans, et singulorum iustis et honestis petitionibus condescendens. Universa, quae habere poterat, in milites munifica liberalitate effundebat, formam et fortitudinem nactus a natura egregiam; formae tamen ipsi crurum obstabat alta tenuitas, ob quam et ipse Lyaskonogi [6]) appellationem fuerat [7]) sortitus.

---

[1]) et an Lestko factam de se electionem *Cod. Rozr.* [2]) vel relinquere *Cod. Rozr.* [3]) iuxta atque *Cod. Rozr.* [4]) quod sibi et Reipublicae *Cod. Rozr.* [5]) existimaret *Cod. Rozr.* [6]) Laskonogi *Cod. Rozr.* [7]) est *Ed. Dobr.*

Fundatio monasterii Trzebniczensis per Henricum Ducem Wratislaviensem et Hedvigim Ducissam.

Henricus Dux Wratislaviensis et Slesiae, frequentibus suae consortis Ducissae Hedvigis, feminae devotissimae et religiosae, precibus, consiliis, persuasionibus permotus, in Ducatu suo et loco, qui nunc appellatur Trebnicz [1]), tribus milliaribus a Wratislaviensi civitate distante, fundat monasterium sanctimonialium ordinis Cisterciensis, sub honore et titulo Sancti Bartholomaei Apostoli. Pro dote autem monasterii oppidum Trzebniczense, item villas Lipniczam, Comescham, Breytnow [2]), Kothlowicze [3]), Tuczmandorff et Hartlipdorff, Sudilno [4]), Iaworek [5]), Strankawa [6]) et Kozotmicze [7]), et plures alias villas, census et introitus, qui pro mille personis sufficerent, donatione perpetua contulit et donavit, Ducissa beata Hedvigi abdicante se iuri dotalicii, quod in bonis monasterio largitis habebat inscriptum. A fundamentis autem tam ecclesiam beati Bartholomaei, quam monasterium et eius officinas initians, muro pulcherrimo et sumptuoso infra annos quindecim consummavit, et anno Millesimo ducentesimo decimo nono ecclesiae ipsius perfecit dedicationem. Compertum autem est facto calculo, sumptus ecclesiae et monasterii ad triginta millia marcarum Polonicalium ascendisse. Sub omnibus autem quindecim annis, quibus opus praedictum perficiebatur, Ducissa beata Hedvigis nullum maleficum quantocunque scelere inquinatum, sive per Henricum Ducem, sive eius officiales et iudices ad capitis damnatum sententiam [8]) permisit notari, sed quemlibet monasterii applicabat Trzebnicensis laboribus, ut secundum culpae demeritum duriori vel faciliori labore, diuturno vel breviori tempore patratum facinus expiaret. Ex monasterio autem Bambergensi moniales ad suscipiendum locum illum novum accitae, primum praefatum monasterium incolere coeperunt, primaque loci illius abbatissa fuit virgo Petrussa Almana, secunda Gertrudis Henrici Ducis et beatae Hedvigis filia, et tam in primitiis, quam post, centum moniales in monasterio ipso pro uno tempore, dote monasterii abundante, immorari et degere consueverant. Idcirco autem locus praefatus pro fundando monasterio praedicto acceptus est, licet se alii maiori commoditate subnixi [9]) offerrent, quod Henricus Dux venationibus operam dans, in eum ipsum locum tunc quidem paludinosum, cum equo incidens, non se aliter periculum imminens evitaturum existimaret, cum lapso et limosa congerie involuto [10]) et [11]) amplius, nisi invocasset auxilium

[1]) Trzebnica *Ed. Dobr.* [2]) Breinow *Ed. Dobr.* [3]) Cotthowicze *Cod. Calv.* [4]) Sudlino *Ed. Dobr.* [5]) Iawor *Ed. Dobr.* [6]) Skrankowa *Ed. Dobr.* [7]) Kozothnicze *Cod. Rosr.* Rozotnice *Ed. Dobr.* [8]) capitis damnati sententia *Ed. Dobr.* [9]) subnoxii *Ed. Dobr.* [10]) involutus *Ed. Dobr.* [11]) ut *Ed. Dobr.*

ex Alto, involvendo, familiaribus comitibusque per alia loca saltusque discurrentibus, ferret opem nemo, nisi se voto astrinxisset, monasterium sanctimonialium illic quamprimum fundaturum. Verum ut est conditio hominum, in periculorum articulo multa arduaque polliceri, et promissorum [1]) facile, voto consecuto, oblivisci: Henricus Dux ab imminenti voraginis exitio, cum qua diutius luctatus fuerat, sola ope divina liberatus, quod solenniter voverat, coepit negligere, voti sui cunctatorem se aliquanto tempore exhibens magis quam impletorem. Femina autem beata consors sua Hedvigis, et votum huiuscemodi virum suum Ducem Henricum sub praefata necessitate emisisse, et in eam diem neglexisse per Spiritum intelligens, non prius illum salubribus tum precibus tum monitis ad reddendum votum, quod emiserat, et cuius emissionem, quod absque arbitris facta erat [2]), tam Ducissam suam Hedvigim, quam quoslibet alios celatum iri crediderat, conducere [3]) destitit, donec sponsionem suam pleno operi mandavit. Cuius quidem monasterii tam aedificatione, quam dotatione perfecta, cum Dux illustris a Petrussa abbatissa et sanctimonialibus quaereret, si qua re adhuc ipsa [4]) vel monasterium ipsarum [5]) indigerent, offerens se cuilibet indigentiae ducali munificentia provisurum, et responso accepto, dotalia sibi et monasterio ab eo praestita munera plena atque sufficientia fore, neque monasterium ampliori provisione indigere, a [6]) responsionis eventu loco nomen indidit et ipsum Trzebanyczsz [7]), quod in vulgari Polonico sonat Nullius egens, appellavit.

Ogerio episcopo Wladislaviensi succedit Bartha.

Lustro uno in pontificatu Wladislaviensi Ogerius [8]) exacto, moritur et in Wladislaviensi ecclesia sepelitur. Cui Bartha Italus, auditor Palatii, ab Innocentio Papa tertio provisus succedit.

ANNUS DOMINI 1204.

Romanus Haliczieneis Dux Lestkoni Albo tributa negat et hostem se declarat, ac terras eius invadit: quem aliquoties Lestko excursiones facientem profligat.

Levis et parva Lestkoni Albo Cracoviensis Principatus (in quam omni-

---

[1]) promissionum *Cod. Rozr.* [2]) esset *Cod. Rozr.* [3]) adducere *Ed. Dobr.* [4]) ipse *Cod. Aut.* [5]) ipsorum *Cod. Aut.* [6]) ex *Ed. Dobr.* [7]) Trzeba nic *Ed. Dobr.* [8]) Ogiorius episcopus *Ed. Dobr.*

bus primoribus [1]) consiliariis adversantibus prorupit, temere magis quam consulto) renunciatio et cessio primum videbatur, quae processu temporis non solum illius famam et amplitudinem diminuit, sed etiam hostium et invidorum cervices contra illum suscitavit et erexit. Romanus namque Wladimiriensis Dux, qui ex concessione et munificentia Lestkonis etiam Haliczienseım adeptus erat Principatum, cognoscens illum a Monarchia et Principatu Cracoviensi excidisse et tantummodo ad Sandomiriensem, Lublinensem, Masoviensem et Cuiaviensem Ducatus redactum esse, contemptui illum, tum propter diminutam potentiam, tum propter lasciviam [2]) et nondum ad virilem aetatem pertingentem et cuiuslibet [3]) iniuriae opportunam, habere coepit. In rebellionem quoque versus, pensa hactenus denegat tributa, et se non vasallum, neque subiectum, sed hostem infestum Lestkoni et suis Ducatibus declarat: nam et negotiantes in terris suis Polonos singulis fortunis despoliat, et commercia illis cum subditis suis de caetero interdicit. Ad haec et terras Sandomiriensem et Lublinensem, suis finitimas, primum clandestinis, mox etiam publicis excursionibus invadit et vexat, in pleris quoque locis praesidia locat, et milites in frequenti numero illis imponit, terras Lestkonis vastaturus. Tulit aliquanto tempore Lestko Dux atroces huiusmodi iniurias, et missis ad Romanum nuntiis, redire ad bonam mentem monebat, existimans se illius temeritatem benevolentia magis quam hostilitate reciproca sanaturum. Verum dum Romanus ex verbis et legationibus Lestkonis inflatus magis quam correctus, nihil pacificum responderet, repressalibus Lestko uti coepit, et vicissitudinariis ordinatis praesidiis, Ruthenos temere progressos et ad spolia effusos, aliquot certaminibus secundis [4]) stravit, eorumque insolentiam brevi compescuit.

Moravorum Princeps Dipoldus, Przemislao Bohemorum Regi et Bohemis infestus, Bohemiam hostiliter ingreditur, et pluribus spoliis, incendiis et damnis in ea commissis, adeo in illam propter Przemislai Regis absentiam, qui tunc in expeditione Almanica [5]) constitutus Philippum contra Ottonem pro Imperio diffidentem adiuvabat, grassatus est, ut etiam Pragam gravi et diuturna obsidione stringeret: quam Przemislaus Rex ex Almannia reversus dissolvit, Dipoldo [6]) cum suis detractante [7]) certamen.

---

[1]) primariis *Ed. Dobr.* [2]) lascivam *Cod. Rozr.* [3]) cuilibet *Cod. Rozr.* [4]) prosperis *Ed. Dobr.* [5]) in Almania *Ed. Lips.* [6]) Deypoldo *Cod. Aut.* [7]) detestante *Ed. Dobr.*

ANNUS DOMINI 1205.

Romanus Dux Wladimiriensis cum validissimo totius Russiae exercitu usque ad Zawichost pervenit: ubi per Duces Lestkonem et Cunradum funditus profligatur et interficitur cum magno Polonorum triumpho.

Excursionibus privatis et levibus Romanus Mscislawicz Wladimiriensis et Haliczienis Dux, Kazimiri olim Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis germanus nepos ex sorore, quibus hactenus Polonorum oras vexaverat, non contentus, in id temeritatis [1]) grassatus est, ut Lestkoni et Cunrado Principibus et dominis suis, quibus fidem et subiectionem iureiurando se servaturum obligaverat, generale bellum inferre et Principatus eorum non horreret invadere. Animum siquidem Romani magnum suapte et ferocem, opes immensae tyrannide quaesitae, Russia fere universa subacta, equestres et terrestres [2]) copiae ex ipsa Russia coactae, Polonorum imperium lacerum [3]) et distractum et in plures scissum Principatus, procerum Regni schismata et discordiae, Ducum quoque ipsorum Lestkonis et Cunradi semiplena aetas, ad inferendum bellum magnopere accendebant. Accessit et durior responsio legationi suae per Lestkonem et Cunradum facta. Dum enim peteret et moneret pro damnis et impensis circa dimicationem in Suchdol [4]) contra Myeczslaum Senem factam sibi satisfactionem impendi, et omnem oram terrae Lublinensis in perpetuam possessionem sibi tradi, resignari et inscribi, responsum est: Nihil illum velut profugum et desertorem meruisse. Quo responso factus iratior, Poloniam magnis copiis invasit. Prius tamen quam exercitibus et copiis in unum congestis Russiae fines excederet, mittit Romanus Mscislawicz Dux ad sui schismatici ritus Wladimiriensem episcopum nuntios speciales cum donis, rogans, ut sibi in Polonicam expeditionem processuro et triennio Polonos vastaturo, quo felicius bellum tractet et de hostibus trophaea referat, pontificali autoritate benedicat. At Wladimiriensis episcopus missa munera dedignatus, nuntiis etiam benedictionem instantius flagitantibus respondet: Non se Romano Duci impia bella aggredienti, et Polonis non tam iniustum quam execrabile bellum inferenti (cum saepenumero Poloni pro Ruthenis contra barbaras nationes pugnantes capita sua morti et periculis obiicere consueverint) benedicturum. Super qua responsione Dux Romanus nimio exagitatus furore, episcopo Wladimiriensi remandat: se eam contumeliam capitis truncatione pontificalis,

---

[1]) in eam temeritatem *Ed. Dobr.* [2]) pedestres *Cod. Roęr.* [3]) laceratum *Cod. Roęr.* [4]) Suchodol *Cod. Roęr.*

cum ex Polonico bello redierit, ulturum. Sed eius minas episcopus Wladimiriensis negligens reintimat: frustra se terroribus exagitari, quoniam et mors sibi pro veritate nunquam pavida fuerit, et Romanus, an ex nefario bello rediturus sit, ignoret. Magnitudo fidei etiam in schismatico [1]) episcopo admiranda! Maximis itaque et frequentibus copiis ex equestri et pedestri milite coadunatis, primo aestatis tempore Romanus Ruthenorum Dux in terras Polonorum descendens, Lublinensem regionem sibi finitimam primum invasit, castrumque Lublinense, quod per praesidium Polonorum militum tenebatur, obsidione cinxit, et pro eius conquisitione plures conatus et studia, Polonis arcem probe defendentibus, integro mense intendere non destitit; matronas, uxores et filias militum captivas, in quadam indagine, ut pecora, praecepit detineri et a suis Ruthenis permisit impudice tractari. Interim autem Lestkonis et Cunradi Ducum iussione ex Sandomiriensi, Masoviensi et Cuiaviensi provinciis grandis confluxerat versus Sandomiriam exercitus, non solum ex militaribus, sed etiam ex agrestibus collectus, quem etiam aliqui voluntarii milites ex Cracoviensi Ducatu coauxerant. Romanus ab exploratoribus certior factus, Lestkonem et Cunradum exercitibus collectis, in armis esse, obsidione Lublinensi soluta, quam sibi minus prospere videbat provenisse, in ulteriores Polonorum regiones, singula rapinis et flammis consumendo, procedit, minaturque se non solum Poloniae Regnum vastaturum, sed et Paginam Divinam Latinorum exterminaturum. Mittitur [2]) itaque Fulco Cracoviensis episcopus cum Vito Plocensi episcopo et [3]) cum aliquibus baronibus ad furiam eius mitigandam et pacem tractandam, offerendo satisfactionis aequitatem, si Poloni in aliquo foedera societatis temerassent. At ille dolos in pectore versans, pacem pollicitans et nuntios circumventos remittens, in ulteriora grassari coepit. Quosdam quoque clericos captivos ictibus sagittarum iussit obrui, ut eliceret ab eis fidelem relationem, ubinam Lestko cum exercitu latitaret. Ad fluvium quoque Wislam perveniens, partim illum navibus et lembis, partim vadis in aliquot locis repertis, siccitate aestatis aquis illius diminutis, superat et ad oppidum Zawichost stativa ponit. Illic eum consistentem frequentes sui exploratores de Polonorum adventu avisant. Quorum cum irrideret relationes, milites, quos pro excubiis tenendis transmiserat, exploratorum sententiam confirmant; sed cum his quoque Romanus discrederet [4]) et Polonos nequaquam secum pugnaturos asseveraret [5]): decima nona Iunii mensis, Sanctorum Gervasii et Protasii martyrio dicata die, sole oriente, Lestko et Cunradus Duces cum Polonorum exercitibus, quorum Cristinus palatinus Masoviae erat ductor, adveniunt et ordinatas acies decernere [6]) parati ostendunt. Ro-

[1]) catolico *Cod. Aut.* [2]) Mittuntur *Cod. Lig.* [3]) et *deest in Cod. Aut.* [4]) diffideret *Ed. Dobr.* [5]) crederet *Ed. Dobr.* [6]) decertare *Ed. Dobr.*

manus ex fastuoso trepidus factus, vix primas acies, urgentibus et infestantibus illum Polonorum sagittariis explicare in arto [1]) spatio permissus, copias et ipse suas tumultuario magis, quam legitimo more educit et signis collatis dimicat. Ingenti clamore ab utroque exercitu sublato, infestis lanceis concursum est, et aequo primum Marte praelium gerebatur: Polonos indignatio quaedam [2]) iusta, quod vasallus eorum nulla offensa laesus, ipsis bellum ultro inferret, Ruthenos libertatis memoria et Dux ipse adhortans unumquemque ad sustinendum certamen, accendebat. Polonorum Duces Lestko et Cunradus, etsi in exercitu praesentes affuissent, pugnae tamen propter aetatem interesse prohibiti, paululum a certaminis loco declinantes, exitum rei inter spem et metum anxii praestolabantur, in loca tuta cum custodibus suis, si hostibus cessisset victoria, diversuri. Interim fervente pugna, primis Ruthenorum ordinibus per Polonos contritis et prostratis, Polonorum res meliori, Ruthenorum deteriori loco esse coepit. Abundante tamen multitudine, et Romano integros pro cadentibus aut vulneratis subducente, providentia et solicitudine Ducis Romani praelium in pluribus locis inclinatum restituitur. Poloni non Ruthenis, sed Duci Romano, velut proditori fidefrago et transfugae irati, ad illius occisionem ardentissime conspirant, et globo facto, Romanum inter primos pugnantem et ex insignibus cognitum adorti invadunt. Romano Duci gravissima cuncta obversabantur [3]) oculis, manus universa militum, quae circa illum conglobata, illum hactenus egregie defenderat, a Polonis deleta, strenui ac fortissimi quique propugnatores ante Ducis sui ora caesi, mutuoque cadentes fugam et Ducis Romani et caeterorum suorum Ruthenorum inhibebant. Inter haec Romanus Dux ultimi periculi videns sibi imminere discrimen, iam enim et equus cui insidebat, telis frequentibus confossus excutere illum satagebat, per medias acies prorumpens, ad fluvium Vistulam pervenit, ubi equus corruens illum deseruit. Hinc vero maius obortum periculum, quonam modo manus est illaese [4]) evasurus, et fluvium traiiceret. Tandem effoetam (ut fertur) equam a suis sibi administratam ascendens, fluvium aegre superavit, iumento quoque illi, quo adiutore fluvium tranarat [5]), non secus quam parenti suo, pro sua salute gratias egit. Mixtus deinde fugientium suorum turbae, inter permiscuum vulgus a Polonis fugientes insequentibus et gregarium militem illis [6]) existimantibus, obtruncatus est. Dum insuper milites et gentes Romani Ducis, qui periculum mortis fugiendo et tranando Wislam evaserant, in ripa altera Wislae conglobati et densi, aliorum suorum commilitonum prospectando effugium starent, humus ripae

[1]) arcto *Ed. Dobr.* [2]) quidem *Ed. Dobr.* [3]) observante *Ed. Dobr.* [4]) manus Polonorum esset *Cod. Rozr.* manus illorum esset *Ed. Dobr.* [5]) traiecerat *Ed. Dobr.* [6]) illum *Cod. Rozr.*

ab ungulis equorum et gravitate in ea stantium molem [1]) sustinere non valens, disrupta, dehiscens, radicitus suffosa, corruens, plures hostium cuneos absorbuit in Wislam [2]) praecipitatos. Gloria autem totius triumphi tunc ex Ruthenis relati, in Cristinum Comitem palatinum Plocensem absque controversia conferebatur, qui et princeps militiae erat, et suo astu et industria pugnam confecerat. Rutheni visa, cum dudum in fugam, nisi Romanus obstitisset, spectassent, terga vertunt et in flumen [3]) Wislam, a quo haud longe pugnatum est, prout quemque sors ferebat, coeci et desperati prosiliunt [4]), et in gurgites undarum prolapsi catervatim [5]) vir virum premens, suffocabantur. Plerique etiam ripa Wislae [6]), ad quam natando fugiebant, ab ungulis equorum contrita, cadente, absorpti sunt; pauci quos aut nandi [7]) ars, aut equorum fortium robur adiuverat, tranarunt, et hi quoque maiori ex parte a militibus Polonorum eos usque Wladimiriam nocte et interdiu prosequentibus, nonnulli ab agrestibus, vel dum errarent in silvis, vel hospitarentur in villagiis, trucidati vel capti sunt, et de Romani illo potentissimo frequentissimoque exercitu pauci admodum evasisse comperti [8]) erant, qui suis tam ingentem cladem nuntiarent. Ad ripas Wislae cadaverum complicabantur acervi; illic enim cunctantibus Ruthenis vorticibus undarum se credere [9]), caedes aliquanto maior, quam pro numero edita est, adeo, ut fluvius Wisla cruore humano tinctus, aliquandiu rubrum fluorem [10]) cum nativo commiscens, caedis magnitudinem intuentibus testaretur. Multos denique imperitos nandi, qui graves erant armatura aut senio, hausere gurgites. Castris et spoliis Ruthenorum Poloni potiti, ex opulentissima supellectili illic reperta, vasis quoque auro et argento [11]) caelatis, vestibus, equis, armis, admodum ditati et magnificati sunt; victoria quoque ipsa tam sonora et famosa fuit, ut vicinarum gentium et nationum crebris celebraretur sermonibus: Poloni, quibus provenerat, quos quoque fama divitiis et honore extulerat, variis illam et seriem eius prosequebantur carminibus, quae etiam in hanc diem canora voce in theatris audimus promulgari. Cadaver Romani Ducis, quod iam Sandomiriae iussu Lestkonis Ducis sepultum erat, exhumatum, per Ruthenorum proceres, omnibus, quos ceperant ex Polonis, restitutis in libertatem captivis, in [12]) mille marcis argenti ad sepulturam a Lestkone Polonorum Duce redemptum et in Wladimiriam delatum est. Lestko et Cunradus Polonorum Duces propitiationi divinae et suffragiis Sanctorum, eorum praecipue, in quorum die pugnaverant, omnem adscribentes victoriam, altare in Cracoviensi ecclesia Sanctis Gervasio et Protasio erigunt et largissimis proventibus illud

[1]) morem *Cod. Aut.* [2]) Vistulam *Ed. Dobr.* [3]) fluvium *Cod. Rozr.* [4]) desiliunt *Cod. Rozr.* [5]) certatim *Ed. Dobr.* [6]) Vislae, ut praemissum est *Cod. Rozr.* [7]) natandi *Cod. Rozr.* [8]) reperti *Ed. Dobr.* [9]) condere *Cod. Rozr.* [10]) colorem *Ed. Dobr.* [11]) aureis et argenteis *Cod. Rozr.* [12]) et *Ed. Dobr.*

dotant: quibus processu temporis adeo castratum esse constat, ut non nisi in Legatorum platea lapidea, et haec ipsa deserta et ex stillicidio ruinata, et locus in postico domorum canonicalium, ex tam amplissima dote remanserit. Caedes Romani Ducis et suorum exercituum adeo Ruthenorum proceres, nationesque attriverat atque humiliaverat, ut ultra non auderent [1]) Polonorum terras lacessere. Episcopus Wladimiriensis maximum ex illa apud suos Ruthenos [2]) praeconium consecutus fama et opinione, quasi futuri eventus praescius cladem Romano Duci praedixerit, celebris habebatur. Fertur Romanus nocte cladem praecedente per quietem somniasse, quod parvus avium rubra capita (quas Sczygelky appellamus) habentium [3]) numerus ab ea parte, qua Sandomiria sita est, adveniens, maximum passerum numerum devoravit. Id cum amicis in diluculo retulisset, licet plerique iuvenes felix auspicium pronuntiassent, senes tamen et prudentes astruxerunt somnium triste esse, et Polonis quidem felicem portendere successum, Ruthenis vero adversum et calamitosum.

Polowczos Duces Russiae affligunt.

Vastationem crudelem, quam in se, terrisque suis Russiae Duces a Polowczis pertulerant, dolentes in eam diem eis transiisse impunitam, expeditionem contra Polowczos concludunt et indicunt. Et opportuno tempore adveniente, vadunt Duces Russiae cum copiis suis ex equite et pedite collectis contra Polowczos, videlicet Rurik Kyoviensis, Iaroslaus Pereaslaviensis, magni Wszewoldi filius, Romanus Mscislawicz Haliczfew et Wladimiriensis, et Roscislaus Mscislawicz. Et invadentes tabernacula, quae ipsi magis proprio et usitato vocabulo turres, id est Wyesze [4]), appellant, magnos greges hominum utriusque sexus, senibus trucidatis, magnas praedas camelorum, pecorum et pecudum capiunt et in Russiam deducunt, plerosque [5]) vero Ruthenicae gentis captivos [6]); et praedis ac spoliis multifariis onusti, nullam ipsi adversitatem aut resistentiam passi, in Russiam alacres revertuntur: de quo apud Russiae regiones laetitia ingens [7]) coorta est. Et quoniam Rurik Kyoviensis Dux Polowczos ad vastandum Russiae terras conduxerat et omnium malorum, quae in terris Russiae patrata fuerant, auctor extiterat, a Romano Mscislawicz Haliczfew et Wladimiriensi Duce, caeteris rogantibus et probantibus, dum ex Polowczis redirent, captivatur; qui illum catenatum in Kyow dedu-

---

[1]) adderent *Cod. Aut.* [2]) Ruthenos clade *Cod. Rozr.* [3]) habentium *deest in Cod. Aut.* [4]) Wieże *Cod. Rozr.* Wiece *Ed. Lips.* [5]) plerique *Cod. Rozr.* [6]) captivi *Cod. Rozr.* [7]) immensa *Ed. Dobr.*

cens, tondit [1]) eum in monachum et uxorem eius in monacham, filias insuper eius liberas dimittens, filios ipsius Roscislaum et Wladimirum captivat et in Halicz deducit captivatos.

Lithuanorum nominis prima auditio.

Sub idem tempus [2]) Lithuani magna multitudine glomerati veniunt contra Russiam; contra quos Duces Olhowiczi [3]) exeuntes, cum illis campestraliter congrediuntur. Et licet multi ex Ruthenis cecidissent, Lithuani tamen ad ultimum conflicti sunt, et fere universis captis aut occisis, pauci effugiunt. Tum quoque primum Lithuanicae gentis nomen, quod in eum latebat diem, auditum: servi enim Ruthenorum existentes annis pluribus perizomata, suberes pendebant [4]).

Swanthoslaus Mscislawicz Dux intelligens Kyoviensem sedem vacuam Principe esse, faventibus Kyoviensibus arcem Kyoviensem ingreditur, caeteris id munus [5]) suscipere tunc metu Romani Mscislawicz Haliciensis Ducis non audentibus, in illa in Monarchae morem principaturus [6]). Quod cum Romano Mscislawicz Haliciensi Duci molestissimum foret, quippe qui Ruthenorum Monarcha reputari et summam rerum Ruthenicarum apud se consistere voluit, cum potentiis suis in Kyow adveniens, Swanthoslaum Mscislawicz [7]) ex Kyow cum ignominia exturbat et depellit, in sedeque Kyoviensi Roscislaum Rurikowicz, quem apud se tenebat captivum [8]), locat. Alterum quoque germanum suum Wlodimirum de captivitate dimittit, ut fama tam potentiae, quam clementiae suae magis sonora fieret, et aestimatio sui nominis augeretur, ut quoque expeditionem, quam in Polonos eo anno moturus erat, liberius transigeret.

Ordo Cruciferorum in Livonia instituitur.

Albertus tertius Livoniensis alias Rigensis episcopus, qui Bartholdo Livoniensi secundo episcopo a Livoniensibus prope Rigam interfecto successerat, ordinem Fratrum de militia Christi nuncupatum, qui gladium et desuper crucem in mantello insutum [9]) deferebant, apud Livoniam instituit pro defen-

---

[1]) totondit *Cod. Rozr.* [2]) Eodem tempore *Cod. Rozr.* [3]) Olechouici *Ed. Dobr.* *Ed. Dobr.* [4]) pendebant. *deest in Cod. Aut.* [5]) minus *Ed. Dobr.* [6]) in morem Monarchiae Principatum suscepit. *Ed. Dobr.* [7]) Miecslawic *Ed. Dobr.* [8]) captivatum *Cod. Rozr.* [9]) crucem mantelo insutam pro insignibus *Ed. Dobr.*

sione fidelium contra barbaros, et tertiam partem bonorum Rigensis ecclesiae illis in dotem assignavit. Quem Gregorius nonus ordini Teutonicorum univit, et ut in iurisdictione praelatorum Livoniae consisteret, constituit.

ANNUS DOMINI 1206.

Lestko Albus, mortuo Nicolao palatino Cracoviensi, in Monarcham eligitur, et misso in Russiam exercitu, Swanthoslaum Ducem Russiae cum aliis Ruthenis captum suspendi fecit.

Lestko Albus Dux Sandomiriensis, dum post relatam de Romano Ruthenorum Duce famosam victoriam et apud exteras et proprias nationes nominatus et celebris haberetur, Cracoviensibus tamen proceribus (qui pro solo Nicolai palatini Cracoviensis beneplacito naturali relicto, Wladislaum Myeczslawicz Maioris Poloniae [1]) Ducem pro domino et Monarcha assumere et Cracoviam illi tradere coacti erant) magis carus, magisque desideratus esse coepit, cum multis gradibus et virtutum morumque honestate clarior et felicitate factivitateque superior et [2]) ab his, quos pater suus Kazimirus multiplicibus beneficiis devinxerat, et [3]) novandarum rerum studiosis [4]) Wladislao Myeczslawicz Maioris Poloniae [5]) Duce putaretur. Et vivente quidem Nicolao palatino Cracoviensi studia procerum Cracoviensium erga Lestkonem Album conticescebant, omnibus autoritate et potentia palatini Nicolai a rerum novatione deterritis. Quamprimum vero anni huius tempore Nicolaus palatinus Cracoviensis, ex cuius beneplacito fere singulorum voluntas dependebat, morte absumptus est, illico sub Fulconis Cracoviensis episcopi praesentia, conventu apud Cracoviam celerius indicto, omnium Cracoviensium baronum et militarium votis et suffragiis Lestko Albus Sandomiriensis Dux, Monarcha et Princeps Polonorum decernitur, et omnes in eius assumptionem et in Wladislai Myeczslawicz [6]) deiectionem coniurant. Dux interea Wladislaus Myeczslawicz [7]) praesidendo [8]) Cracoviensi arci, regioni et urbi [9]), fatis absumitur et in ecclesia Maiori Cracoviensi iusto honore sepelitur. Dictus vero fuit Lyaskonogi [10]), eo quod erat longarum tibiarum, procerae staturae, pulcher aspectu, solo intuitu gratiam in se aspicientium merebatur, militia strenuus, in Teutonia a pue-

---

[1]) Rathiboriensem *Cod. Aut.*, *sed correctum deinceps:* Maioris Poloniae [2]) non solum *Cod. Rozr.* [3]) verum etiam ab his, qui *Cod. Rozr.* [4]) studiosi erant, dignus Principatu et Monarchia Cracoviensi iudicatus. *Cod. Rozr.* [5]) Rathiboriensi *Cod. Aut.* [6]) et in Rathiboriensis Mieczslawicz *Cod. Aut.* et in Wladislai Miecslawic Ducis *Ed. Dobr.* [7]) Wladislaus Meczschlaus Rathiboriensis *Cod. Aut.* [8]) praesidio *Ed. Dobr.* [9]) urbi imposito *Ed. Dobr.* [10]) Laskonogi *Ed. Dobr.*

ritia imo ab infantia nutritus et eruditus, in torneamentis exercitatus, moribus compositis cunctis praeeminebat, pauperum, oppressorum, viduarum, orphanorum sagacissimus auditor et protector. Cuius morte secuta et impedimento sublato [1]), missi extemplo Sandomiriam ad Lestkonem Album nuntii decretum de eo universali consensu factum publicant, simulque orant, ut solium paternum non cunctetur et accipere et conscendere, magis hactenus a Wladislao Myeczslawicz [2]) potentia Nicolai palatini Cracoviensis cum sui iniuria occupatum, quam aliquo iure legitimo possessum. Qui tam Cracoviensium precibus, quam suorum baronum Sandomiriensium consiliis pervictus, Cracoviam adveniens, ab universis ordinibus, statibusque mira fide, mira devotione et honore exceptus, Cracoviensem adipiscitur Principatum et Wladislaum Myeczslawicz [3]) Maioris Poloniae Ducem et capitaneos, praefectosque suos de illo effugat et exturbat, et omnes civitates munitas et castra, faventibus singulis eius imperio, in suam redigit potestatem. Wladislaus autem Myeczslawicz [4]), qui Lyaskonogi propter tibiarum longitudinem appellatus est, Maioris Poloniae Dux, ignominiam et iniuriam suam, cum esset vir modestus et pacificus, patienter ferens, in Posnaniam cum suis secessit, et Ducatu suo contentus, Cracoviensem Ducatum repetere non apposuit [5]). Mittit autem Lestko Albus Cracoviensis Dux Sandomiriensium et Lublinensium militum exercitum, praeficiens illis Sulislaum Sandomiriensem castellanum in ducem et capitaneum, ad vastandum Russiam: qui Swanthoslaum Russiae Ducem, patrem Agasiae, quae postea Cunrado Masoviae Duci nupta erat, cum quatuor militibus insignioribus Russiae captivat, et iussu Lestkonis miserabiliter suspensos in eculeo interimit; propter quod facinus reor Lestkonem ipsum etiam occisum fuisse et stirpem suam non protelasse.

Bohemorum et Moravorum exercitus superioribus vastationibus hinc inde habitis, animis [6]) irritatis et frementibus, campestri certamine congressi, dum mutua collisione plures milites amisissent, Moravis cedentibus [7]) et profligatis, Bohemi efficiuntur victores, licet et ipsis, multis militibus desideratis, non incruenta cesserit victoria.

Variis odiorum et dissensionum turbinibus Russiae Duces clandestine collisi, tandem in apertum furorem, diutius illum celare non valentes, pro-

---

[1]) *Totus ille locus, incipiendo a verbis:* Dux interea Wladislaus . . . *usque ad:* impedimento sublato, *quamquam in Cod. Aut. sub anno 1206 manu auctoris serius per errorem fortasse adscriptus, atque in Codd. Lig. Ciesz. in Edit. Dobr. et Lips. repetitus invenitur; omissus tamen est in Codd. Rozr. et Lis., nam et ipse auctor expost Ducem Wladislaum Mieczslawicz Laskonogi dictum, anno 1231 fatis cessisse meminit.* [2]) Myeszkowicz *Cod. Aut.* Myeslawycz *Cod. Calv.* [3]) Myeszkowicz *Cod. Aut.* [4]) Myeszkowicz *Cod. Aut.* [5]) non repetere statuit. *Ed. Dobr.* [6]) et animis *Ed. Dobr.* [7]) caesis *Ed. Dobr.*

deunt, et hostiliter convenientes, videlicet Georgius Wladimiriensis et Iaroslaus Pereaslaviensis ab una, item Wlodimirus, Constantinus et Msczislaus Duces Smolnenses et Nowohrodenses [1]), fratres germani, partibus ab altera, duodecima Aprilis die, mucrone in propria viscera verso, confligunt. Et multis mortalibus utrinque caesis, captis aut in undis submersis, cessit Constantino, Wlodimiro et Msczislao victoria: qui Georgium Wladimiriensem Ducem in Wladimiriam diffugientem secuti, Wladimiriensem arcem obsidione cingunt. Videns autem Georgius propter defectum militum se castrum tueri non posse, exiit ad victores Duces, petens pacem: et concessa est ei pax ea conditione, ut de castro excedat; quo excedente, datum est Constantino. Exercitum deinde victores Duces contra Iaroslaum in Pereaslaw post fugam se continentem ducunt, qui illico a victoribus pacem petivit; quam cum aequis conditionibus, et quod sibi Pereaslaw retinere liceret, impetrasset, plurima munera reconciliatis transmisit Ducibus. Caesa feruntur eo praelio Ruthenorum plusquam decem millia.

ANNUS DOMINI 1207.

Lestko cum fratre suo Cunrado partitur patrimonium.

Monarchia Polonorum et Cracoviensi Principatu ad Lestkonem Album Kazimiridem plene devolutis, Cunradus natu iunior [2]) portionem haereditatis paternae sibi sequestrari efflagitare coepit. Epheborum siquidem aetatem transgressus, iuris esse sui aestuabat: ad quod non solum naturali ferebatur affectione, sed insuper aliquorum procerum fortunam suam extolli ambientium instigabatur persuasione. Conventu itaque ob eam rem apud Sandomiriam, propter Ducissae Lestkonis et Cunradi matris [3]) praesentiam indicto, cum Fulco Cracoviensis, et Gethko Ploczensis episcopi, primique ex baronibus omnium Principatuum convenissent, variis tractatibus per plures dies habitis, divisio tandem Principatuum et terrarum inter Lestkonem et Cunradum germanum [4]) in hunc modum celebrata et sancita est: ut Lestko Albus velut Monarcha et natu maior, Cracoviensem, Sandomiriensem, Lublinensem, Siradiensem, Lanciciensem et Pomeraniae terras et Ducatus obtineat; Masoviam propter amplitudinem diffusam, cum Chelmensi, Cuiaviensi et Dobrinensi terris Cunradus natu iunior [5]) pro sua sorte et portione accipiat. Haec divisio cum ab utroque Principe accepta et approbata foret, etiam verbali sponsione

---

[1]) Nouogrodenses *Cod. Rozr.* [2]) minor *Cod. Rozr.* [3]) matris *deest in Cod. Aut.*
[4]) germanos *Cod. Rozr.* [5]) minor *Cod. Rozr.*

a Ducibus et baronibus interposita, firmata est, et anathematis execratio in praevaricatorem [1]) per pontifices apposita; rebusque taliter compositis, uterque Dux in suam sedem abiit.

Lithuanis ea tempestate in aestate terras Russiae vastantibus, Ruthenorum Duces Wlodimir Rurikowicz Kyoviensis, habens in suo comitatu Smolnensium militiam, Romanus Borzischowicz [2]), Constantinus, Msczislaus et Roscislaus filii David occurrunt et Lithuanos magna caede confligunt, multosque ex Ducibus Lithuanorum interficiunt; fugientes autem Lithuanos in longum persecuti [3]), multos in vicis, silvis, caeterisque abditis locis, quibus se a facie persequentium condiderant, occidunt.

Fulco episcopus Cracoviensis moritur; cuius laudes et Vincentii successoris illius recensentur.

Fulco alias Pelka Cracoviensis episcopus, cum annis uno et viginti sedisset, undecima die mensis Septembris moritur et in Cracoviensi ecclesia sepelitur: genere nobilis, sed actionibus nobilior, plures libertates [4]), privilegia et immunitates ecclesiae Cracoviensi apud Sedem Apostolicam, et signanter, ut episcopus Cracoviensis omnibus aliis episcopis provinciae et ecclesiae Polonae loco et voce prior sit, et primus Gnesnensi archiepiscopo in consecrando manum imponat, obtinuit. In locum eius conformi electione Magister Vincentius Kadlübkonis de Karwow, vico prope Opatow sito, praepositus Sandomiriensis, cum esset genere nobilis de domo et familia Rosze [5]), licet aliquam dignitatem aut praebendam in Cracoviensi ecclesia non obtineret, propter excellentiam ingenii et doctrinae, quibus pollebat, postulatus et ab Innocentio tertio confirmatus. Cui naturae praegnantis dives et foecundus uterus praeclarum ingenium contulerat, quem tam [6]) benigno lumine astra respexerant [7]), ut sine externae opis adminiculo, novum condendo corpus de Annalibus Polonorum, Polonorum historiae magnificos per se ipsum literarum sensus expresserit, ex [8]) literarum studiis decus et ornamenta, mores ingenuos et normam recte vivendi comparatum iri advertens [9]), disciplinam pro nobilitate, pro patria, pro parente, pro nutrice adoptaverat. Et quamvis ad illa usque tempora Duces et Monarchae Poloniae, qui apud Cracoviam principabantur, ad suum beneplacitum sedem Cracoviensem contulissent, decedentibus episcopis novos pro suo laicali more substituendo: quidam tamen praelati et cano-

---

[1]) praevaricationem *Cod. Rozr.* [2]) Boryschouic *Ed. Dobr.* [3]) prosecuti *Cod. Rozr.* [4]) liberalitates *Ed. Dobr.* [5]) Rosae *Cod. Rozr.* [6]) iam *Ed. Dobr.* [7]) inspexerant *Cod. Rozr.* [8]) et *Cod. Rozr.* [9]) comparaverat *Ed. Dobr.*

nici Cracovienses viri elegantes, ut [1]) fortes columnae huic abusioni et corruptelae viriliter restiterunt, et unanimiter praefatum Magistrum Vincentium in episcopum Cracoviensem elegerunt et electionem eius Innocentio tertio Summo Pontifici praesentarunt, qui praesentatum [2]) confirmavit et per Henricum Gnesnensem archiepiscopum demandavit consecrari. Fuit autem ex praelatis Cracoviensibus unus Ianus [3]) archidiaconus, qui liberam electionem episcopi capitulo Cracoviensi [4]) obtinuit.

Cipriano Wratislaviensi episcopo succedit Laurentius.

Cracoviensem episcopum Fulconem Wratislaviensis episcopus Ciprianus, cum in sede illa [5]) annis sex sedisset, secutus est, et Sexto Calendarum Decembris diem obiens [6]), in monasterii Lubensis ecclesia debito honore tumulatus, Laurentium canonicum Wratislaviensem per canonicam electionem, quam [7]) Dux Henricus Wratislaviensis cum barba gratificavit, habuit [8]) successorem, nobilem de familia Doliwitarum, ab Henrico Gnesnensi archiepiscopo confirmatum et in Olobok consecratum.

Reszanorum [9]) ea tempestate Dux Hleb nomine, stupendae crudelitatis et avaritiae homo, integrum apud Reszanos Principatum occupaturus, sex fratres germanos impia caede sustulit; sed et plures de Boyaris, quos coeptis et conatibus suis obstare credidit, vario mortis genere delevit.

Gregorius Papa nonus anno Pontificatus sui undecimo, ad instantiam Rigensis, Olisiensis [10]) et Darbathensis [11]) episcoporum Livoniae, ordinem Fratrum militiae Christi univit et incorporavit ordini Beatae Mariae Teutonicorum, crucem nigram in albo pallio deferentium; et ab eo tempore coepit esse unus ordo, ordinans et statuens, quod ordo ipse sub iurisdictione episcoporum consisteret.

ANNUS DOMINI 1208.

Romano occiso, Rutheni omnes ad Hungariae Regem Andream mittunt pro filio Colomano ad regendum; qui occupans Russiam, dum a catholicis episcopis se coronari facit, per Ruthenos cum suis expellitur.

Occiso apud Zawichost Romano Wladimiriensi et Haliczіensi Duce, qui

[1]) et *Cod. Rozr.* [2]) praesentatam *Cod. Aut.* [3]) Ioannes *Ed. Dobr.* [4]) Episcopi Cracoviensis Capitulo *Ed. Lips.* [5]) ipsa *Cod. Rozr.* [6]) obiit *Cod. Rozr.* [7]) quam quidem *Cod. Rozr.* [8]) ratificavit, electum habuit *Ed. Dobr.* [9]) Resanorum *Ed. Dobr.* [10]) Osiliensis *rectius.* [11]) Derpatensis *Ed. Dobr.*

sibi fere universae Russiae, partim tyrannide, partim largitione et ingenio, usurpaverat dominationem et Principatum, et Russiae Duces in suum coegerat obsequium et tributum, plures sibi aut armis, aut prece, aut pretio, Russiae dominium destinabant. Proceres vero et Boyari Russiae in varias voluntates scissi, patriam etiam horrendis bellis impleverant. Ad finitima itaque Regna, ut bellum civile tolleretur, censebant primores habendum recursum, ut alicuius illorum viribus et potentia opprimerentur exorta mala et oritura. Et licet aliqui Polonorum Ducum suaderent petere suffragia et in eorum transeundum ditionem, recentis tamen cladis apud Zawichost acceptae memoria, ne ad Polonos deficerent, prohibebat; Pannonii aptiores rei huic visi, per primores Russorum [1]) aditi sunt, et Rex eorum [2]) Andreas suppliciter a Ruthenis exoratus, ut filium suum Colomanum illis in dominum praeficeret, offerentes se illi fide et devotione sincera parituros. In credulitatem Rex Hungariae legatione Ruthenorum admissa, filium Colomanum cum magnis copiis Russiam [3]), et motus intestinos compressurum et Regnum Ruthenorum apud Haliczienses accepturum, transmittit. Qui dum in Haliczian pervenisset, a primis Ruthenorum Ducibus et Boyaris iusto honore exceptus est, et castri Haliczienis illi tradita possessio, et Msczislaus Msczislawicz unus ex Russiae Ducibus, de Halicziensi Principatu exclusus. Qui sub eodem, quo Halicziam ingressus erat, tempore, se ab episcopis catholicis, videlicet Vincentio Cracoviensi episcopo, Ivone cancellario Poloniae et aliis episcopis, quos secum ex Pannonia adduxerat, in Regem Halicziensem inungi et coronari, Regemque Gallatiae vocari et intitulari, et uxorem suam Salomeam in Reginam (ita enim a patre Hungariae Rege doctus erat) procuravit. Quae res Ruthenorum animos, fluxam suapte fidem habentium [4]), a Colomano, cum eis inconsultis confecta [5]) fuerit, et alienavit et in odium atque irritationem perduxit, portendentibus coronationem ipsam et ritus ipsorum et generis exterminium effecturam. Omnes itaque in Colomanum conspirant, et exercitibus Colomani, qui eum in Russiam conduxerant, ad Hungariam reversis, dum se Colomanus tutum crederet, Ruthenorum Princeps [6]) Msczislaus Msczislawicz, apellatus ob praestantiam Chrobri, Ruthenorum et Polowczonum adiutus solatiis [7]), Halicziam perveniens, nonnullis Halicziensium fortalitiis et curiis captis, spoliatis et incensis, ad Halicziensium quoque arcem obsidionem admovit. In cuius oppugnatione dum Polowczonum Dux Miczeyewicza [8]) superne occisus est [9]), in Ducis autem sui ultionem Polowczi multa et execranda mala Halicziensium terrae intulerunt, scindendo quosdam Halicziensium in

---

[1]) Ruthenorum *Cod. Rozr.* [2]) Hungarorum *Cod. Rozr.* [3]) in Russiam *Cod. Rozr.* [4]) habentes *Cod. Aut.* [5]) confecta coronatio *Cod. Rozr.* [6]) Principes *Ed. Dobr.* [7]) auxiliis *Cod. Rozr.* [8]) Misferwica alias Miciewnica *Ed. Dobr.* [9]) esset *Cod. Rozr.*

quatuor partes, caeteros occidendo [1]), exurendo, mutilando, et plurimos in perpetuam abducendo servitutem. Expugnata et capta arce Haliczィensi a Ruthenis, plurimi Polonorum et Hungarorum proceres occisi aut capti, et qui se auro redimere parato non poterant, in servitutem venundati. Novus etiam Rex Colomanus eiectus, per fugam turpem, Vincentio Cracoviensi episcopo [2]) et Ivone cancellario Poloniae simul [3]) fugientibus, sibi consuluit. Eodem insuper anno praefatus Colomanus Salomeam virginem, sororem Lestkonis Ducis Cracoviensis, accipit in uxorem, cum qua usque ad mortem caelibem vitam ducens, et sibi et consorti decus virginitatis servavit.

Philippus Dux Sueviae alter de contendentibus [4]) de Imperio, dum favorem et assistentiam multorum Principum contra Ottonem Comitem Pictaviae adversarium suum sibi vendicasset, et ab Adolpho archiepiscopo Coloniensi, qui Ottonem elegerat et coronaverat, etiam se coronari prece et pretio obtinuisset, potentiaque sua continuo invalesceret, contra Ottonem, a Bertholfo [5]) Comite Palatino de Vitknilinbach [6]), qui partem tenebat Ottonis, sub pace simulata in Bamberk occiditur. Ex quo magna orta est in Germania [7]) commotio, sed per Innocentium Papam, qui in odium et detestationem domus Sueviae, propter mala Henrici, quae commisit in Romanam Ecclesiam, favebat Ottoni, sedatur. Ipse quoque Otto, Philippi competitoris sui filia desponsata, pacificatis rebus Almaniae, venit cum magno exercitu Romam, et magno honore favoreque susceptus, pridie Calendarum Octobris in ecclesia Sancti Petri ab Innocentio Papa imperialem recepit [8]) benedictionem.

ANNUS DOMINI 1209.

Andreas Rex Hungariae eiectionem filii sui de Ducatu Haliczィensi ulturus, ipsum cum magno Hungarico et Polonico exercitu in Russiam mittit: ubi Rutheni Hungaros et Polonos profligant et caedunt, Colomano Rege capto, quem Msczislaus Dux cum uxore reddere recusabat.

Eiectionem [9]) filii sui Colomani de Regno Haliczィensium Andreas Hungariae Rex veritus [10]), expeditionem insignem in Ruthenos magno sumptu et cura paraverat. Pro comperto enim habebat, fere universos Russiae Duces in eius deiectionem conspirasse et bellum in eam aestatem maximis apparatibus gerendum decoxisse [11]), duplex malum superimpendens vitaturi: unum, ne

[1]) occidentes *Ed. Dobr.* [2]) Episcopo *deest in Cod. Aut.* [3]) simul *deest in Cod. Aut.* [4]) contendentium *Ed. Lips.* [5]) Bartholdo *Cod. Rozr.* [6]) Vitkinlinbach *Cod. Rozr.* (Wittelsbach) [7]) Almania *Ed. Dobr.* [8]) accepit *Ed. Dobr.* [9]) Electionem *Ed. Dobr.* [10]) moleste ferens *Cod. Rozr.* [11]) decrevisse *Cod. Rozr.*

Hungari regionem illorum iuris sui facerent, si Colomanus thronum suum in Haliczieusi Regno stabiliret; alterum, ne poenas oppugnati et obsessi anno transacto in Halicz Colomani, et pluribus crudelibus et nefariis operibus in Halicziensea per se et per Polowczos patratis, iusta supplicia darent. Intelligens autem Andreas Hungariae Rex, Russiae Duces Polowczonum solatia [1]) in quantitate magna contraxisse, et ipse ad Lestkonem Album Monarcham Poloniae mittens, exercitum notabilem ex Polonorum militibus in bellum Halicziense mitti obtinuit. In tempore itaque, quo inter Andream Regem [2]) et Lestkonem Ducem convenerat, et Hungaricus et Polonicus exercitus ad Halicz convenit: Hungaricum palatinus Hungariae Attilia Filnya, Polonicum palatinus Cracoviensis Nicolaus vir in armis egregius, ducebant. Nec Rutheni remorantur: quatuor enim Duces, videlicet Msczislaus [3]) Msczislawicz, Wlodimirus Rurikowicz, Roscislaus Dawidowicz et alter Rosczislaus Msczislawicz, caeteris omnibus suas copias destinantibus, adveniunt, Polowczonum deinde exercitus [4]) ingens, et Hungaricum et Polonicum exercitum geminata superans quantitate. Communi autem consilio Hungari et Poloni bellum adversus Ruthenos gesturi, arcem inprimis Halicziensem fortius, quo possunt, communiunt; sed et in ipsa arce ecclesia Sanctae Mariae incastellata, alterum castellum et fortius efficiunt, praesidioque fortiorum, quos inter Hungaros et Polonos habebant, militum superimposito, Colomano cum uxore et matronarum, feminarumque et imbecillium grege relicto, ipsi contra Ruthenos ex Halicz egrediuntur, et aciebus ordinatis prodeunt ad pugnam, Polonis dextrum, Hungaris et Halicziensibus laevum [5]) cornu tenentibus, levis deinde armaturae militibus praemissis, exercitum Ruthenorum infestabant. Duas etiam acies Rutheni constituerant: uni Msczislaus [6]) Msczislawicz, alteri Wlodimirus Dux praeerant; Polowczonum vero turmae in loco remotiori consistentes id sibi consilii et propositi sumpserant, ut pugna fervente, quasi ex insidiis prodirent. Msczislaus autem Msczislawicz, quanta hostilis foret potentia conspecturus, in editiorem locum ascendit; sed a Wlodimiro Duce argutus vehementer, quod in periculoso tempore speculatoris magis quam ducis officium gereret, et suo discessu universo Ruthenorum exercitui ruinam compararet, illico descendit et suos ad congressum animans, bene illos in virtute Crucis Sanctae triumphum relaturos sperare iussit. Sub quo tempore Polonicum agmen exercitum Wlodimiri fortissime invadit, et plurimis Ruthenorum cadentibus, exercitus Wlodimiri contritus est et in fugam cum Wlodimiro et aliis duobus Ducibus, Roscislao Dawidowicz et Roscislao Msczislawicz, qui et ipsi in illo constiterant, versus. Fugientes autem in plura milliaria non Polonicus tan-

---

[1]) auxilia *Cod. Rozr.* [2]) Ungariae Regem *Ed. Dobr.* [3]) Mieczslaus *Ed. Dobr.* [4]) exortus *Ed. Dobr.* [5]) sinistrum *Cod. Rozr.* [6]) Mieczslaus *Cod. Rozr.*

tummodo, sed et Hungaricus exercitus persecutus est, plurimos trucidans aut captivans, iam existimans debellatum. Ea res, eaque tam longa persecutio Hungaris et Polonis victoriam adimens, clade ingenti illos affecit. In terga enim Hungarorum et Haliczensium, qui solutis ordinibus incedebant, Msczislaus [1]) cum Polowczis irruens, ipsos facili negotio fundit et prosternit. Duces insuper Rosczislaus Dawidowicz et Rosczislaus Msczislawicz, dum Hungaros se persequi cessisse [2]) agnoscunt, fugam sistunt, et in pugnam redeuntes, latus Hungarici exercitus invadunt, plurimisque caesis, palatinum Hungariae Tylam [3]) capiunt, et plenam victoriam de Hungaris et Haliczensibus Rutheni consequuntur: palatino enim capto, Hungari et Halicziensеs animos remiserant, passimque a Polowczis trucidabantur, quoniam neque dimicandi, neque fugiendi illis poterat esse facultas, Ruthenis et Polowczis undique circumfusis. Redeunt interim Poloni a [4]) caede et persecutione Wlodimiri, et ducentes secum spolia et maximum captivorum numerum, carmen patrium, ignari cladis quae Hungaris acciderat et Haliczensibus, canebant, existimantes se plenam victoriam retulisse. Verum a Rosczislao Dawidowicz et Polowczis ab omni parte circumsepti, dum neque pugnandi, neque evadendi locus esset, occiduntur. Locant deinde Rutheni et in altum erigunt Polonicum signum, ad quod dum residuitas Polonorum, qui vel ex caede diffugerant, vel ex persecutione Wlodimiri redierant, credentes illic suos consistere, confluxissent, omnes passim trucidantur. Nec interfectorum poterat numerus aestimari, adeo ut flumina ex cruore rubra forent, et morientium atque vulneratorum vociferatio in castro Halicziensi exaudiretur. Iacebant autem interfectorum, velut arena, cadavera insepulta, nec erat circumquaque Halicz, qui occisos sepelisset. Polowczi autem multis nobilibus spoliis, equis, armis, vestibus potiti, etiam plurimos Hungaros et Polonos in terram suam [5]) perpetuam laturos servitutem deduxerant. Mandaverat autem Msczislaus Msczislawicz victoria potitus et superbe victoria abutens, suis Ruthenis, ne quenquam Hungarum aut Polonum vivum esse sinerent: quapropter non ab hostilibus [6]) tantum Ruthenis, sed etiam Halicziensibus, gratificationem Msczislao et suo decreto impensuris, ad quos confugerant, aut apud quos latitabant, pecorum more strangulabantur, peneque omnis Hungarorum et Polonorum exercitus deletus est. Efferebatur autem tunc Msczislaus Msczislawicz Dux, quod et victoriam retulisset, et caedem in devictos Hungaros et Polonos fieri iussisset, a Ruthenis, qui in laetitiam effusi, magnis vociferabantur clamoribus dicentes: O magne Dux et victor Msczislae Msczislawicze! o fortis accipiter ad conterrendum fortes et robustos, armaque illorum, transmissus a Deo. Desi-

[1]) Miecslaus *Ed. Dobr.* [2]) secessisse *Ed. Dobr.* [3]) Attilyam *Cod. Roer.* [4]) ex *Cod. Roer.* [5]) terras suas *Cod. Roer.* [6]) hostibus *Cod. Roer.*

nent [1]) se glorificare, qui te victo, sibi destinabant victoriam, quoniam a te omnes, magnifico et glorioso domino nostro, humiliati et conflicti sunt. Assumpto deinde Msczislaus Dux palatino Hungariae Attilia, ad castrum Haliczienso accessit, ex quo iam Hungari et Poloni, futurae obsidioni se praeparantes, Halicziensos Ruthenos cum uxoribus eorum et pignoribus, perfidiam insuper eorum et victualium defectum veriti, eiecerant. Et dum non aperiretur illi castrum, quod palatinus Hungariae Attilia aperiendum, nec victori ultra resistendum, apud quem Deus [2]) et imperium, Regnumque Halicziensium et victoriam [3]) consistere voluit, suadebat: Msczislaus ad castrum reversus, iterum ad eos, qui castrum observabant, caduceatorem Demetrium, unum ex suis Ruthenis, aperitionem [4]) persuadens, transmisit, qui dum vacuus rediisset, iterum personaliter accessit [5]), et repulsam tertio passus, universam arcem die altero sepivit, asserens se obsessos non oppugnando [6]), sed sedendo [7]) tantummodo confecturum. Dum autem Colomanus et hi, qui secum [8]) in arce erant, negligenter infra obsidionis tempus portam castri posteriorem observarent, noctium [9]) una Rutheni suffossione facta, in castrum irrumpunt, et porta occupata, Msczislaum cum gentibus, Hungaris et Polonis pavore nimio consternatis et ex castro partim diffugientibus, partim se praecipitantibus (cum caligo nocturna metu [10]) causante omnia maiora credi iuberet) [11]) intromittunt. Castro potitus Msczislaus luce erumpente, ad castellum et ecclesiam Sanctae Mariae, in quod Colomanus filius Regis [12]) cum uxore et potioribus militibus atque feminis se, irruptione comperta, receperat, accedens, illud obsidere coepit, saepiusque colloquium cum Colomano filio Regis [13]) expetiit: quod cum sibi militibus Hungaris et Polonis suadentibus negatum fuisset, perseverandum in obsidione duxit. Siti deinde Colomanum et suos premente, vas aquae illis a Msczislao transmissum est, quod pro magno munere acceptum, et in capita per mensuram distributum, vix dimidiae parti satisfecit. Fame deinde premente obsessos, vitam tantummodo pacti, se Msczislao dedunt, ostiaque aperiunt. Mandanteque [14]) Msczislao educebantur Hungarorum barones et uxores eorum et plures insignes personae, feminae et matronae, nonnullique Polonorum milites, quos omnes aut Polowczis distribuit, aut curiensibus suis donavit. Ultimus omnium Colomanus filius Regis [15]) cum uxore sua eductus, a Msczislao acceptus est, et in Torczsko transmissus, mandante Msczislao, ut sub diligenti cura et diligentia [16]) asservaretur,

---

[1]) Designant *Cod. Rozr.* designans *Ed. Dobr.* [2]) Duces *Ed. Dobr.* [3]) Deus *Ed. Dobr.* [4]) apertionem *Cod. Rozr.* [5]) ad castrum accessit *Cod. Rozr.* [6]) pugnando *Ed. Dobr.* [7]) caedendo *Ed. Dobr.* [8]) secum una *Ed. Dobr.* [9]) nocte *Ed. Dobr.* [10]) caligine nocturna metum *Ed. Dobr.* [11]) maiora viderentur *Ed. Dobr.* [12]) Ungariae Regis *Ed. Dobr.* [13]) Regis Ungariae *Ed. Dobr.* [14]) Mandante autem *Cod. Rozr.* [15]) Hungariae Regis *Cod. Rozr.* [16]) custodia *Ed. Dobr.*

licentiatisque Msczislaus exercitibus, in Halicz consedit [1]). Dum autem nuntius tantae cladis ad Hungariae Regem perlatus fuisset, nimio moerore consternatus et manu frontem verberans, lachrymis indulgebat, dolens se tam turpiter conflictum. Quibus ad consultationem consortis abstersis, militem suum Iarosch ad Msczislaum Ducem Russiae mittit, monens, ut filium suum et uxorem suam [2]), caeterosque vinctos solveret, denuntians se, ni id fecerit, cum omnibus potentiis [3]) contra Russiam venturum. Quo terrores huiusmodi nihili pendente et asserente, non in sua potestate, sed divina, victoriam consistere, et se, si venerit, illum excepturum et in virtute Dei conflicturum: Hungariae Rex Andreas ea responsione magisque [4]) consternatus, cum et consiliarii illum de superba legatione coarguerent, et nisi gratiorem ei intimaret, filium visurus non esset, mitiora [5]) consilia secutus, mansuetiorem legationem per eundem Iarosch ad Msczislaum, aequis conditionibus offerendo pacem et solvi petendo filium, transmittit. Consors insuper Andreae Regis specialem legationem ad Msczislaum mittens, submissius quam Reginae conveniebat, pro relaxatione filii supplicabat. Msczislaus [6]) autem veritus, ne, si [7]) Colomanum dimitteret, de novo contra illum reintegraretur bellum, Colomanum relaxare negavit, sed propriis praefectis in castris Haliczkiensibus [8]) positis, in Kyow ad Msczislaum Romanowicz Ducem Kyoviensem transiit, et pluribus diebus illic in solatiis et voluptate exactis, in Halicz rediens, illic agebat [9]) Principatum.

Fundatio monasterii in Kosczol prope Kalisch.

Prima Augusti mensis die [10]) Myeczslaus [11]) filius Boleslai victoriosi, Dux Maioris Poloniae fundat monasterium Sancti Benedicti in Kosczol [12]) ante Kalisch, monasterio Thiniciensi [13]) illud subiiciens. Cui donat pro dote villas Kosczol, Gora, Roszeiowo [14]), Krankowo, Glogowa [15]), Krzywosandowo, Kliszowo, Piotrowo, Nadzerzowo, cum molendino ante Kalisch, et Lyszecz [16]) ante Konin, libertando illud et eius [17]) bona ab omnibus angariis,

---

[1]) conscendit. *Cod. Calv.* [2]) eius *Cod. Rozr.* [3]) omni potentia *Ed. Dobr.* [4]) magis magisque *Ed. Dobr.* [5]) meliora *Ed. Dobr.* [6]) Miecislaus *Ed. Dobr.* [7]) si *deest in Cod. Aut.* [8]) in castro Haliciensi *Ed. Dobr.* [9]) regebat *Ed. Dobr.* [10]) *Fundatio haec erronee forsan in Cod. Aut. sub anno 1209 apposita: ipse etenim auctor Mieczslaum Ducem filium Boleslai Crispi iam prius anno 1202 mortuum esse refert.* [11]) Msczislaus *Ed. Dobr.* [12]) Kosciol *Ed. Dobr.* [13]) Tynecensi *Ed. Dobr.* [14]) Kozeiovo *Cod. Rozr.* Korieiowo *Ed. Dobr.* [15]) Glogow *Ed. Dobr.* [16]) Lisięc *Ed. Dobr.* [17]) easdem villas et earum *Cod. Rozr.*

tributis et servitutibus Polonicalibus, in praesentia Ducis Wladislai Opoliensis, et [1]) Herkemboldi castellani Calissiensis.

Philippo Posnaniensi episcopo succedit Paulus primus.

Philippus Posnaniensis episcopus, post annos tredecim, quibus Posnaniensem rexit ecclesiam, hominem exuens, et in Posnaniensi ecclesia sepultus, Paulum primum Posnaniensem cancellarium, a capitularibus canonice [2]) electum et a Gnesnensi archiepiscopo Henrico de Wladislai Myeczslawicz [3]) Maioris Poloniae Ducis consensu, confirmatum et consecratum habuit successorem.

ANNUS DOMINI 1210.

Lestko deditus reformationi iurium Regni, Swantopelkum ad Pomeraniae terras investivit, accepto iuramento ab eo fidelitatis: qui mox mutavit fidem.

Singulis terris et provinciis, quae in suam sortem portionemque obvenerant, Lestko Albus Dux et Monarcha Polonorum provisurus, singulas eorum specialiter et seriatim adibat, calamitatem, moestitiamque cordis, quae pectori suo ex clade Ruthenica apud Halicz accepta graviter insederat, extenuans [4]), restaurans deformata [5]), violentos et calumniatores puniens, et quaestiones, differentiasque [6]) subditorum dissolvens. Sed et terram Pomeraniae sub sorte sua cadentem respiciens [7]), cum ampliori baronum et militum quam solebat frequentia in ipsam descendit, et tam a militibus quam civibus honore debito susceptus, omnem aestatem et autumnum, castra et civitates illius visitando, ordinando, iura populis reddendo, videlicet Gdansk, Gnyew, Nowe Slupsko, adhibitis palatinis, castellanis et caeteris, qui Magistratus publicos gerebant terrestres, in ea exegit. Verum quia [8]) terra ipsa remotius, quam quaecunque alia a sede Cracoviensi porrecta est, et difficile erat super omnibus quaestionibus et iniuriis ortis et oriendis, ad Ducem Lestkonem et eius tribunal habere Pomeranis recursum, Pomeranorum igitur assiduis precibus et instantiis motus Lestko Albus, et de pacifico tranquilloque terrae Pomeraniae statu provisurus, Swantopelkoni natu maiori genere nobili de domo Gripho-

---

[1]) Wladislai filii sui Maioris Poloniae et *Cod. Rozr.* [2]) ex capitularibus canonicis *Ed. Dobr.* [3]) de Myeczslavi *Cod. Aut.* [4]) exterminans *Ed. Dobr.* [5]) reformata *Cod. Aut.* [6]) litesque *Cod. Rozr.* [7]) sub suam sortem cadentem adiit *Ed. Dobr.* [8]) quoniam *Cod. Rozr.*

num, filio Msczugii [1]) Ducis Pomeraniae, prudentia et ingenio praestanti, Pomeraniae capitaneatum committit, et ei in totum in administranda iustitia, in regendo defendendoque Ducatu, in decidendisque quaestionibus, vices suas plenarie committit, illique Principatum in Pomerania confirmat, neglectis aliis Principibus, Comitibus et baronibus, aeque claris, moderatis et insignibus, credens illum singula non insolenter, nec infide [2]), sed modeste et sincere administraturum. Utrumque autem palatinum, tam Gdanensem, quam Swe-czensem et caeteros dignitarios et officiales, omnes capitaneos et tenutarios illius iubet parere ditioni, recepto ab eo iurisiurandi corporali sacramento, quod terram praefatam Pomeraniae pro Duce Lestkone, filiis suis et successoribus, Ducibus Polonorum fideliter tenebit, et ipsos colet et venerabitur fide, obsequio et obedientia pura, nunquam ab illorum subiectione et dominio se sequestrando. Praestabit etiam annis singulis marcas mille argenti, et in fiscum Ducale [3]) Cracoviam [4]) inferet, et pro illorum amplitudine et commodis intendet toto posse, nunquam illos deserendo in prosperis aut adversis. Verum Swantopelkus praefatus, brevi post fidem cum tempore varians et mores cum dignitate permutans, fluxa variaque fide esse coepit et malignitatis aculeum contra proprium calcitrando Principem exacuit, situm terrae et callida eorum, quibus praefectus fuerat, imitatus ingenia, Principi et domino suo Lestkoni Albo vice qualibet tanto illudens acerbius, quanto operosius uberiorem spem fidelitatis suae et obsequii repromittebat. Pomeraniae etenim satrapiam [5]) sortitus, insolenter se agere [6]), et in summam totius Principatus Pomeraniae appetere coepit. Metuens autem Pomeraniae praesidatum [7]), quem avaritiae zelo et multo malignitatis spiritu occupandum censuerat, amittere, multis se teterrimis actionibus, ut illum quoquo modo retineret, implicabat.

Filium suum Colomanum et uxorem eius Salomeam [8]) Andreas Hungariae Rex de captivitate soluturus, plures cum Msczislao Msczislawicz per barones et consiliarios suos egit tractatus et conventus. In ultimo autem conventu in finibus Hungariae habito, pax perpetua his conditionibus inter Hungarum et Ruthenum convenit: ut alter filiorum Regis Hungariae Bela filiam Msczislai Mariam in consortem habeat, Msczislaus de Haliczkiensi Ducatu Colomano post triennium cedat, et tam ipsum Colomanum et [9]) uxorem suam, omnesque suae potestatis captivos liberet [10]); quae omnia eo anno fuere consummata.

---

[1]) Msciugii *Ed. Dobr.* [2]) infideliter *Ed. Dobr.* [3]) ducalem *Cod. Rozr.* [4]) Cracoviensem curiam *Ed. Dobr.* [5]) gubernationem *Cod. Rozr.* [6]) gerere *Cod. Rozr.* [7]) Principatum *Cod. Rozr.* [8]) Salomeam alias Salonicam *Cod. Rozr.* [9]) quam *Ed. Dobr.* [10]) liberet *deest in Cod. Aut.*

ANNUS DOMINI 1211.

Lestko Dux Ruthenos iam fere contemptui Polonos habentes, per Sulislaum castellanum Sandomiriensem in magna copia profligat, multis nobilibus et eorum Ducibus captis.

Secundorum eventuum certaminumque prosperitate, quibus Colomanum Hungariae Regis filium de Haliczíensi Regno primum eiecerant, deinde insigni pugna fuderant, Ruthenicorum Duces elati, plures faciebant in regiones Polonorum excursiones. A Lithuanis insuper et adiuti et docti, rapta praeda cum celeri festinatione in propria recurrebant, et nusquam consistere ausi, magnis incommodis et vastatitate [1]) Poloniae regiones [2]) affecerant, iamque eam inflationem pompamque induerant, ut Polonos contemptui et ludibrio ducerent [3]). Quibus rebus Lestko Albus Polonorum Dux et Monarcha permotus, habito cum consiliariis maturo tractatu, Sulislaum castellanum Sandomiriensem, datis ei [4]) expeditis militibus, in Russiam, talionem Ruthenis refusurum et incursiones eorum oppressurum transmittit. Sulislaus autem castellanus Sandomiriensis Ruthenorum terras ingressus, flammis illas vastat et caedibus, magnoque numero captivorum congesto, illos in Poloniam vinctos remittit. Ruthenorum autem Duces vastationem tam crudelem regionum suarum non ferentes, illi occurrunt et pugnandi copiam faciunt, quam superioribus annis vafro usi consilio, detrectaverant. Pugna autem commissa, Rutheni facili negotio, dum primas acies Poloni stravissent, victi, fugatique sunt, et Swanthoslaus Msczislawicz et quatuor alii Duces, videlicet Gregorius, Iaroslaus, Wlodimirus et Constantinus, multusque militum et nobilium Russiae numerus captus est; sed et non minor erat desideratorum, in quos ab ira Poloni gladios strinxerant [5]). Et milites quidem, nobilesque Ruthenorum Sulislaus castellanus Sandomiriensis in vinculis habuit, Poloniamque deduxit: quorum plerique aut liberalitate Lestkonis Ducis manu dimissi sunt, aut a suis redempti. Swanthoslaum vero Ducem et quatuor Duces alios secum captos, propter furtivas excursiones, quibus Poloniam plurimum vexaverant, attriverantque, et vindicandas et in futurum prohibendas, vinctos tenuit, victoremque exercitum de victorum spoliis ditatum et onustum, non sine sui amplissima laude Poloniam reduxit. Processu deinde temporis Duces Ruthenorum Swanthoslaum Msczislawicz, Georgium, Iaroslaum, Wlodimirum et Constantinum, Polonorum Dux Lestko a captivitate absolvit.

---

[1]) vastationibus *Cod. Rozr.* [2]) Regnum *Ed. Dobr.* [3]) haberent. *Cod. Rozr.* [4]) cum *Cod. Rozr.* [5]) strinxerant, numerus. *Ed. Dobr.*

Cometes stella in mense Maio eo anno apparuit, quae caudam et facem [1]) ab oriente dirigens in occidentem, decem et octo diebus duravit, regionibus Ruthenorum [2]) magis propinqua, cladem, quam in anno sequenti a Thartaris pertulerunt, portendebat.

Fundatio monasterii ordinis Praemonstratensis in Ribniky, quod hodie est in Czarnowansch.

Sexta decima die mensis Maii [3]), Myeczslaus [4]) Dux primus Rathiboriensis et Opoliensis, filius olim Wladislai exulis et circa Posnaniam a fratribus conflicti, moritur, agilis multum et procerus statura, peritus artis gladiatoriae, multas pugnas duelli et torneamentorum in Almania non sine multorum admiratione animose exercens; cui filius eius unicus Kazimirus succedit in Principatibus. Fundavit autem praefatus Myeczslaus Dux Rathiboriensis primus monasterium sanctimonialium ordinis Praemonstratensis in Ribniky, et sufficientem illi dotem praestitit, quod postea filius suus Kazimirus in Czarnowansch [5]) ad fluenta fluvii Malpądew [6]), qui illic de prope Odrae miscetur, transtulit. Consors autem eius Ludimilla obiit Tredecimo Calendas Decembris [7]).

* Mortuus est autem Myeczslaus Dux Rathiboriensis in Cracoviensi castro (Cracoviensem enim tunc obtinebat pacifice Principatum) et in ecclesia maiori Cracoviensi iusto funere sepultus. Dictus [8]) vero fuit Lyaskonogi, eo quod erat longarum tibiarum, procerae staturae, pulcher aspectu, solo intuitu gratiam in se inspicientium merebatur; militia strenuus, in Teutonia a pueritia imo ab infantia nutritus et eruditus, in torneamentis exercitatus, moribus compositis cunctis praeeminebat, pauperum, oppressorum, viduarum, orphanorum sagacissimus auditor et protector. *

---

[1]) faucem *Cod. Rozr.* [2]) Russiae *Ed. Dobr.* [3]) Decima die mensis Maii *Cod. Rozr.* Decima tertia Maii *Ed. Dobr.* [4]) Mieslaus *Ed. Lips.* [5]) Carnowąsz *Ed. Dobr.* [6]) Malpadensis *Ed. Dobr.* [7]) Octobris *Ed. Dobr.* [8]) *Haec quae sequuntur, iam prius ab auctore sub anno 1206 de Duce Poloniae Wladislao Mieczslawicz Laskonogi dicto, prolata, iterum hic loci in Cod. Aut. de Mieczslao Ratiboriensi Duce, manu ipsius auctoris serius adscripta, repetuntur. Obveniunt etiam in Codd. Calv. et Lig.; desiderantur autem in Codd. Rozr. Lis. Ciesz. atque in Edit. Dobr. et Lips.*

ANNUS DOMINI 1212.

Omnis thesaurus Cracoviensis ecclesiae ictu fulminis comburitur.

Natalem Christi huius anni Lestko Albus Polonorum Dux et Monarcha, Cracoviae cum genitrice sua Helena Ducissa et Vincentio episcopo Cracoviensi, baronibusque in magna egit solennitate, et aliquot diebus splendidis conviviis consiliarios tenuit. Et quia eo anno res omnes ad tranquillitatem reciderant, singulis hostibus in circuitu aut quiescentibus, aut debellatis, rebus urbanis et civilibus vacatum est, et iudiciis particularibus et generalibus in singulis districtibus instauratis, iura populis reddebantur. Sed nec ea tranquillitas ad integrum tuta fuit, nam [1]) superna vexatio acerbitatem ingessit. In mense siquidem Iulio fulminis ictu aerarium Cracoviensis ecclesiae de caelo tactum est, cuius virtute, tignis et roboribus tectum sustentantibus, incensis, etiam flamma ad interiora aerarii, nemine ardorem restringente [2]), pervenit, scriniaque et cistas corripuit, et casulas, cappasque et multa Cracoviensis ecclesiae ornamenta atque decora, largitione et liberalitate Regum, Principum, pontificum et Christi fidelium donata, quae in cistis ipsis condita erant, dissolvit et devoravit, Cracoviensemque ecclesiam suis pretiosis et charis indumentis, pignoribusque, quibus ultra caeteras Polonicas ecclesias dotata erat, privavit. Quod quidem factum prodigii loco habitum, etiam apud ministros Dei et alios timoratos viros in religionem versum est, autumantibus, conflagrationem ipsam solius Dei nutu propter facinora illum provocantia provenisse.

Thartari primum contra Polowczones veniunt et Ruthenorum omnem potentiam eis auxiliantem fundunt et caedunt.

Potentiam suam Thartarorum gens in eam diem ignorata et vix audita, ad partes septemtrionales extensura, Polowczis ex illa parte maris [3]) consistentibus, et pluribus aliis nationibus conflictis, deletis aut subiugatis, etiam ad terras eorum, qui citra mare Ruthenis confinantes degebant, venit. Qui [4]) de potentia sua diffisi, periculum, quod illis a Thartaris imminebat, petentes se universis potentiis Ruthenorum adiuvari, insinuant, denuntiando par discri-

---

[1]) nam *deest in Cod. Aut.* etenim *Cod. Rozr.* [2]) restinguente *Cod. Rozr.* [3]) magis *Ed. Dobr.* [4]) Połowczi *Cod. Rozr.*

men, si victi a Thartaris fuerint, Ruthenis imminere. Veniunt et sub idem tempus ad Russiae Duces Thartarorum nuntii, exorando illos [1]), ne se bello Polowczonum implicent, nec iungendo se Polowczis, necessitatem Thartaris bellum contra Russiam movendi imponant; sed si sapiunt, de suis finibus Polowczos hactenus plurima mala Russiae terris inferentes exterminent, cum de aliis regionibus Thartari illos sint verisimiliter exterminaturi. Duces autem Russiae parum provido usi consilio, et nulla super his matura deliberatione praemissa, gentium iure violato, Thartarorum nuntiis interfectis, vadunt exercitualiter contra Thartaros solatium [2]) Polowczis laturi, videlicet Msczislaus Romanowicz cum militia Kyoviensi, item Msczislaus Msczislawicz cum Haliczíensi militia, item Wlodimir Rurikowicz, caeterique Duces Russiae, item Duces Czirnyeovienses, item Duces Smolnenses [3]), item omnis Polowczonum terra et omnes Duces eorum. Et aliquibus Ducibus et militibus Russiae in equis euntibus, aliquibus in navibus, perveniunt usque ad Protholcze [4]); et abinde singuli ascensis equis, duodecim stativis ad flumen Kalcza [5]) perveniunt, quo iam Thartari castra sua posuerant. Et illico Thartari, respirandi spatio non dato, in Ruthenos et Polowczos decima septima die irruunt; Polowczis autem contritis et diffugientibus, etiam acies Ruthenorum turbantur, et biduo [6]) Duces Msczislaus Kyoviensis et.....[7]) Czyrnyeoviensis captivantur, plurimaque caede edita, multis aut captis, aut necatis, caeteri diffugiunt. Sed et in fugientes aliud aeque horrendum discrimen a Polowczis sociis, per [8]) quorum terras fugam maturabant, editum: nulli enim aetati aut conditioni parcendo Polowczy agrestes, Ruthenos, si equites, propter equos, si pedites, propter vestes, trucidabant. Qui vero ex Ruthenis in montes confugerant [9]), fame moriuntur, plerique in aquis suffocantur, horrendumque malum in illa die secutum est, quale nusquam fuit in terris Russiae visum aut [10]) auditum. Msczislaus autem Msczislawicz Haliczíensis Dux, dum fugiendo ad naves pervenisset, superatis fluviis, naves, persecutionem Thartarorum veritus, disrumpi mandavit, abindeque fugax in Halicz pavore et trepidatione plenus pervenit. Dum vero alia omnis multitudo Ruthenorum ad naves fugiendo pervenisset et eas offendisset violatas, in moerorem versa, dum undas tranare non posset, fame contabescens illic consumpta est, praeter Duces et aliquos eorum milites, qui in lembis fluvios traiecerant. Wlodimirus autem Rurikowicz fuga et ipse salvatus, in Kyow perveniens, sedem

---

[1]) exornans eos *Ed. Dobr.* exorantes eos *Ed. Lips.* [2]) auxilium *Cod. Rozr.* [3]) Smolenses *Ed. Dobr.* [4]) Protoce *Ed. Dobr.* [5]) Kulcza *Cod. Rozr.* [6]) hi duo *Cod. Rozr.* [7]) *Nomen Ducis Czernieioviensis (Czernihoviensis) desideratur in omnibus Codd.; hunc tamen ex Annalibus Ruthenorum, cladem illam a Thartaris inflictam sub anno 1224 describentibus,* Mstislaum Swiatoslawicz *fuisse constat.* [8]) in *Ed. Dobr.* [9]) fugerunt *Ed. Dobr.* [10]) neque *Cod. Rozr.*

accepit Kyoviensem. Eaque prima clades extitit, quam Rutheni pertulere a Thartaris.

Otto Imperator omnibus insignibus [1]) imperialibus functus, et nullum sibi sciens in Imperio competitorem superesse, insolenter se gerere, et Innocentio Papae tertio, cuius favore protectus et adiutus ad Imperium conscenderat, rebellis et adversarius esse coepit; unde et Regnum Siciliae, praetendens illud pertinere ad Imperium, Innocentio Papa nequicquam prohibente et obstante, invadit et magnam illius partem, dedentibus se aut expugnatis urbibus, Friderico abstulit. Propter quam causam Innocentius tertius videns sese deceptum ab Ottone, ipsum excommunicat et ab Imperio deponit, et omnes Principes et barones a fidelitatis iuramento absolvit, mandatque Principibus [2]) electoribus, ut ad electionem alterius procedant. Qui apostolico parentes mandato, Fridericum secundum Siciliae Regem, ex Henrico quinto et Constantia monacha vetula genitum, in Imperatorem eligunt. Fridericus autem in Regem Romanorum declaratus, in Almaniam descendens et conventus aliquot celebrans, benevolentiam sibi conciliavit Principum, et a Sifrido [3]) Maguntinensi archiepiscopo et Apostolicae Sedis tunc Legato, Aquisgrani coronatus est, et Almania bellis et schismatibus intestinis fervere coepit. Hic armorum strenuus, linguarum peritus, rigorosus, luxuriosus, Epicurus, nihil curans vel credens, nisi [4]) temporale fuerit.

Asserunt annales Hungarorum litterae, eo anno Gertrudim Hungariae Reginam, Andreae filii Belae Hungariae Regis, consortem et beatae Elisabeth genitricem, uxorem Bankbani, in curia sua obversantem [5]), fratri suo ad illudendum tradidisse, et Bankbanum de genere Bor oriundum [6]), in ultionem stupri uxoris suae Reginam Gertrudim occidisse, in genus quoque Bankbani varia caede saevitum esse.

ANNUS DOMINI 1213.

Gertrudis Regina Hungariae mater Sanctae Elisabeth a Bankbano occiditur.

Miserando et miserabili casu Pannoniorum Regnum ea tempestate afflictum, et apud Polonos sibi conterminos, variisque necessitatibus coniunctos, et apud vicinas exterasque nationes, sonorum suae lamentationis edidit eiulatum. Cuius Rex Andreas filius Belae tertii, etsi splendido coniugio et prolis multiplicitate felix et insignis esset, et de consorte sua Gertrudi, filia Ber-

---

[1]) insigniis *Cod. Aul.* [2]) mandans Principibus et *Cod. Rozr.* [3]) Seyfrido *Ed. Dobr.* [4]) nisi quod *Cod. Rozr.* [5]) observantem *Cod. Rozr.* [6]) ortum ducentem *Cod. Rozr.*

tholdi Meraniae [1]) et Carinthiae Ducis, sorore germana Sanctae Hedvigis Ducissae Poloniae [2]) et Henrici cum barba consortis, tres filios, Belam, Colomanum et Andream, quartam quoque [3]) beatam feminam Elisabeth Lanthgrawio Turingiae Ludovico Hermani Principis primogenito in aetate tenera desponsatam et multa sanctitate refulgentem, suscepisset: tantae tamen suae felicitatis fulgorem fortuna, nihil ad plenum tribuens, caliginoso eventu repente confudit. Praefatam siquidem Reginam Hungariae Gertrudim unus ex maioribus Hungariae baronibus Bankbanus vocatus, de genere Bor oriundus [4]), mucrone transverberans, funesta occisione Quarto Calendas Octobris necavit. Cuius quidem necis duae a scriptoribus feruntur fuisse causae: una quidem, quod praefata Regina Gertrudis uxorem praefati Bankbani, in sua curia consistentem, cuidam fratri suo advenae et hospiti illudendam consenserat; in cuius sceleris ultionem Bankbanus stuprati coniugii poenam, quam a patratore non potuit, a conciliatrice exegit. Sed absurdum videtur, ut femina alioquin per se pudica et casta, et quae sanctam filiam progenuerat, genus quoque ab ingenuis et religiosis parentibus ducebat, stupra et adulteria procurasse credenda sit. Alia vero, quod cum Andreas Hungariae Rex ad consilium consortis suae Gertrudis plures Almanos in Hungariam accersisset, et cum illis rebellium Hungarorum castra et munitiones expugnaret, magistratus quoque Reipublicae, Hungaris neglectis, Almanis mandasset, Hungari contemptum iri se dolentes, ad occidendum Regem Andream conspirant. Et cum praebente illis animum et ducatum [5]) Bankbano, conspirationem completuri, in curiam Regis advenissent, Andreas quidem Rex a Regina Gertrudi avisatus, fugiens mortem evasit. Bankbanus vero Rege non comperto, Gertrudem Reginam supplices manus pro vita tendentem [6]), lanceis et contis [7]) perfossam obtruncavit. In cuius necis tam horrendae ultionem, Andreas Rex Bankbanum et omne genus suum ad interemptionem usque et exterminium delevit. Corpus Reginae occisae in monasterio de Pilis iusto cum honore sepultum est; quae [8]) dum viveret, in ecclesiam Wratislaviensem liberalem se exhibens et munificam, nobilem coronam auream, quam pro ornamento in diebus solennibus gestare consueverat, eidem ecclesiae Wratislaviensi transmisit: qua conflata, calix aureus iuxta eiusdem Gertrudis Reginae voluntatem et desiderium est fabricatus.

---

[1]) Bertoldi Moraviae *Cod. Rozr.* [2]) Wratislaviensis *Cod. Rozr.* [3]) vero *Cod. Rozr.* [4]) ortus *Cod. Rozr.* [5]) ductum *Cod. Rozr.* [6]) porrigentem *Ed. Dobr.* [7]) hastis *Ed. Dobr.* [8]) haec *Cod. Rozr.*

Fundatio monasterii sanctimonialium ordinis Cisterciensis in Olobok.

Tredecimo Calendas Novembris Wladislaus Ottonis Dux Calissiensis fundat monasterium in Olobok sanctimonialium ordinis Cisterciensis, in terra Calissiensi et diocesi Gnesnensi, et illud sumptibus ducalibus a [1]) fundamentis exstruit; cui in dotem villas et haereditates infrascriptas assignavit, videlicet Olobok, Thikadlowo [2]), Zidowo, Polye Wroszlye [3]), Rablawy [4]). Item Wyrzbyatha [5]) filius Clementis militis contulit quatuor villas paternas monasterio praefato, videlicet Konarowo, Grzibowo, Mislakowo et Druszkowo. Item, idem Dux Wladislaus contulit eidem loco villam Staw, commutatam a filiis Laurentii, Dobrogostio et Czesszacha [6]), pro tribus villis, Chotinino [7]), Golikowo et Pyenyaszkowo. Henricus autem Gnesnensis archiepiscopus ad petitionem Wladislai Ducis consecravit in Olobok basilicam, monasterio vero contulit decimas archiepiscopales de consensu sui capituli, in villis quae sunt inclusae inter Olobok et Baricz fluvios.

Filiorum Henrici cum barba pro Ducatu Wratislaviensi bellum, in quo Cunradus victus est.

Tam virili aetate quam viridi, Henricus Wratislaviensis et Slesiae Dux cum felici et beata femina Hedvigi consorte sua, in prospera et aequabili [8]) fortuna traducta, magna uterque coniugum tempestate sub media pace, dum iam in occiduam vergerent aetatem, obrutus est: duorum siquidem filiorum, videlicet Henrici et Cunradi, qui Crispus vocatus est, qui usque in virile robur evaserant, dum iam tertius Boleslaus fato subtractus esset, livoroso inter illos sensim serpente collidebantur odio. Alterum Esau, alterum Iacob, ex eventu et conditione describeres [9]), cum pro uno pater Henricus, pro altero genitrix Hedvigis staret. Henricus siquidem Dux pater minorem natu Cunradum singulari affectione complectens, Ducis Saxoniae illi filiam desponsat et Lubuczensem terram, Lusatiaeque regionem perpetua illi consignat portione; Henricum autem natu maiorem, beata Hedvigi persuadente, Slesitis et Wratislaviensibus Ducem destinat. Id cum moleste et irato animo

---

[1]) ex *Ed. Dobr.* [2]) Kithadlovo *Cod. Rozr.* Tikadowo *Cod. Ciesz.* [3]) Zydowopole, Wrosle *Ed. Dobr.* [4]) Rablany *Ed. Dobr.* [5]) Wyrzbiantha *Cod. Calv.* Wierzbieta *Ed. Dobr.* [6]) Creszacha *Ed. Dobr.* [7]) Chotnino *Ed. Dobr.* [8]) aequali *Cod. Rozr.* [9]) crederes *Cod. Rozr.*

Cunradus ferret, et ex naturali instinctu Polonis amicus [1]) et blandus, Teutonicis vero hostis infestissimus foret, parentum ordinationem armis rescindere, dum preces invalidae essent, constituit, et non tam patri, quam fratri iratus, ipsum et omnes Teutonicos, qui partes suas sequebantur, de Slesia exterminare constituit, exercituque notabili ex Polonorum et Lubuczensium militibus et agminibus comparato, fratrem invasit. Et licet uterque parens tollere dissidium fraternum [2]) et quietare filios maximis conatibus laborassent, videntes tamen labores suos incassum recidere, utrumque filium propositum suum (Dux Henricus in Glogoviam, et Ducissa Hedvigis in Nyempcz [3]) secedens) exequi passi sunt. Non tulit et Henricus maior natu fratris Cunradi invasionem, sed exercitum et ex Polonis et ex Teutonicis colligens, Cunrado inter Legniczam et Aureum montem in loco, qui dicitur Studnicza seu Ruffa ecclesia, occurrit: ubi dum congressu facto, fortiter ab utraque parte pugnatum foret, plurimis in ore gladii cadentibus, Henrico cessit victoria. Cunradus Crispus cum multis suorum amissis, ex praelio diffugisset, ad patrem Henricum in Glogoviam divertit, ratus (prout evenit) se illic tutum consistere. Verum cum dierum processu in silvas Tarnovienses venandi gratia secessisset [4]), feram agitans, ex equo corruens, fractis [5]) cervicibus [6]) exspiravit, in Trzebnicenseque monasterium relatus [7]), operante sorore sua Agnete abbatissa Trzebnicensi, quae eum tenerrime vivum [8]) dilexerat, in capituli loco sepelitur. Quo sic absumpto, fraternum et domesticum bellum, quod quandoque resumi et reintegrari nemo dubitabat, conquievit. Ne autem matri religiosissimae Ducissae Hedvigi mors filii Cunradi Crispi praecordia dolore ingenti repente denuntiata sauciasset [9]), non ad funerias filii, sed ad visitationem aegroti venire rogata est. Illa autem et cladem primum et mortem filii dudum in spiritu praecognoscens, et illum iam extinctum esse sciens, nuntiis respondit: Quare, inquit, languidum filium meum Cunradum simulantes, illum vivere confingitis, cuius occasus dudum ante mihi fuit cognitus, quoniam sua temeritate sanguis funderetur plurimorum. Ivit deinde ad exequias filii, et iusta illi et pro ducalis dignitatis excellentia, et pro maternae charitatis affectu impendit.

---

[1]) amicus facilis *Cod. Rozr.* [2]) fratrum *Ed. Dobr.* [3]) Neptcz *Ed. Dobr.* [4]) processisset *Ed. Dobr.* [5]) corruit, fractisque *Cod. Rozr.* [6]) cruribus *Ed. Dobr.* [7]) delatus *Cod. Rozr.* [8]) viventem *Cod. Rozr.* [9]) sauciaret *Ed. Dobr.*

ANNUS DOMINI 1214.

Wladislaus Plwacz Myeczslai Senis nepos, cum a Wladislao Duce curatore partem obtinere non posset, Calissiense castrum accipit: unde pulsus ad Andream Regem Hungariae fugit.

Nondum pubertatis annos Wladislaus Dux (qui expost, cum esset in sputo nimius, Plwacz cognomen [1]) sortitus erat) filius Ottonis filii Myeczslai [2]) Senis Ducis Maioris Poloniae, transgressus, curatorem tutoremque suum Wladislaum Maioris Poloniae Ducem et Ottonis fratrem, ab aliquibus ob proceritatem staturae Magnum, ab aliquibus vero propter tibiarum excellentiam [3]) Lyaskonogi [4]) vocitatum, qui velut patruus [5]) germanus, ipsius tutoriam assumpserat, fastidiebat, Principatumque Maioris Poloniae partiri et sibi illius dimidium a patruo consignari deposcebat, vehementer ad principandum aspirans et disciplinam patrui sui magnopere abhorrens. Pravam autem suam intentionem non solum innata promovebat [6]) ambitio, sed nonnullorum nobilium et adolescentum, qui secum una creverant, nutriebat, incendebatque persuasio. Verum cum Wladislaus Magnus Lyaskonogi partim ingeniis, partim autoritate iuvenilem ardorem [7]) frustraretur, Wladislaus Plwacz morae cuiuslibet impatiens, satellitibus aliquibus auctus [8]), Calissiense castrum subintrat, et patrui sui officialibus expulsis, tam castrum, quam civitatem occupat, in castroque se recludit, resistentiam pro viribus, si impeteretur, Wladislao Magno patruo suo oppositurus. Quod cum Wladislao Magno nuntiatum fuisset, magnas copias ex militibus et agrestibus subito contrahens, castrum Calissiense obsidione cingens, nepotem etiam in eo includit [9]). Qui dum quindecim diebus obsidionem continuasset, victualiaque obsessis scirentur propediem defectura, veriti obsessi, ne si castrum per violentiam caperetur, iratus Wladislaus Magnus in eos aliquid gravius consuleret [10]), caduceatoribus missis, ut et incolumes eos esse, priscumque honorem et favorem retinere liceret, de dedendo castro paciscuntur. Wladislaus vero Plwacz de favore patrui diffisus [11]), carceralibus [12]) se deputandum pertimescens squaloribus, cum septem tantummodo comitibus nocturno tempore ex castro Calissiensi dilapsus, versus Cracoviam ad Lestkonem Album contendit, et [13]) ad Andream Hungariae

---

[1]) agnomen *Ed. Dobr.* [2]) Mscislai *Ed. Dobr.* [3]) vero ob proceritatem et excellentiam *Cod. Rozr.* [4]) Laskonogi *Ed. Dobr.* [5]) patruus suus *Cod. Rozr.* [6]) provehebat *Cod. Rozr.* [7]) aetatem *Cod. Rozr.* [8]) cinctus *Ed. Dobr.* [9]) concludit. *Ed. Dobr.* [10]) statueret *Ed. Dobr.* [11]) diffidens *Cod. Rozr.* [12]) carceris *Ed. Lips.* [13]) et inde *Ed. Dobr.*

Regem perveniens, causis itineris expositis, humane amiceque ab illo exceptus, fotus et habitus [1]) est.

ANNUS DOMINI 1215.

Canonicis ecclesiae Cracoviensis refectiones, ut vocant, institutae sunt.

Nobilem et illustrem Cracoviensem ecclesiam Vincentius Cracoviensis episcopus sui pontificatus tempore amplius illustraturus, pro habendis quotidianis refectionibus undecim decimas manipulares et septem pecuniales in villis circumcirca Czchow oppidum sitis, ad mensam suam episcopalem pertinentes [2]), donatione perpetua contulit et donavit: ex quarum introitibus in vino, luminaribus, caeterisque suis necessitatibus procuratur Cracoviensis ecclesia, et praelatis, canonicisque ecclesiam [3]) frequentantibus distributiones quotidianae [4]) largiuntur. Nimium fortunatus, nimiumque liberalis episcopus, aeterna in laude versandus, qui [5]) et ecclesiae suae providit necessitatibus, et plurimum illi contulit stabilimenti et decoris, amplissimam sui doni compensationem per gratiam Pontificis et Remuneratoris superni abunde iam consecutus. Ne autem de nominibus villarum decimas huiusmodi afferentium, a quopiam ambigi possit, etiam nomina earum inserui, et primo quidem manipularium: Gnoynyk, Gothprzidowa [6]), Thymowa, Tworkowa [7]), Iurkow, Ugyaszd [8]), Opathkowicze, Luczslawicze, Fasczeschowa [9]), Konczíska et Zdanya; item pecunialium: Brzozowa, Olszowa, Slona, Byesznik [10]), Polichta, Poszna; item in oppido Kazimiriensi Cracoviensi urbi [11]) vicino, ita ut candela inextinguibilis nocte dieque ardeat in altari, reliquum canonici in suos usus conferant. Asserunt alii decimas ipsas non mensae episcopalis, sed ecclesiae de [12]) Czchow extitisse.

In Lateranensi Concilio Sanctus Dominicus ordinem Praedicatorum, quem instituerat, et Sanctus Franciscus itidem ordinem suum confirmari obtinuere.

Actum est eo anno in mense Novembri apud Lateranum Concilium celebre et famosum, per Innocentium Papam [13]) tertium congregatum, quod

---

[1]) honoratus et habitus *Ed. Dobr.* [2]) pertinentibus *Ed. Dobr.* [3]) ecclesiam ipsam *Cod. Rozr.* [4]) frequentes ac quotidianae *Ed. Dobr.* [5]) quod *Cod. Rozr.* [6]) Golpridowa *Ed. Dobr.* [7]) Twerkowa *Cod. Rozr.* [8]) Uiazd *Ed. Dobr.* [9]) Iazceschowa *Ed. Dobr.* [10]) Bieznik vel Bruznik *Ed. Dobr.* [11]) Cracoviae *Ed. Dobr.* [12]) ecclesiae parochialis in *Cod. Rozr.* [13]) Papam *deest in Cod. Aut.*

tanta frequentia illustrium personarum fuit insigne, ut ex patriarchis, archiepiscopis et episcopis, aliisque praestantibus praelatis mille ducenti et quindecim numerarentur; in quo et pro generali subsidio Terrae Sanctae ferendo enixius laboravit, et plures ordinationes utiles pro reformanda Ecclesia Dei et tollendis nonnullis abusibus edidit. Cui etiam Concilio beatus Dominicus pater et institutor ordinis Praedicatorum interfuit, et illic sui ordinis confirmationem ab Innocentio Papa fieri petivit, quem in Tholosanis partibus verbo et exemplo contra haereticos praedicando instituerat. In eodem insuper Lateranensi Concilio praefatus Innocentius Papa desiderio animae suae potitus, quo aestuans in sermone in Concilio proposito quasi [1]) prophetice inchoaverat: „Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum" [2]), obiit. Cui Honorius tertius succedit, a quo beatus Franciscus post multos labores per multam instantiam ordinem suum obtinuit confirmari. Beatus insuper Dominicus ex Hispaniis iterum Romam reversus, ubi Magistrum Reinaldum [3]) decanum Sancti Aviani Aurelianensem, de peregrinatione Terrae Sanctae revertentem, offendens, ad assumendum suum ordinem induxit. Quo assumpto, cum beato Dominico venit Bononiam et coepit praedicare et commendare ordinem Praedicatorum, et eundem ordinem, Domino cooperante, per totam Lombardiam et Venetiis in brevi tempore feliciter disseminavit: quasi enim tuba sonora, vox praedicationis eius corda audientium percutiebat et pectora indurata efficaciter liquefaciebat.

Barthae Wladislaviensi episcopo succedit Michael.

Cum annis prope duodecim Wladislaviensem ecclesiam Bartha episcopus rexisset, rebus excipitur humanis, dolore calculi correptus. Quo apud ecclesiam Wladislaviensem tumulato, Michael Polonus, nobilis de familia Godzamba [4]) per electionem canonicam ab Honorio Papa tertio, Cunrado Masoviae et Cuiaviae Duce eius electionem promovente, provisus.

ANNUS DOMINI 1216.

Otto destitutus cum Friderico electo de Imperio contendit; et mortuo Innocentio Papa, Honorius in locum eius succedit.

Duobus de Imperio, videlicet Friderico et Ottone, contendentibus, durus

[1]) quem quasi *Cod. Rozr.* [2]) *Luc. Evang. Cap. XXII. v. 15.* [3]) Rimaldum *Ed. Dobr.* [4]) Godziemba *Cod. Rozr.*

bellorum stridor Almaniam premebat: magnae etenim atque frequentes pugnae cum caede et interitu multarum insignium personarum inter Fridericum et Ottonem habitae sunt, et nunc uni, nunc alteri obveniebat victoria. Nec dubium quin Otto, qui plures amicos et fautores in Almania habebat, superior evasisset, nisi Innocentius Papa tertius duram sententiam tulisset contra omnes Ottonis fautores. Quo suffragio Fridericus adiutus contra Ottonem praevaluit, et Otto ad Philippum Regem in Gallias, qui suae parti favebat, divertit. Et quamvis Innocentio Papae non placuisset electio Friderici, dissimulavit tamen propter odium Ottonis, quia durum erat tot Principes perturbare; coronare tamen Fridericum distulit, iuvenilem illi aetatem obiiciens: quae dilatio ab electione Friderici usque ad mortem Innocentii, quod fuit septennale spatium, tendebatur. Innocentius autem Papa tertius post Concilium apud Lateranum celebratum in Tusciam descendit ad pacificandum Pisanos et Ianuenses [1]), quatenus unitis potentiis facilius Terrae Sanctae possent ferre suffragia. Sed cum venisset Perusium, infirmatur et moritur, cum annos decem et septem, menses decem, dies viginti tres sedisset, et in ecclesia Sancti Laurentii in Perusio honorifice sepelitur. Procurantibus autem Perusinis includi [2]) collegium Cardinalium, episcopus Ostiensis [3]), natione Romanus, in Summum Pontificem concorditer electus est, et Honorius tertius vocatus, qui eodem promotionis suae anno ordinem Praedicatorum, quem Innocentius quidem confirmare decreverat, sed morte praeventus neglexerat, confirmavit.

Bellum inter Lithuanos et Russos.

Lithuani cum in anni huius hieme Russiae regionem praedatum venissent, raptaque praeda more suo diffugerent, a Duce Iaroslao Wszewoldicz [4]) et Novogrodensibus consecuti, praelio inito confliguntur; Ruthenis quoque non incruenta cessit victoria, quoniam et Dux David Thoropeczki [5]) et plures alii Russiae milites desiderebantur. Sequenti quoque tempore, dum alius Lithuanicus exercitus civitatem et regionem Poloczsko vastaret, Dux Mscislaus Dawidowicz cum Smolnensium militia celeri cursu in Poloczsko adveniens, Lithuanos incautos offendens, absque numero sternit et occidit, plerosque autem [6]), qui in curias et domos occultandi gratia confugerant, inde extractos vario supplicio necat, alios etiam in lacubus submergit, et paucis evadentibus, fere omnes delevit.

---

[1]) Genuenses *Cod. Rozr.* [2]) claudi *Ed. Dobr.* [3]) Hostiensis *Cod. Aut.* [4]) Wszewoldowicz *Cod. Rozr.* [5]) Choropeczki *Cod. Rozr.* [6]) pluresque vero *Ed. Dobr.*

Andreas Pragensis episcopus, tam a Przemislao Rege, quam a nobilibus et militaribus Bohemiae plures iniurias et oppressiones tum in villarum calculationibus et tributorum exactionibus, tum in decimarum denegationibus, quas et sibi et monasteriis et piis locis ac universo clero irrogabant, perpessus, dum videret et Regem et nobiles inexorabiles in ampliora ecclesiarum gravamina grassari, et plus solito ad facinora legi divinae contraria proclives esse, et nec precibus, neque admonitionibus salubribus [1]) acquiescere velle, sed deteriora indies sectari, beatum Adalbertum quondam Pragensem episcopum imitaturus, merito cui successisse se sciebat in loco, primum Przemislaum Regem et barones Bohemiae excommunicationis sententia percellit; deinde cum Rex et sui censuras irridendo [2]) contemnerent, universum Bohemiae Regnum ecclesiastico supponit interdicto. Et furorem regium extimescens atque militum, Quarto Idus Aprilis, deserta sede sua, ne contaminaretur sordibus sceleratorum, Romam, aliquibus ecclesiasticis et timoratis viris eum concomitantibus, secessit, nec ad plebem obstinatam, cuius duram et irrefragabilem cervicem noverat difficulter domari, quamquam metropolitanus suus archiepiscopus Maguntinensis pluribus instantiis elaborasset [3]), usque ad diem mortis suae redire acquievit. Adeo enim gravamina Regis et militum in clerum efferbuerant, ut in quibuslibet teloneis, in quibus Iudaeus nonnisi pro capite nummum reddebat, presbyteri et clerici ratione coronae sive tonsurae triginta solvere cogebantur, neque ea tantummodo, sed et plura alia barbara ferre adeo, ut plerosque taederet vivere, impellebantur [4]), cum [5]) Christi Domini et sacerdotes et viliorem, contemptibilioremque apud Bohemos, quam Iudaei obtinebant locum.

ANNUS DOMINI 1217.

Cunradus Dux Masoviae Cristinum palatinum Ploczensem, virum strenuum, innocenter occidi cum magno terrarum suarum detrimento mandavit.

Tyrannidem, qua Cunradi Masoviae et Cuiaviae Ducis, germani Lestkonis Albi, pectus refertum erat, quam in aetate iuvenili effudit, quamque expost effusurus erat, horrendus suarum provinciarum casus monstravit. Erat illi baro et miles insignis Cristinus nomine, haeres de Goszdowo, Ploczensis palatinus, genere nobilis de domo et familia, quae pro insigni Lilium defert Goszdowitarum, sed opere et virtute, quoties quid agendum aut expediendum

---

[1]) salutaribus *Ed. Dobr.* [2]) irridentes *Ed. Dobr.* [3]) elaborasset eum reducere *Cod. Rozr.* [4]) subire impellebantur *Cod. Rozr.* [5]) cum *deest in Cod. Aut.*

erat, nobilior, per quem salutem Polonis Deus dederat in praelio Zawichostensi cum Romano Duce Russiae habito, sub cuius ordinatione et regimine et Ducatibus Masoviae et Cuiaviae tranquillitas provenerat, et ducales introitus [1]) magnopere augebantur, plectebantur scelerati et honorificabantur [2]) virtuosi. Qui dum effrenatos [3]) et lascivos mores ad quaeque turpia et devia proclives Ducis sui Cunradi corripit, cum illum primum secrete, deinde [4]) coram consiliariis, ut quosdam abusus pravos et illecebras rescindat, virtutibusque det operam, reprehendit et inducit: non tulit Cunradus correptiones huiusmodi salutares [5]), sed in furorem nefandum excandescens, praefatum Cristinum palatinum Masoviae, sui honoris et salutis sincerum zelatorem et servatorem, adolescentiae insuper suae praeceptorem, paedagogum et institutorem captivat et squalido carceri includit. Sub quo quidem tempore hostes et invidi sui plures de eo criminationes et figmenta apud aures Cunradi, singula ad credulitatem [6]) recipientis, et signanter Iohannes Czapla [7]) cancellarius suus ducalis, ingerebant. Quibus Cunradus Dux incensus et inescatus, Cristinum palatinum praefatum, primum in villa Kowalye [8]) excoecari mandavit [9]); sed neque hoc genere crudelitatis contentus, pessimis assentatoribus suggerentibus, coecatum iugulat, et militem strenuissimum, totiusque Masoviae florem, virum clarum, heroicis splendentem operibus, dum aequare non potuit, per elevationem suspicionis et invidiae, salutaria monita perosus, indigna morte, truculenti tyrannide et improbo consilio Iohannis Czaplae [10]) scholastici Ploczensis usus, necavit. Post cuius excessum Masoviae et Cuiaviae Ducatuum speciosus status plurima caligine obductus est et variis iactatus casibus, sensim in praecipitem ruinam, innoxium [11]) sanguinem vindicante Deo, ferebatur. Hunc ea strenuitate et animositate praeditum Annalia [12]) perhibent fuisse, ut Pruthenis, Lithuanis, caeterisque gentilibus [13]) devictis atque domitis et sub iugum coactis, censuales illos atque tributarios Polonorum Ducibus fecerit, victricia quoque sua arma ultra mare proferens, id sibi nomen eamque famam a propriis et exteris quaesierat, ut magnus Masoviae palatinus a propriis et finitimis vocitaretur. Quem splendorem Cunradus Dux Masoviae impatientius ferens, suum et filiorum suorum statum ab eo depressum aut enervatum iri veritus, ipsum iniusto et crudeli mortis genere consumi mandavit; corpus tamen suum in maiori Ploczensi ecclesia debito honore tumulari passus est. In fortissimum siquidem et sibi fidum militem saeviebat etiam in occisum simplici genere mortis in eo non contentus, per quem ho-

---

[1]) proventus *Cod. Rozr.* [2]) honorabantur *Ed. Dobr.* [3]) effeminatos *Ed. Dobr.* [4]) demum *Ed. Dobr.* [5]) salutares non ferens *Cod. Aut.* salutares nec non frugiferas *Ed. Dobr.* [6]) crudelitatem *Ed. Dobr.* [7]) Czyaplya *Cod. Aut.* [8]) Konale *Ed. Dobr.* [9]) praecepit *Ed. Dobr.* [10]) Czaplyae *Cod. Aut.* [11]) innocentem *Ed. Dobr.* [12]) Annales *Ed. Dobr.* [13]) gentibus *Ed. Dobr.*

stibus in circuitu fuerat formidabilis. Truculentum profecto et plusquam barbarum tyrannidis ingenium, quod tam nobilem et inclytum militem, tam insignem ducem et victorem, tam necessarium bellatorem extinguere potuit; ab eo, quod [1]) Titus Romanus Imperator Vespasiani filius habuisse scribitur, diversissimum, qui duos patricii generis affectatione Imperii convictos, a reatu et poena nobiliter absolvens, nihil amplius, quam ut desisterent [2]), monuit, dicens: Principatum fato dari, si quid praeterea poscere ab eo vellent, promittens se tributurum. Nec tantae praesumptionis iniquitas contenta suis finibus, prolem eius persequitur et proscribit. Divinae vero providentiae iustitia, reddens unicuique pro opere dignam [3]) mercedem, nec permittens tantae iniquitatem praesumptionis impunitam praeterire [4]), ut iusto Dei iudicio idem Dux Cunradus puniretur, in quo deliquit, barbaras nationes Pruthenorum terrarum conterminarum [5]), audita morte Cristini, in laetitiam permisit prorumpere et exultationem, dicentes [6]): Honor nobis et facilis ad terram Polonorum agressio, postquam ipsi Deum suum et liberatorem occiderunt; Cristinum appelantes Deum: ipse enim virtute sua heroica et adiutorio Dei suffultus, totam terram protegebat et defendebat. Quo occiso, idem Dux Cunradus Dei adiutorio ob scelus crudelitatis destitutus, terram suam amodo reliquit indefensam: unde evenit, ut cum per frequentes Pruthenorum [7]) incursus terra eius devastaretur et depopularetur impune, coactus est invocare auxilium Henrici Ducis Wratislaviensis, ad cuius persuasionem, barbaris repressis et terra Chelmensi [8]) in suum statum restituta, Fratres Cruciferos in sui solatium [9]) advocat et ipsis terram Chelmensem [10]) a Pruthenis defendendam assignat. Et recte avaritiam praefati Cunradi Ducis iustitia punivit divina. Nam qui Cristinum palatinum, felicitati et amplitudini eius invidens, propter praediorum et fortunarum tam apparatum, quam ornatum [11]) et rerum copiosam abundantiam coecavit et iugulavit, et prolem eius proscripsit, ipse non solum praedia et possessiones, sed etiam Principatuum suorum terram insignem coactus est indebite alienare; et posteritatem suam ac reliquos Principatus gravi vexatione reliquit crudeliter impugnandam.

Ploczensis ecclesia casuali incendio in castro Ploczensi exorto, gravem percepit in rebus suis et supellectili conflagrationem.

---

[1]) quidem *Cod. Rozr.* [2]) desisterent a proposito *Cod. Rozr.* [3]) iustam *Ed. Dobr.* [4]) transire *Cod. Rozr.* [5]) suarum conterminas *Cod. Rozr.* [6]) dicentium *Ed. Dobr.* [7]) Ruthenorum Pruthenorumque *Cod. Rozr.* Polowconum *Ed. Dobr.* [8]) Culmensi *Cod. Rozr.* [9]) auxilium *Cod. Rozr.* [10]) Culmensem *Cod. Rozr.* [11]) ornamentorum *Ed. Dobr.*

ANNUS DOMINI 1218.

Vincentius episcopus Cracoviensis resignat episcopatum; cui Ivo succedens, Romam cum Iaczkone Odrowansch pro pontificali confirmatione petit: ubi beatum Dominicum comperiens et miracula videns, obtinuit Iaczkonem canonicum Cracoviensem et tres alios cum eo in ordinem assumi; Vincentius vero in monasterium Andrzeoviense se contulit.

Statum suum pontificalem Vincentius Kadlubkonis Cracoviensis episcopus intelligens diversis curis et periculis implicitum esse, ex pelago multifariorum naufragiorum evasurus, cum esset vir rarae doctrinae et religionis immensae, episcopatui, quem annis prope iam duodecim gesserat, cedendum [1]) decrevit. Id dum longo ante tempore perficere nequisset [2]), adversantibus eius sancto proposito Lestkone Albo Duce et Cracoviensi Capitulo, qui et Rempublicam et ecclesiam persona tam egregia et insigni spoliatum iri vehementer indolebant, tandem frequentibus precibus et humilitate profunda, et ducalem et capitularem renitentiam expugnavit. Cui dum successor idoneus quaereretur, Ivo [3]) filius Saulis Comitis de Konske, genere nobilis de domo Odrowansch et natione Polonus, cantor Gnesnensis, canonicus Cracoviensis et Albi Lestkonis Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis cancellarius, inter caeteros Duci et Capitulo dignior videbatur, qui et propter literarum peritiam et prudentiae humanae fulgorem Vincentio in episcopatu succederet. Verum dum in admittenda Vincentii cessione per Summum Pontificem difficultas timeretur, Ivo [4]) assumpto sibi in comitem et consultorem Iaczkone de Opoliensi provincia et villa Lanka orto, canonico Cracoviensi, viro sensato et industrio, ad Honorium tertium in Urbem se contulit, et tam Vincentii cessionem admitti, quam suam nominationem confirmari et in Cracoviensem episcopum se promoveri, personam suam Ugolino episcopo Cardinali Ostiensi [5]) propter familiaritatem praecipuam, quam invicem in studio Parisiensi contraxerant, coram Papa et Cardinalium collegio altis efferente laudibus, facile obtinuit. Qui dum Romae promotionis suae pertractans negotia moraretur, beatum Dominicum magnis iam prodigiis initia suae sanctitatis et religionis declarantem videre et eius familiari conversatione uti, praedicationique suae coram interesse promeruit. Et cum die quadam Stephanus Cardinalis ad Sanctum Sixtum, ubi vir Dei Dominicus cum fratribus suis morabatur, venisset,

[1]) cedere *Ed. Dobr.* [2]) nequivit *Ed. Dobr.* [3]) Hivo *Cod. Aut.* [4]) Ywo *Cod. Aut.* [5]) Hostiensi *Cod. Aut.*

nepos Cardinalis praefati equo in foveam praecipitatus, plangentium manibus exanimis efferebatur; vir Dei Dominicus, obsecrante illum fratre Tangredo, viro magnae religionis, atque dicente: Quid agis Pater? casus iste tuae virtutis experimentum expectat; de superna [1]) Dominicus certus virtute, defunctum, oratione fusa, vitae pristinae incolumen reddidit. Quo quidem miraculo Ivo [2]) Cracoviensis episcopus, qui omnibus, quae circa resuscitatum agebantur, aderat, provocatus, in Poloniam rediturus, fratres a beato Dominico petiit. Alios autem obtinere non valens, tres suos comites et familiares, videlicet Iaczkonem canonicum Cracoviensem, qui et ipse de domo Odrowansch erat, item Czeslaum [3]) Polonum, Henricum Moravum et Hermanum Teutonicum, ad ordinem per beatum Dominicum assumi obtinuit, et illos secum in Poloniam deducens, primus ordinem Praedicatorum in Polonia, beato Dominico adhuc superstite, plantavit. Et Ivo [4]) quidem ex Roma reversus, ab Henrico Gnesnensi archiepiscopo in episcopum Cracoviensem consecratus est; Vincentius vero in Andrzeoviense monasterium, ubi tunc sacra Cisterciensium religio magnis fratrum studiis colebatur, se conferens, et habitum et ordinem assumpsit [5]), et ex bono optimus effectus, nudum Christum sequi et in vitae austeritate Deo suo militare coepit, undosum hoc, quod inter nos et Deum, peccatis interlatrantibus, seperat [6]) praesentis vitae salum [7]), pontificali exutus amictu et cura, expeditius tranaturus. Generosus cuius spiritus ad superna et coelestia, summique boni verticem semper anhelans, haud tolerare poterat in terrenis sicut in umbra prorsus educari, nisi ad supercoelestes radios in sanctae religionis austeritate mentis suae aciem attentius dirigeret.

Colomanus Halicziensem Ducatum recuperat.

Colomanus filius Andreae Hungariae Regis Russiam cum Hungarorum copiis adveniens, et ab [8]) Haliczciensibus et a Duce Mscislao Mscislawicz magno honore susceptus est. Ducatum autem Haliczciensem et arcem Mscislaus Dux iuxta foedus cum patre suo Rege Andrea initum resignans et de illis excedens, in Thorczsk [9]) se contulit, et anno sequenti rebus humanis exutus, in ecclesia Sanctae Crucis in Kyow, quam fabricaverat, sepelitur. Coepitque extunc Colomanus Haliczciensem Principatum [10]) pacifice possidere; non tamen diuturna fuit illi huiusmodi pacifica possessio.

Ducibus Czirnyeoviensibus [11]) copias suarum gentium contra Kamyeniecz

---

[1]) De superna autem *Cod. Rozr.* [2]) Hivo *Cod. Aut.* [3]) Creslaum *Cod. Rozr.* Ceslaum *Ed. Dobr.* [4]) Hivo *Cod. Aut.* [5]) suscepit *Cod. Rozr.* [6]) separat *Ed. Dobr.* [7]) salutem *Cod. Rozr.* [8]) ab *deest in Cod. Aut.* [9]) Iorek *Ed. Dobr.* [10]) Ducatum *Ed. Dobr.* [11]) Cernieoviensibus *Ed. Dobr.*

ducentibus, Dux Msczislaus Smolnenses et Polowczos in subsidium transmittit. Cui potentiae Kamyenecenses dum non possent resistere, regio eorum variis calamitatibus afflicta subiacuit.

Otto quartus Romanorum Imperator, qui cum Philippo annis undecim, solus vero annis decem regnaverat, Quartodecimo Calendas Iunii apud Arconburg [1]) fluxu sanguinis moritur.

Andreas Hungariae Rex patris sui Belae votum redempturus, in subsidium Terrae Sanctae transfretat cum Duce Austriae et aliis diversarum nationum Cruce signatis, et cum Saracenis fortiter pugnando [2]), Damiatam capiunt et fere totam Terram Sanctam [3]) recuperant. Rex vero Hungariae brevi illic tempore commoratus, cum magno damno Terrae Sanctae, patriarcha nequicquam admonente et expost excommunicante, recessit, plures peregrinos, arma et galeas et [4]) iumenta secum trahens.

ANNUS DOMINI 1219.

Vincentius successit mortuo Henrico Gnesnensi archiepiscopo, qui ut clerici a iurisdictione saecularium eximerentur et foro ecclesiastico permitterentur, atque uxores et concubinas abiurarent, auctor olim extiterat.

Gnesnensis ecclesiae metropolitanus Henricus, cum in archiepiscopali sede annis decem et novem sedisset, ad horam extremam perveniens, salutari sumpto viatico, vicesima secunda Martii moritur et in ecclesia Gnesnensi iusto honore sepelitur. Post cuius mortem praelati et canonici Gnesnenses capitulo celebrato, Vincentium genere nobilem, natione Polonum, eligunt: qui tandem probante electionem suam Wladislao Magno Lyaskonogi Maioris Poloniae Duce, ab Honorio tertio in archiepiscopum Gnesnensem confirmatur. Iste archiepiscopus Henricus cum esset animi generosi in beneficiis distribuendis et funiculis in libertatibus Ecclesiae Polonorum dilatandis, multos labores subiit et sustinuit pro Ecclesiae Polonicae libertate acquirendà et dilatanda. Nam cum clerici et sacerdotes ad iudicia iudicum saecularium, etiam pedaneorum, indifferenter traherentur, etiam inviti, ipse de consensu et decreto unanimi Ducum Poloniae per eius solertiam et industriam ad eam sententiam inductorum, universos clericos, monachos, conversos, ecclesiastici fori privilegio fecit gaudere, ut [5]) non possint conveniri, nisi coram suis praelatis, scilicet [6]) archiepiscopo, episcopis, abbatibus, archidiaconis et aliis offi-

---

[1]) Hartzburg *rectius*. [2]) fortiter pugnant *Ed. Dobr.* [3]) Sanctam *deest in Cod. Aut.* [4]) atque *Ed. Dobr.* [5]) nempe ut *Cod. Rozr.* [6]) videlicet *Cod. Rozr.*

cialibus ecclesiasticis, nec per reconventionem aut aliquam exceptionem ad forum laicorum possint compelli, sed nec coram ipsis Ducibus aut eorum officialibus [1]). Et eandem libertatem obtinuit originariis et ascripticiis ecclesiarum. Deinde cum pro hac libertate confirmanda, Romam se personaliter conferendo, assiduo conatu et pio studio laborasset, et ibidem rebus omnibus pro libito apud Sedem Apostolicam ac pro voto obtentis et consummatis [2]), accepto legationis officio, in Gnesnensem provinciam et in Regnum Poloniae rediisset, cum magno honore a Ducibus Poloniae receptus, privilegium ecclesiasticae libertatis in multis articulis, quibus ecclesiastici viri gravabantur [3]), petiit et obtinuit confirmari; tandem Synodo provinciali congregata, clericos in sacris ordinibus constitutos uxoribus privavit. Et quia ex constitutione Petri Capuani Cardinalis Sedis Apostolicae Legati super uxoribus dimittendis, nullus fructus hactenus provenerat, ne vaga licentia eis abuterentur [4]), ipse [5]) omnes clericos, tactis sacrosanctis Evangeliis, uxores deinceps et quaslibet concubinas fecit abiurare et ab eis se contineri.

ANNUS DOMINI 1220.

Lestko uxorem ducit Grzimislawam filiam Iaroslai Ducis Russiae.

Cracovienses proceres veriti, ne propriis Ducibus Lestkone Albo et Cunrado sine liberis obeuntibus, in peregrinorum Ducum ditionem devenire cogerentur, Lestkonem Ducem suum, duo de triginta [6]) annos habentem, coniugem [7]) assumere compellunt. Varia tamen apud consiliarios erant vota: alii enim cum Hungaris, alii cum Almanis, alii cum Bohemis, caeteri cum Ruthenis futuram affinitatem praestantiorem iudicaverant [8]). Vicit tandem ea pars, quae amicitiam cum Ruthenis suadebat. Pro illaque tempestate Ruthenorum amicitia potior iudicata est, tum ut dominium Polonorum latius posset porrigi, tum ut cum Ruthenis pax plurimis bellis et simultatibus infecta posset reformari. Itaque ex consiliariorum sententia, Lestko Albus virginem et genere et moribus, formaque ingenuam Grzimislawam, filiam Iaroslai Ducis Russiae, accipit in uxorem, et nuptiae sumptu et apparatu magnifico in urbe Cracoviensi celebrantur, quarum celebritas per actus militares et hastarum ludos in dies plures fuit producta [9]). Ea demum affinitate tam Polonis, quam Ruthenis certa et optima pax effulsit, iugi bello, quo se utrinque collide-

[1]) officialibus respondere. *Cod. Rozr.* [2]) confirmatis *Ed. Dobr.* [3]) vim ecclesiasticae libertatis gnauabatur *Ed. Dobr.* [4]) admitteretur *Ed. Dobr.* [5]) specialiter *Ed. Dobr.* [6]) duo et triginta *Ed. Dobr.* [7]) coniugium *Cod. Rozr.* [8]) indicarant. *Ed. Dobr.* [9]) protracta. *Ed. Dobr.*

bant, penitus sublato [1]), et superioribus iniuriis [2]) obliteratis, captivi quoque in bellis transactis capti, tam ingenui, quam agrestes manudimissi.

Cristinus alias Cristianus frater ordinis Cisterciensis, per Cunradum Masoviae Ducem in Chelmensem [3]) episcopum assumptus est per Honorium Papam tertium provisus. Huic Cunradus praefatus, propter suas virtutes et probitatem, et quia Ducem Slesiae Henricum, Michaelem Wladislaviensem [4]), Laurentium Lubuczensem, episcopos et alios plures milites Cruce signatos ad reparandum castrum Culmense, a Pruthenis solo aequatum et desolatum, induxit, plus quam centum villas in terra Culmensi donavit.

Fridericus secundus Romanorum et Siciliae Rex, Henrici quondam Imperatoris filius, morte Ottonis Imperatoris secuta, rebus Imperii miro modo pacificatis, cum magno apparatu Romam veniens, honorifice a Papa Honorio et Senatu receptus est, et in Basilica Sancti Petri, vicesimum octavum [5]) agens annum, imperiali benedictione ab eodem Honorio sublimatus.

Magno livore acti Russiae Duces, quod Colomanus Hungariae Regis filius pacifice arcem et regionem Haliczienseem hactenus possedisset, Danielem Romanowicz Ducem suapte ad id proclivum, quod regionem ipsam pater suus habuerit, incendunt. Qui illorum adductus [6]) suffragiis, in Halicz adveniens et neglecta omnia offendens, arcem occupavit, et Colomanum inde [7]) cum Hungaris in Pannonias effugat [8]).

ANNUS DOMINI 1221.

Inundatio, fames, pestis et hiems horrida sine exemplo in Polonia.

Motibus exterioribus atque bellis quietatis, novum dispendium Poloniam, sive coelestis id faciebat ira, sive fatorum necessitas, pervasit. A festo siquidem Paschae usque ad tempora autumnalia pluviarum et imbrium continuus descensus tantam fluviorum inundationem causavit, ut aquis supra modum crescentibus et inflatis, quidam particularis cataclysmus terris timebatur accidisse. Undarum autem tam horrenda et insolita eruptio et plerasque villas in basso sitas demolitione perpetua absorbuit, vernalia frumenta seri prohibuit, et quae terrae per autumnum inserta erant, voravit, praeter loca pauca, quorum agros collium aut montium altitudo a peste huiusmodi defenderat. Germania itaque frugum huiusmodi alluvione depasta, multis incommoditati-

---

1) sublatis *Cod. Aut.* 2) inimicitiis *Ed. Dobr.* 3) Culmensem *Ed. Dobr.* 4) Wratislaviensem *Cod. Aut.* 5) vigesimum secundum *Cod. Rosr.* 6) adiutus *Cod. Rosr.* 7) una *Ed. Dobr.* 8) expellit *Ed. Dobr.*

bus non solum Poloniam, sed et omnes finitimas regiones, in quibus aeque provenerant, vexavere: nam et domesticorum animalium, pabulis deficientibus, mors primum obvenit, deinde fames valida et spatio triennali continuata, etiam plurimos mortales, agrestes praecipue, victualium inedia tabescentes [1]), adeo absumpsit, ut plures villae et oppida, habitatoribus consumptis, vacuae, desertaeque remanerent. Malum autem huiusmodi ex imbrium multiplicitate proveniens, hiems grandis et sine exemplo subsecuta [2]) ingravavit, sub quo etiam tempore pecorum et pecudum magna mortalitas, pestisque secuta est [3]).

Fridericus secundus Romanorum Imperator et Siciliae Rex, quamvis in principio sui imperii sincere et religiose se erga Summum Pontificem gessisset, velut filius ab Ecclesia educatus, et quae illum, caeteris praeteritis, in culmen imperiale suo favore, opera et auctoritate evexerat, verum in processu [4]), morte matris secuta, ab iniquis consultoribus subversus, in Sicilia ecclesias gravare et in servitutem redigere coepit. Quamobrem Honorius Papa paterne primum illum monet, ut a talibus desistat. Quo non obtemperante, contra ipsum procedit per sententiam excommunicationis. Et cum magis rebellem et contumacem adverteret, manum suam contra illum aggravat, et omnes subditos tam Regni Siciliae, quam Imperii, a iuramento fidelitatis absolvit. A quo quidem tempore Fridericus praedictus magnam tyrannidem in Ecclesiam et omnes sibi adhaerentes et devotos exercuit, et illam usque ad [5]) diem mortis suae non remisit.

Undecimo Calendas Iulii apud oppidum Korczyn Grzimislawa Ducissa, consors Lestkonis Albi Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis, infantem pulcherrimum enixa est, qui patre iubente Boleslaus nomen accepit. De cuius ortu pater vehementer exultans, cum illum magnis votis expetisset, et celebritatem magnificam diebus aliquot Cracoviae tenuit, et in ecclesias, monasteria, pia loca et miserabiles personas, multos liberales sumptus, gratificaturus donum sibi coelitus praestitum, effudit.

Andreas Hungariae Rex iniuriam suam et filii sui Colomani per Danielem Romanowicz Ducem irrogatam ultum iri satagens, duos filios suos Colomanum et Belam contra Danielem et Halicziensos cum magnis copiarum exercitibus et baronibus praecipuis transmittit. Qui etsi Haliczienae castrum tribus hebdomadis obsidione et impugnatione vexavissent, et propediem illius conquisitio speraretur, duplex tamen malum, videlicet disentericae pestis et famis, in exercitum et equos eius saeviens, ipsos coepto irrito redire Hungariam plurimis desideratis coegit; plures etiam pabulandi gratia longius progressi aut capiebantur a Ruthenis aut obterebantur [6]).

---

1) tabescens *Cod. Rosr.* 2) proveniens *Cod. Aut.* 3) contigerat. *Cod. Rosr.* 4) processu temporis *Cod. Rosr.* 5) in *Cod. Rosr.* 6) obtruncabantur. *Cod. Rosr.*

ANNUS DOMINI 1222.

Ecclesia Sanctae Trinitatis, quae tunc origo erat parochialium Cracoviae, pro fratribus ordinis Praedicatorum conceditur, et ecclesia parochialis Sanctae Mariae erigitur.

Singulari erga beatum Dominicum et novum ordinem suum, iam ab Honorio Papa tertio confirmatum, Ivo Cracoviensis episcopus flagrans devotione, aliquanto tempore, ex quo de Italia cum fratribus sibi per beatum Dominicum consignatis Cracoviam advenerat, deliberatio illum tenuit, quonam in loco primitias servorum Dei locaret. Communicato autem super hac re cum Lestkone Albo Cracoviensi et Sandomiriensi Duce [1]), nec non capitulo et consulatu Cracoviensi consilio, ecclesiam Benedictae [2]) Trinitatis, quae matrix [3]) et orgio parochiarum erat, et locum spatiosum [4]) pro conventu et officinis monasterii fratribus beati Dominici [5]) assignavit, locumque praefatum calicibus, casulis, libris, caeterisque ad cultum mysteriorum [6]) necessariis dotat, fratribus habitacula construit, et eorum defectibus providendo, tam habitum, quam victum administrat. Quorum vitam et religionem Iaczek de provincia Opoliensi, canonicus Cracoviensis, aemulatus, ordinem eorum cum pluribus aliis, quorum pectoribus clementia divina terrenorum contemptum infuderat, assumit. Erigit et tunc [7]) Ivo episcopus in circo urbis Cracoviensis novam ecclesiam et eam in honorem Beatae Mariae Dei Genitricis [8]) dedicat, et in eam ius parochiae, quae alias apud Sanctae Trinitatis ecclesiam constiterat, transfundit et transfert.

Famis malum, quo Polonorum regiones anno superiori afflictae fuerant, etiam in annum praesentem serpens, multis incommoditatibus Polonos pessumdedit.

Fundatio monasterii Cisterciensis ordinis in Kaczicze per Ivonem episcopum.

Sub eodem tempore atque anno Ivo Cracoviensis episcopus praefatus fervido erga Deum et cultum nominis sui augendum aestuans ardore, in vico patrimonii sui haereditario Kaczicze vocato, prope Slumniky [9]) oppidum

---

[1]) Duce *deest in Cod. Aut.* [2]) Sanctissimae *Cod. Rozr.* [3]) mater *Ed. Dobr.* [4]) speciosum *Ed. Dobr.* [5]) fratribus Dominicanis *Ed. Dobr.* [6]) monasterii *Cod. Rozr.* [7]) extunc *Cod. Rozr.* [8]) Mariae Virginis *Ed. Dobr.* [9]) Slomniki *Cod. Rozr.*

in sua Cracoviensi diocesi sito, Cisterciensis ordinis monasterium de novo erigit atque instituit, eique pro dote villam eandem Kaczicze et villas Prandoczin, Monykowicze [1]), Cholewicze, nec non decimas manipulares mensae episcopalis in eisdem villis quatuor provenientes, consignat, donat et inscribit, locumque vasis et vestimentis necessariis exornat.

Ploczensis civitas per Pruthenos et Pomeranos vastatur et comburitur, magnaque clade tam civitas Ploczensis, quam regio Masoviae a barbaris obruitur.

Fundatio monasterii ordinis Cisterciensis in Henrichow per Nicolaum notarium.

Sed neque in solo pontifice Cracoviensi Ivone amor Dei viguisse conspectus est, quin etiam in aliorum cordibus flammam suam [2]) dilectionis accendit. Nicolaus siquidem de Henrichow Ducis Wratislaviensis Henrici cum barba secretorum notarius, genere et actione nobilis, dum annis pluribus in obsequiis eiusdem Ducis Henrici cum barba versatus, non parvam rerum et pecuniarum supellectilem collegisset, dominae suae Ducissae Sanctae Hedvigis et conversatione aedificatus et exemplo, quam coelesti amore totam viderat fore mancipatam, de consensu et annuentia Ducis Henrici cum barba, in villa patrimonii sui Henrichow Wratislaviensis diocesis prope Nissam [3]) sita, monasterium ordinis Cisterciensis fundat, et tam villa illa [4]), quam aliis ad illum spectantibus locum dotat. Neque sua donasse Deo omnia contentus, locum etiam ipsum spreto saeculo ingressus, assumpto habitu, in ordine usque ad mortem felix fundator militavit.

Hungariae Rex Andreas novo exercitu in eum annum comparato, filium suum Colomanum contra Haliczienses transmittit, qui magis quam anno transacto usus prospera fortuna, Daniele Romanowicz Duce non ultra audente se sibi, suaeque potentiae opponere, absque omni resistentia Halicziensium potitus est regione et arce.

ANNUS DOMINI 1223.

Ivo episcopus prius fundatum in villa Prandnyk monasterium in ecclesiam Sancti Spiritus Cracoviam transtulit.

Miserabilium personarum, quarum in civitate Cracoviensi [5]) frequens con-

[1]) Manikouicze *Cod. Rozr.* Mankowice *Ed. Dobr.* [2]) suae *Ed. Dobr.* [3]) oppidum Nissam *Cod. Rozr.* [4]) eadem *Cod. Rozr.* [5]) Cracoviensem civitatem *Cod. Rozr.*

currebat multitudo, statui et conditioni Ivo Cracoviensis episcopus provisurus, in villa Prandnyk ante fores Cracovienses sita, de consilio et assensu capituli sui Cracoviensis hospitale, ut esset omnium miserabilium personarum in utroque statu [1]) receptaculum, erigit et fundat (quod Fulco episcopus Cracoviensis fundare et dotare, ni morte absumptus fuisset, decreverat) et villa Krowodrza, item villis utroque Wronin, item decimis nonnullis manipularibus de mensa sua episcopali sufficienter dotat, et in hospitali huiusmodi fratres hospitalarios, qui de Saxia nominantur, duplatam crucem albam in pallio nigro deferentes, sub regula beati Augustini militantes, instituit. Verum perpendens situm in villa Prandnyk hospitali huiusmodi a se erecto, velut a frequentia et communione [2]) hominum longius distante, parum convenire, hospitale praefatum de Prandnyk in Cracoviam transfert, et in Sancti Spiritus honorem ecclesia dicata [3]), tam pro fratribus hospitalariis monasterium et monasterii officinas, quam pro infirmis et miserabilibus personis habitacula construit, utrorumque de mensa sua inopiam sustentans et defectus propter famem, quae altero iam anno Poloniam, segetibus aquarum imbribus absumptis, vehementius premebat. In translatione autem huiusmodi Anno Domini Millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, sexta die mensis Aprilis facta, Ivo episcopus praefatus hospitali huiusmodi duas ecclesias parochiales, unam videlicet Sanctae Crucis in Cracovia, alteram Sancti Martini in villa episcopali Biskupicze, supra Wieliczkam sita, cum earum decimis et proventibus pro eiusdem hospitalis subsistentia univit.

Vincentius Kadlubkonis moritur.

Vincentius Kadlubkonis olim Cracoviensis episcopus, cum annos quinque in ordine et monasterio Andrzeoviensi religiose exegisset, octava die mensis Martii laborum suorum immarcescibilem coronam a Christo, propter quem omnia deseruerat, percepturus, carnis ergastulo solutus est, et in eodem Andrzeoviensi monasterio in chori medio sepultus est. Qui dum pontificalem [4]) adhuc Cracoviensem regeret [5]) cathedram, vivacitate ingenii qua pollebat, super rebus gestis patriae discreto, politoque stylo, quae incipit: „Tres tribus ex causis theatrales odere solennitates,“ edidit Cronicam, quam sic accurate, cogitateque perscripsit, ut ad priscorum laudem maxime accesserit, quos tanto tempore [6]) admiramur. Multa de exteris gestis, plura quam de propriis perstringens, per varia historiarum, quidquid concinnum et aptum Poloni-

---

[1]) utriusque status *Cod. Rozr.* [2]) communicatione *Cod. Rozr.* [3]) dedicata *Cod. Rozr.* [4]) episcopalem *Ed. Dobr.* [5]) rexisset *Ed. Dobr.* [6]) tantopere *Cod. Rozr.*

cis [1]) fuit, pulcherrima varietate intexuit, quae a multis Polonorum celebratur et legitur, et ob raritatem [2]) tam domesticae, quam peregrinae historiae, et ob elegantiam scriptionis, gravitate verborum lucens [3]) non vulgarium; licet carpatur a quamplurimis, quod verbosus fuerit, alienarum historiarum diligens, propriarum negligentior scriptor. Hic decem praebendas in Kyelciensi ecclesia et fundasse et dotasse asseritur, decimas quoque manipulares iuxta Czchow consistentes, ab ecclesia parochiali in Brzeszye abstractas, capitulo et ecclesiae Cracoviensi pro administratione cerae, vini et olei contulisse.

Wladislaus Ottonis Maioris Poloniae Dux ab exilio Pannonico in habitu monachali clam reversus, castrum Uszcze occupat.

Wladislaus Ottonis Maioris Poloniae Dux, cum annis fere novem metu patrui sui germani Wladislai magni sive Lyaskonogi apud Pannonios exulasset, in Poloniam clandestine sub habitu monachali, ne agnosci a Polonis posset, revertitur, icto perprius per internuntios affinitatis foedere cum Swantopelkone Pomeraniae praefecto, quod illius sororem germanam Helingam nomine sibi matrimonialiter sociaret: qui sibi in spem amplae dotis, suffragia, quibus paternam a patruo repeteret sortem, obligarat se laturum. In primo itaque Wladislai Ottonis ex Hungaria reventu [4]), Wladislaus ipse, ferente sibi Swantopelkone Pomeraniae capitaneo opem, suasum et ingenia [5]), castrum Uscze [6]) situ et arte fortissimum, quod duo fluvii, videlicet Nothesz et Gwda [7]) ambiunt, negligentius a capitaneo asservatum, septima Octobris mensis die irrupit, occupat et conquirit, et vicinas ex illo vexare extunc coepit regiones.

Gregorius de Crescentia Cardinalis et Honorii Papae tertii de latere Legatus, venit Poloniam, et tam a Lestkone Albo, quam Ivone episcopo et universis ordinibus in Cracovia [8]) cum magno honore susceptus est: ubi et pluribus diebus immoratus, et quosdam clericorum rescidit abusus, et nonnullas edidit pro cleri regimine constitutiones. Sub cuius praesentia Iacobus eiusdem Cardinalis secretarius, natione Romanus, ordinem Praedicatorum in monasterio Sanctae Trinitatis Cracoviae assumpsit, saeculo renuntiando, familiaribus eiusdem Cardinalis ingressum suum fletu et lachrimis prosequentibus, et ecclesia Sanctae Trinitatis in die Sancti Gregorii per Ivonem episcopum consecrata, in coenobialem ex parochiali translata [9]).

---

[1]) Polonis *Cod. Rozr.* [2]) varietatem *Cod. Rozr.* [3]) referta *Cod. Rozr.* [4]) reditu *Cod. Rozr.* [5]) suasum et consilia *Cod. Rozr.* [6]) Uscie *Ed. Dobr.* [7]) Guida *Cod. Rozr.* Gnida *Cod. Lis.* [8]) ordinibus Cracoviensibus *Ed. Dobr.* [9]) mutata est. *Cod. Rozr.*

Goslao Ploczensi episcopo succedit Iohannes.

Goslaus alias Gethka [1]) Ploczensis episcopus, cum annis decem et septem sedisset, moritur et in Ploczensi ecclesia sepelitur. Praelatis autem et canonicis Ploczensibus monstruosam et discordem electionem de aliquot personis celebrantibus, vacatio Ploczensis ecclesiae in biennium producta est. Qua tandem meliori concordia rescissa, Iohannes succedit, cedente de iure suo Gunthero, qui se gerebat pro electo [2]) Ploczensi, cum discordia inter eum et Iohannem alterum electum in biennium extracta fuisset. Fuit autem hic Iohannes Polonus nobilis de familia [3]) Gozdawitarum, aetatis iam tunc infirmae et fractae.

ANNUS DOMINI 1224.

Fame et peste triennali non obstante in Polonia, Lestko Polonorum Monarcha suis et finitimis iustitiam administrat.

Maceratis aut absumptis in Polonorum regionibus biennali fame plurimis mortalibus, annus tertius, duobus transactis severior advenit, qui non solum domesticis animalibus, sed et hominibus extitit fatalis, et ampliorem stragem, pestemque, quam duo praeteriti, in hominibus et bestiis causavit. Non ob id tamen de legum severitate quicquam detractum aut remissum est, sed iura populis in fame iuxta atque in ubertate reddebantur. Colloquio autem, quod Polonis generale et sacrosanctum iudicium, nullam admittens provocationem, est, in Rozegroch [4]) instituto, Lestko Albus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux ac Polonorum Monarcha solus per omnes dies, quibus iudicium tendebatur, iudicio praesedit, et non sine omnium admiratione causarum nodos prudentissime dissecuit. Illic eum [5]) Cletus Agriensis episcopus ab Andrea Hungariae Rege missus legatus offendit. Summa legationis [6]) erat: Andream Hungariae Regem [7]) de transmarinis partibus, in quas pro defensione Terrae Sanctae, paternum votum redempturus, transfretaverat, alacrem et incolumem, et nonnullis Sanctorum ossibus onustum in Hungariam rediisse; disserens, subinferendo petebat: ut motus nonnulli inter eos, qui Regnorum finitima incolunt, per sui absentiam exorti sedarentur, passisque damnum

---

[1]) Gredka *Ed. Dobr.* [2]) electo episcopo *Cod. Rozr.* [3]) domo *Cod. Rozr.* [4]) Rozegrod *Cod Rozr.* Rezegrod *Ed. Dobr.* [5]) Cum autem eum illic *Cod. Rozr.* [6]) offendisset, cuius legationis summa *Cod. Rozr.* [7]) Andream Hungariae regem *deest in Cod. Aut.*

et iniuriam restitutio proveniret. Orabat deinde: ut si illum Bohemis bellum inferre contingeret, in sui solatium [1]) vel personaliter veniret, vel militiam suam transmitteret. Et de reditu quidem vicini atque amici Regis a Lestkone Duce amico more congratulatum est, correctio deformitatum et resartio [2]) damnorum inter subditos accepta, et ob id dies certa iuxta observantiam, in Regnorum metis instituta, sed et suffragium in Bohemicam expeditionem [3]) per se aut milites ferendum repromissum.

Prutheni barbari facta irruptione in monasterium Oliwa, abbatem cum fratribus et universo conventu captivant, et versus Gdansk deductos, omnes crudeli morte interimunt, et extunc terras Culmensem et Lubaviensem [4]) per insultus et excursiones clandestinas vastare coeperunt. Ad quorum compressionem Cunradus Dux Masoviae Fratres Cruciferos, qui dicebantur Milites Christi, rubeo ense et cruce signatos, accersiit, et castrum Dobrzyn, ut contra Pruthenos bellarent, eis tradidit; sed illis non proficientibus et tenuem resistentiam barbaris opponentibus, terrae praedictae Culmensis et Lubaviensis [5]) fuerunt penitus desertatae [6]) et destructae.

Ducissa Grzimislawa Lestkonis Albi consors, partum femineum edidit: qui etsi patri Lestkoni semiplene gratus esset, eo tamen uno iucundabatur, quod filia tunc genita, et sterilitatis opprobrium consortis suae abstulerat, et arrha [7]) certissima futurae masculinae prolis erat; quae in baptismo patre iubente Salomea vocata est.

* Lantgravius...... [8]) Poloniae Principatus invadens, castrum et civitatem Lubusch conquirens occupavit. *

ANNUS DOMINI 1225.

Henricus Wratislaviensis Dux Monarchiam Poloniae repetiturus, cum exercitu Cracoviam vadit, et cum maiorem potentiam Lestkonis videret, icto cum eo foedere, de iure suo illi cedit et ad propria revertitur.

Ad notoriam suam ignominiam et offensam Henricus cum barba Slesiae et Wratislaviensis Dux existimans pertinere, quod Lestko Albus Kazimiri

[1]) auxilium *Cod. Rozr.* [2]) iniuriarum et restitutio *Ed. Dobr.* [3]) Bohemicum bellum *Ed. Dobr.* [4]) Lubucensem *Cod. Rozr.* [5]) Lubucensis *Cod. Rozr.* [6]) desolatae *Cod. Rozr.* [7]) arca *Cod. Rozr.* spes *Ed. Dobr.* [8]) *Nomen Landgravii desideratur in Cod. Aut.; ast hunc fuisse* Ludovicum IV. *Landgravium Thuringiae, filium Hermanni, comperimus ex* Adami Ursini Chron. Thuringiae *ap.* Mencken: Script. rer. Germ. Tom. III. *col. 1283.*

filius, Monarchiam Polonorum et Cracoviensem Ducatum, qui sibi velut Duci seniori et natu maiori debebatur, occupasset, exercitum tam de suis, quam exteris gentibus pretio conductis, comparat et versus Cracoviam procedit, Lestkonem Album de Monarchia amoturus, Marci palatini Cracoviensis et aliorum militum suae factionis persuasione inductus. Orta enim dissensione inter Ivonem Cracoviensem episcopum, Hostasium Comitem et eorum societatem, qui erant de armis Odrowansch, ab una, et Marcum palatinum Cracoviensem, Magistrum Andream filium Clementis et eorum cognatos de domo Griffonum, partibus ab altera, pro eo, quod Dux Lestko Cracoviensis Iohannem militem fratrem germanum praefati Magistri Andreae canonici Cracoviensis et nonnullos eius cognatos habitis officiis, dignitatibus et magistratibus ex ea causa privaverat, quod cum in Masovia in custodia cum Derslao filio Abrahae et Budzislao [1]) filio Krzeslai fuissent ad defensionem terrae positi, facto incursu Pruthenorum, praedictis Marci palatini cognatis per fugam sibi consulentibus et vitae suae, Derslaus, Budzislaus [2]) et alii multi pro defensione patriae in conflictu ceciderunt: unde cum vidissent ad honores se non posse restitui, machinantur Ducem Lestkonem de Cracovia eliminare et Henricum Ducem Wratislaviensem substituere. Quapropter Marcus palatinus cum suis cognatis et sociis exulando, ad Henricum Ducem Wratislaviensem proficiscitur: qui congregato exercitu, venit Cracoviam et stetit ibidem octo diebus. Sui autem propositi Lestko Albus non ignarus, et gentes plurimas de dominiis suis contra Ducem Henricum armaverat, et Cunradum Masoviae Ducem germanum suum, ad repulsionem huiusmodi iniuriae, cum omnibus Masoviensium et Cuiaviensium militum copiis in adiutorium suum accersiverat, inferendum sibi ab Henrico bellum duplatis viribus et conatu omni atque adnisu propulsaturus. Iam Henricus cum barba Dux Slesiae usque ad fluvium Dlubna [3]), non longe a Cracoviensi civitate pervenerat, illicque stativa habebat, dum uterque Dux Lestko Albus et Cunradus ordinatis aciebus illum excipiunt, ad decernendum parati et accincti. Henricus autem Slesiae Dux, cum et suapte esset vir ingenii pacifici et modesti, et a coniuge sua, femina beata Hedvigi crebro admonitus foret, ut sede sua Wratislaviensi contentus, statum suum et suorum, solium quaeritando Monarchiae [4]), non adduceret in discrimen, cum et Lestkonis, Cunradique copias suis multo fortiores superioresque non ignoraret, et milites suos grandi pavore, paucitate sua conspecta et hostilibus viribus pensatis, intelligeret perculsos, missis caduceatoribus, colloquium et tempus [5]) expetiit. Quod cum a Lestkone et Cunrado Ducibus, quippe et [6]) ipsi civile et fraternum certamen magnopere ab-

---

[1]) Budeslao *Cod. Rozr.* [2]) Budeslaus *Ed. Dobr.* [3]) Dlubnia *Cod. Rozr.* [4]) Monarchiam *Cod. Rozr.* [5]) templum *Cod. Aut.* [6]) ut qui *Cod. Rozr.*

horrebant, concessum esset, in tabernaculum in meditullio [1]) utrorumque castrorum ad id defixum [2]) cum certo et aequali consiliariorum numero conveniunt. Ubi primum Henricus Dux dicere orsus [3]), longum de iure suo, quod sibi in Monarchia Polonorum competebat, sermonem disseruit. Cui cum Lestko Albus respondendo rationes suas dissolvisset, Ivonis Cracoviensis episcopi et communi baronum interpositione pacificantur et in eam concordiam reducuntur: quod Henricus Wratislaviensis et Slesiae Dux de omni iure et titulo Monarchiae Polonorum Lestkoni Albo cedat, et omne ius in Monarchia sibi competens, in Lestkonem transfundat. Initum est et a Ducibus speciale foedus, et iureiurando firmatum, ut unus alterius procuret honorem et commoda, et occupationem terrarum et Ducatuum, quas sortiti fuerant, non aspiret. Datis deinde inter se muneribus, celebratis etiam conviviis, in magna animorum identitate et amore, ex hostibus facti amicissimi, in suos Ducatus revertuntur. Lestko siquidem Albus icto foedere, tam Henricum Slesiae, quam Cunradum Masoviae Duces [4]) in Cracoviam invitaverat, et tam ipsos, quam eorum milites magnificis tractavit necessariis. Cunrado tamen in Masoviam divertente, Henricus Slesiae Dux octo diebus in Cracovia moratus est, splendide et humanissime a Lestkone habitus, etiam amplis donis a Lestkone [5]) sibi datis onustus, laetus in Slesiam remeabat, cum apud Cracoviam stando, octo dies absumpsisset.

Colomanus Andreae Hungariae Regis filius, dum annis tribus in Principatu Haliczisensi sedisset, apud Haliczisensem arcem morbo, incertum est, an veneno correptus, moritur. Post cuius mortem Daniel Romanowicz Dux, Ruthenis faventibus, arcem et regionem Haliczisensem occupavit, in eaque consedit. Sed Iszaslaus Dux Haliczisensem Ducatum sibi vendicaturus, fretus Polowczonum auxilio, contra illum venit, et pugna commissa, Daniel Dux victus succumbit, Duxque Wladimirus et frater suus, qui Danieli solatia [6]) tulerant, captivantur; propter quod arx et regio Haliczisensis in ditionem Michalkonis Ducis, favente Iszaslao, concessit.

Aerarium Cracoviensis ecclesiae cathedralis, item turris monasterii sanctimonialium in Zwierzinyecz, item dormitorium fratrum Praedicatorum in Cracovia, fulmine tacta, accensa et cremata [7]) sunt, hominibus illaesis et incolumibus.

---

[1]) in tabernaculo in medio *Cod. Rozr.* [2]) defixum *Cod. Rozr.* [3]) iussus *Cod. Rozr.* [4]) Duces *deest in Cod. Aut.* [5]) ab eo *Cod. Rozr.* [6]) auxilia *Cod. Rozr.* [7]) exusta *Ed. Dobr.*

Wladislaus Ottonis olim Maioris Poloniae Ducis filius multa praedatur et incendit.

Wladislaus Ottonis Maioris Poloniae Dux suffragio filiorum Iohannis, Albrachti [1]) et Laurentii adiutus, monasterium Mogilno devastat et depraedatur. Anno vero insequenti idem Wladislaus Dux Dobrogostonem et alios multos nobiles Poloniae occidit, et horrea Wladislai Magni [2]) in Myedzwyedz, et in aliis villis pluribus depraedatur et incendit, et Poloniam magnae subiicit vastitati. Eiectus enim fuerat potenti brachio per Lestkonem Ducem Cracoviensem et per Wladislaum Senem [3]) de suis Principatibus, videlicet Calissiensi et Rudensi, nec in Poloniae Regno consistere ausus, in Hungaria, Bohemia et Almania annis aliquot agebat exilium, sed affinitatem et suffragia Swantopelci Pomeraniae praefecti, ducendo sororem eius in uxorem, nactus [4]), poenas exiliationis suae ulturus in singula quaecunque nefanda maximo conatu grassabatur.

ANNUS DOMINI 1226.

Wladislaus Lyaskonogi castrum Uscze longa cingit obsidione et Wladislaum Ottonis ibidem claudit: quam cum remissius teneret, nacta opportunitate Wladislaus Ottonis in castra patrui sui irrupit et eum vicit, castraque Calissiense et Posnaniense recuperat.

Iniuriam suam Wladislaus Magnus alias Lyaskonogi Maioris Poloniae Dux, per nepotem [5]) Wladislaum Ottonis illatam, vindicaturus et castrum Uscze [6]), quod interceperat, recuperaturus, omnium suarum terrarum colligit exercitum, et Uscze castrum obsidione vallans, etiam nepotem suum Wladislaum Ottonis in eo concludit, omnibusque expugnationum generibus usus, nunc bombardis illud quatit, nunc turres admovet, nunc militum manu ad eius conquisitionem intendit. Sed cum et a Wladislao Ottonis et suis castrum strenue defenderetur, ipse etiam situs loci conatus Wladislai Magni facile dissolveret, et spes suae reciderent in irritum, obsidio in diem Sanctae Margarethae extracta est, cum primo vere coepisset. Remittebant itaque milites animum, et negligentius obsidionis munera eis distributa, sive [7]) ad sta-

---

[1]) Alberti *Cod. Rozr.* [2]) Wladislai Senis *Cod. Rozr.* Wladislai Laskonogi Maioris Poloniae Ducis *Cod. Rozr.* [3]) Senem patruum suum *Cod. Rozr.* [4]) nactus *deest in Cod. Aut.* [5]) nepotem suum *Ed. Dobr.* [6]) Uscie *Ed. Dobr.* [7]) sive dum *Cod. Rozr.*

tiones et excubias eundum esset, sive cum hostibus dimicandum, sive ne quid ad obsessos importari posset prohibendum, obibant. Sed et obsessi negligentiam huiusmodi obsidentium, cessando ab eruptionibus et lassos peneque victos se fingendo, amplius nutriebant. In Apostolorum itaque divisionis die, dum soluta omnia in castris obsidentium Wladislaus Ottonis, quosdam etiam stationibus desertis longius a castris progressos, quosdam somno stratos, alios inermes, nonnullos per ebrietatem temulentos, superne ex arce conspexisset, suos ad bellum paucis cohortatus, promittens illos, si paululum adniti vellint, ea die posse fieri victores, in castra hostilia cum omnibus, qui secum obsidebantur, irruit, et tumultuarie inermes agressus, omnes sternit aut fugat, maioremque quam pro numero stragem, cunctis pavore perculsis, diffugientibus, edit. Sed et palatinum Posnaniensem Dobrogostium cum pluribus insignibus aliis militibus obtruncat, donec clamore et cohortatione Ducis Wladislai Magni milites globo facto, ipsum de castris, nonnullis etiam suis aut sauciatis, aut cadentibus, in castrum retrocedere compellunt. Qua quidem clade Wladislaus Lyaskonogi deterritus, altera die motis castris obsidionem solvens, abiit. Sed Wladislaus Ottonis et Swantopelkonis affinis, sui et aliquorum militum, qui suae parti favebant, fretus potentia, patruum insecutus, Posnaniense et Calissiense castra et civitates, quae suae sortis erant, dedentibus se castellanis et civibus, comprehendit et omnia, quae ditionis suae erant, recuperat, horrea [1]) in Myedzwyedz et in aliis pluribus locis vastat, praedatur et incendit, et Maioris Poloniae terras pluribus incursionibus et spoliis affligit.

Grzimislawa consors Lestkonis Albi Ducis et Monarchae Regni Poloniae, filium pulcherrimum apud arcem Novae civitatis Korczin enixa est: cuius nativitas in magnum gaudium cessit. Baptisatus autem a fratre Gerardo [2]) provinciali ordinis Praedicatorum et fratre Artnugo [3]) eiusdem ordinis et Satrapis Regni, Boleslaus vocatus est, patre Lestkone iubente.

Translatio monasterii Kaczicensis in Mogilam et fundatio monasterii ordinis Praedicatorum Sancti Iacobi in Sandomiria per Ivonem episcopum.

Cracoviensis episcopus Ivo monasterii in Kaczicze ordinis Cisterciensis, quod nuper fundaverat, conditionem meliorem effecturus, cum intelligeret situm loci parum idoneum pro monasterio fore, de sui Capituli Cracoviensis consilio et assensu, in villam paternae sortis Mogilam prope fluenta fluminis

---

[1]) horrea Senis *Cod. Aut.* horreaque *Cod. Rozr.* [2]) Herardo *Cod. Rozr.* [3]) Artungo *Cod. Rozr.*

Wislae, locum uberem et egregium et pluribus commoditatibus refertum, illud transfert, nonnullas decimas manipulares mensae episcopalis in oppido Dobschicze [1]) et villa Winari [2]), villisque aliis circum Dobschicze [3]) situatis, eidem monasterio donat, pulcherrimoque opere partim ex dolata petra, partim ex cocto latere, tam ecclesiam, quam monasterium aedificat pulcherrimae compositionis et dotationis venustate, et honori beati Pauli Apostoli illud dedicat et intitulat. Quod quidem salutiferum opus, cuius tunc iacta funt fundamenta, non sine amplissima praefati pontificis laude, temporum successu prosperatum, etiam in diem hodiernam, propitia Divinitate, in religionis cultura et temporalium affluentia perseverat. Praefatus insuper Ivo episcopus anno eodem secundum monasterium ordinis Praedicatorum, sub titulo beati Iacobi in Sandomiria erigit, et fratribus loco consignato, etiam ecclesiam, cellas et monasterii officinas fratribus construxit.

Celebravit et hoc anno Vincentius archiepiscopus Gnesnensis Synodum in ecclesia Sancti Blasii: ubi contentione de prima sessione inter Ivonem episcopum Cracoviensem et Laurentium episcopum Wratislaviensem exorta, Ivone episcopo Cracoviensi ius suum per privilegia apostolica probante, Laurentio episcopo Wratislaviensi nihil opponente aut producente, de loco tamen cedere nolente, Ivo ex Synodo recessit.

Iohanni episcopo Ploczensi succedit Gunterus.

Iohannes Ploczensis episcopus, cum annis quatuor sedisset, obiit, a podagratica vexatus passione. Cui per electionem canonicam Gunterus canonicus Ploczensis successit, nobilis de domo Prussorum, a Vincentio Gnesnensi archiepiscopo apud Zneinam [4]), Cunrado Masoviae [5]) Duce consentiente, confirmatus et consecratus.

Honorius Papa tertius, cum annis undecim, mensibus duobus, diebus tredecim, in Pontificatu Romano sedisset, Romae moritur et in ecclesia Mariae maioris honorifice sepelitur. Cui Hugolinus [6]) episcopus Cardinalis Ostiensis [7]), natione Campanus, frater ordinis Praedicatorum, Gregorius nonus appellatus, apud Septisolium [8]) electus, nona Martii succedit: qui multas a Friderico Imperatore pertulit adversitates.

---

[1]) Dobczyce *Ed. Dobr.* [2]) Viniari *Ed. Dobr.* [3]) circa Dobczyce *Ed. Dobr.* [4]) Znenam *Cod. Rozr.* [5]) Masoviae et Cuiaviae *Cod. Rozr.* [6]) Hugolanus *Cod. Rozr.* Hugolmus *Cod. Lis.* [7]) Hostiensis *Cod. Rozr.* [8]) Septifolium *Ed. Dobr.*

ANNUS DOMINI 1227.

Swantopelkus elatus petit a Lestkone Pomeraniam: qua negata, negat et ipse tributum. Eo cognito, Lestko indicit conventum et iubet venire Swantopelkum; qui intellecta re, cum consilio Wladislai Ottonis, Lestkonem Album cum Duce Henrico in balneo aggreditur et Ducem Lestkonem inopinato interficit, Henricum vulneratum fide servi relinquens.

Et affinitate, quam cum Wladislao Ottonis Maioris Poloniae Duce per sororem habebat [1]) Swantopelkus Pomeranorum capitaneus, et plurimis opibus terra marique in praefectura Pomeraniae quaesitis, nec non et successuum felicitate, qui et sibi et Wladislao Ottonis provenerant, in singularem pompam elatus, dominum et Principem suum Lestkonem Album Cracoviensem et Sandomiriensem Ducem, cuius vice et autoritate honore praefecturae apud Pomeranos fungebatur, per se et crebras legationes sollicitare coepit, quatenus illum in Ducem Pomeraniae creare et sibi usum purpurae, titulumque Principatus Pomeraniae, superiori dominio sibi reservato, concedere dignaretur: Boguslaum [2]) de armis Griffonum, quem inferiori Pomeraniae et Kassubitis [3]) liberalitas Boleslai Krzywousty Polonorum Ducis, filii Wladislai, ex barone in Principem creaverat, cuiusque filios et nepotes in terris ipsis Principatum gerere videbat, sibi et Duci Lestkoni proponens in exemplum. Sed dum Lestko Albus petitionem ipsam velut frivolam et temerariam damnaret, et plurimum ob id contra Swantopelkonem irarum conciperet, Swantopelkus repulsa irritatus ad defectionem spectare coepit, tributaque ex Pomerania Lestkoni Albo solvi solita, mittere intermisit. Cuius rebellionem et contumaciam Lestko Albus, antequam altius serperet, coalesceretque, in ipsis initiis oppressurus, communicato cum Henrico cum barba Slesiae et Wratislaviensi Duce (in quo rerum et actionum suarum ex familiaritate pridem contracta sumpserat, locaveratque fiduciam) consilio, apud Ganszawam [4]) praedium monasterii Trzemesznensis prope oppidum Zneinam [5]) situm, pro die Sancti Martini indicit, celebratque conventum, iubens Swantopelkonem Pomeraniae praefectum illi personaliter interesse, specie quidem, ut rebus publicis [6]) Polonorum velut Monarcha provideat et illis stabilimentum firmitatemque imponat; re autem vera, ut Swantopelkonem illuc sine suspicione advenientem opprimat, corripiatque, et terris Pomeraniae, in quibus se admodum firmave-

[1]) habebat *deest in Cod. Aut.* [2]) Hic *Ed. Dobr.* [3]) Kaszubiae *Cod. Rozr.* [4]) Zanzauam *Cod. Rozr.* [5]) Znenam *Cod. Rozr.* [6]) Reipublicae *Ed. Dobr.*

rat, in suumque nomen milites iurare impulerat, sine bello et armis exueret. Verum Swantopelkus Pomeraniae praefectus, ut erat vir et prudentia et calliditate rara pollens, conventum apud Ganszawam non contra alium, nisi se et suum periculum (prout erat) indictum ratus, omni humanitate abiecta, cum affine suo Wladislao Ottonis, in Lestkonis Albi et Henrici cum barba, quem cum Lestkone Albo venturum agnoverant, caput conspirant, clandestinasque conflant insidias: ad quas perpetrandas Wladislaus Ottonis Maioris Poloniae Dux, quamvis Lestkoni Albo et Henrico cum barba propinquo consanguinitatis gradu coniunctus, compertus est aspirasse, Swantopelkone Pomeraniae praefecto, ad permulcendum animum eius, universi Regni Poloniae Principatum, Lestkone et Henrico sublatis, destinante. Cum itaque ad diem Sancti Martini constitutam Lestko Albus, fraudem et dolum abesse putans, conficiendae quoque rei et recuperandae Pomeraniae studio captus, et Henricus cum barba Slesiae, ac [1]) Cunradus Masoviae Duces in Ganszawam pro tenendo conventu cum baronibus, militibusque et frequentia hominum convenissent, et diebus aliquot cum Wladislao Ottonis Maioris Poloniae Duce in continuis de stabilienda inter eum et Wladislaum Magnum Lyaskonogi patruum suum, Gnesnensem Ducem, pace versarentur tractatibus, in insidias praecipitati sunt. Dum enim praefati Duces a Pomeranis satisfactionem de grassaturis et damnis, quae per frequentes insultus cum Wladislao Ottonis in terris Poloniae [2]) fecerant, peterent, alioquin iniurias propulsando, minarentur terram Pomeraniae hostiliter se invasuros, Swantopelkus Pomeraniae praefectus venire differens, adventum suum Duci et domino suo Lestkoni Albo intimabat, frequentibus nuntiis explorandae [3]) rei, quae in Ganszawa gereretur, gratia, quam pro sui excusatione transmissis. Iam quarta, ex quo in Ganszawa Duces convenerant, agebatur dies, et plurimarum rerum expeditione perfecta, balnea ad curandum, abluendumque corpora intraverant, cum subito Swantopelkus Pomeraniae capitaneus opportunitatem temporis per exploratores sibi declaratam, in suffragium sui doli habiturus, nusquam magis nocere se Duci Lestkoni ratus, quam cum amicus putaretur, cum gentium ex Polonis et Pomeranis collectarum multitudine supervenit, et hostiliter tam hospitia, quam tabernacula ducalia et militaria irrumpens, singulos sibi resistentes obtruncat. Cuius rei periculo Duces in balneo consistentes [4]) intellecto, Lestko quidem Albus, velut corpore iuvenili vegetior, de balneo exilit, et equo a suis sibi ministrato, conscenso, versus villam Marczinkowo, paucis illum comitantibus fugere coepit. Quem Swantopelkus omnibus aliis praeteritis, velut praedam dudum [5]) concupitam insectatus, suos omnes in illius necem

---

[1]) Slesiae, ac *deest in Cod. Aut.* [2]) Maioris Poloniae *Cod. Rozr.* [3]) magis explorandae *Cod. Rozr.* [4]) existentes *Cod. Rozr.* [5]) diu *Ed. Dobr.*

exhortabatur, asserens omnem triumphum suum in illo uno corpore consistere. Itaque pauci a multis undique coarctati, quamvis diu satisque et strenue luctarentur, ad extremum tamen omnes una simul cum Duce et domino suo Lestkone Albo a nefario proditore perimuntur. Tanta autem fuit Swantopelkonis et suorum ad delendum stirpem regalem et eorum, qui secum una venerant, rabies, ut non solum in milites et armatos, sed etiam in nudos et eos, qui in balneo constiterant [1]), saevirent. Henricus enim cum barba Wratislaviensis et Slesiae Dux a carnificibus in balneo comprehensus, aliquot sauciatur vulneribus, qui et ipse tunc occubuisset, nisi miles [2]) suus, vocatus Peregrinus de Weszinburk [3]), mira fide, miraque devotione in dominum et Principem suum usus, corpus ducale suo tegens, obstitisset: qui tandem multis vulneribus confossus, in terramque procidens, etiam cadaver [4]) exanime in corpus ducale superiecit, et uterque mortuus creditus, saevitiam carnificum remisit. Maximae profecto et plus quam rarae miles [5]) in Principem suum fidei, qui occidendi Principis in se necem transtulit et spontaneum se pro vita domini sui constituit vicarium. Poterat et Lestko Albus Dux Cracoviensis mortem evasisse [6]), si aeque fortem, aeque fidum in sua cohorte, iuxta ac Dux Henricus, nactus foret militem; cuius quidem militis Peregrini fidem aestimare verbis arduum est, qui se primum vulneribus, deinde morti ipsi pro suo Principe obiecit, seque quam Ducem suum occidi passus est, meritus ut per omnium ora extensa laudationis materia caneretur. Magna et in alios ea die, quae fuit quatuordecima Novembris, strages edita est, quasi illico Swantopelkus cum Wladislao Ottonis in Polonia essent regnaturi. Corpus Lestkonis Albi in Cracoviam per suos, qui superstites remanserant, relatum, in ecclesia Cracoviensi cum maximo luctu planctuque sepulturae mandatum est; Swantopelkus non secus quam hoste, Principe et domino suo caeso, neque sceleris poenituit, neque aliqua re funus suum cohonestavit [7]), ab eo quoque die se Pomeraniae Principem legitimum gerere coepit. Henricus lectica vectus Wratislaviam revertitur, de vulneribus inflictis brevi curatus, spectatae fidei militem Peregrinum semper commendans, prolem suam larga extulit donatione. Interfuerunt autem huic colloquio in Ganszawa habito Vincentius Gnesnensis archiepiscopus, Ivo Cracoviensis, Laurentius Wratislaviensis, Michael Wladislaviensis, Paulus Posnaniensis, Laurentius Lubuczensis, episcopi, Gunterus electus Ploczensis et barones quam plurimi.

---

[1]) consisterant *Cod. Roer.* [2]) quidam miles *Cod. Roer.* [3]) Weysemburg *Cod. Roer.* Wiszenburgk *Cod. Lig.* Weszemberg *Ed. Dobr.* [4]) cadaver suum *Cod. Roer.* [5]) miles iste *Cod. Roer.* [6]) evadere *Ed. Dobr.* [7]) honoravit *Ed. Dobr.*

ANNUS DOMINI 1228.

Cunradus Masoviae et Henricus cum barba Slesiae Duces pro tutoria et Monarchia certant prope Cracoviam: Henrico duplex victoria cessit, quem Cunradus postea astu capit. Hunc beata Hedvigis uxor sua, Masoviam veniens, consiliis suis liberat, et cedens de Monarchia Cunrado, etiam affinitatem cum eo iunxit.

Crudeli et infausta nece Lestkonis Albi per Swantopelkonem Pomeraniae praefectum de scitu et annuentia Wladislai Ottonis Maioris Poloniae Ducis [1]) secuta, mox novum bellum, novaque arma inter Duces superstites, Cunradum videlicet Masoviae, germanum Lestkonis Albi, ab una, et Henricum cum barba Slesiae et Wratislaviensem [2]), partibus ab altera concitantur, utroque Polonorum Monarchiam et Lestkonis puerorum curam ad se rapere festinante. Et Cunradum quidem Masoviae Ducem [3]) Lestkonis defuncti germanitas [4]), Henricum vero Slesiae Principem [5]) annositas, quod natu maior esset, et Ducissae Grzimislawae relictae Lestkonis Albi, et nonnullorum Cracoviensium baronum, et signanter Marci Cracoviensis, Pakoslai Sandomiriensis palatinorum, et cognatorum eorum, partem Ducissae Grzimislawae sequentium, crebro ingeminatae preces concitabant [6]), quae [7]) Cunradi Masoviae Ducis tyrannidem perosa, se, filiumque parvulum Boleslaum et filiam Salomeam, et eius Principatus atque terras in tutelam et gubernationem Henrici Slesiae Ducis commendabat, petens se et parvulos a gubernatione Cunradi eripi et vindicari. Ex hac itaque occasione et causa civili et domestico inter Duces praefatos bello subsecuto, uterque cum gentibus ius suum armis defensurus, versus Cracoviam advenit, factaque est provincia Cracoviensis sedes belli. Et arcem quidem et civitatem Cracoviensem Ducissa Grzimislawa cum filio obtinebat, non permittens Cunradum et suos contingere illam. Henricus vero Slesiae Dux duas novas munitiones, unam [8]) prope oppidum Skalam in colle, quem Prandnik fluvius praeterfluit, et cuius in hanc diem ostentantur reliquiae, alteram in Mezboze [9]) erexerat, et forti praesidio militum imposito, etiam universam Cracoviensem provinciam occupaturum se sperabat. Cunradus itaque Masoviae Dux [10]), maximi momenti fore, et ad victoriam spectare credens, si novas munitiones per Henricum erectas deiiceret, ad oppugnandam munitionem prope Skalam sitam copias ducit: ubi illi Henricus Slesiae Dux [11])

---

[1]) Ducis *deest in Cod. Aut.* [2]) Wratislaviae Ducem *Cod. Rozr.* [3]) Ducem *deest in Cod. Aut.* [4]) germanum *Ed. Dobr.* [5]) Principem *deest in Cod. Rozr.* [6]) concitabant *deest in Cod. Aut.* [7]) Grzimislawa enim *Cod. Rozr.* [8]) unam videlicet *Cod. Rozr.* [9]) Meshese *Cod. Calv.* Merbore *Ed. Dobr.* [10]) Dux *deest in Cod. Aut.* [11]) Dux *deest in Cod. Aut.*

occurrens, durum praelium secum committit, et plurimis hinc inde cadentibus, filius quoque Cunradi Masoviae Ducis [1]) Premislaus adolescens inter primos pugnans occubuit, Cunradus signo receptui dato, pro victo abiit, et laus victoriae penes Henricum remansit. Cladem autem et ignominiam tunc acceptam Cunradus Masoviae Dux correcturus, versus alteram munitionem Mezboze [2]), fortunam belli ex loco tentaturus, advenit. Sed fortuna sua cum loco mutata non est: maiori enim caede ab Henrico Slesiae Duce et suis prope villam Wroczirzisz [3]) conflictus [4]), in proximas silvas et colles refugit, et utramque munitionem inexpugnatam, pluribus de suis aut occisis, aut captis, reliquit. Duobus adversis praeliis Cunradus Masoviae Dux ab Henrico Slesiae Duce [5]) fusus, fugatusque in Masoviam secesserat, ad reintegrandum de novo bellum milites in supplementum lecturus. Verum cum in eam militiam aegre et minus obedienter suos transire, tempus quoque aestatis transfluxisse animadverteret, omnem apparatum bellicum ad dolos et ingenia convertit, facilius se illis quam armis ratus Henricum Slesiae Ducem [6]) adversarium suum oppressurum. Iam siquidem Henricus Slesiae Dux [7]) debellatum, pro Monarchia et Cracoviensi Principatu, hostem [8]) credens, filium suum Henricum cum copiis in Slesiam, colonis ab utroque exercitu vexatis compassus, remittens, securus et tranquillus in Cracoviensi Ducatu, fidos sibi et puros singulorum animos reputans, obversabatur. De quo Cunradus Masoviae Dux ab exploratoribus certior factus, in Cracoviensem provinciam advenit, et faventibus illi nonnullis Cracoviensibus militibus ad novandum [9]) res proclivis, Henricum Slesiae Ducem in Spithkowicze consistentem et auditioni missae deditum, in ecclesia captivat et in Masoviam ad castrum Ploczense, et, ut alii asserunt, in Czirzsko [10]) deportat captivatum. Verum cum Henricus filius suus, qui Annam Ottokari alias Przemislai Bohemiae Regis filiam ex secunda uxore Constantia et [11]) filia Regis Hungariae, nomine, genitam habebat in uxorem, et quatuor filios, videlicet Boleslaum, Wladislaum, Henricum et Cunradum, et quinque filias, videlicet Hedvigim, Agnetem, Constantiam, Elisabeth et Gertrudim ex eadem suscepisset, paternam liberationem effecturus, grandem exercitum tam ex propriis militibus, quam mercede conductis congregasset, hostili vexatione Masoviam et Cuiaviam, ni pater in libertatem restitueretur [12]), invasurus: beata Hedvigis plurima mala, clades videlicet, neces, sanguinis christiani profluvia, desolationes, exustiones, vastitatesque [13]) terrarum, et agrestium pauperumque hominum oppressiones et angustias ex-

---

[1]) Ducis *deest in Cod. Aut.* [2]) Merbore *Ed. Dobr.* [3]) Wiwczirzisz *Cod. Calv.* [4]) conflictus, cum suis *Ed. Dobr.* [5]) Duce *deest in Cod. Aut.* [6]) Ducem *deest in Cod. Aut.* [7]) Dux *deest in Cod. Aut.* [8]) hostem *deest in Cod. Aut.* [9]) innovandum *Cod. Rozr.* [10]) Czyrsko *Ed. Dobr.* [11]) ex *Cod. Aut.* [12]) restauraretur *Ed. Dobr.* [13]) vastationesque *Cod. Rozr.*

inde orituras aversura, in Masoviam se personaliter contulit, et Cunradum Ducem Masoviae apud Ploczko, vel ut aliis placet, apud Kruszwicza et Czirzsko adiens, funestum Martem iam tonantem extinxit. Ad eius siquidem conspectum Cunradus Masoviae Dux omnem, qua flammabat, ferocitatem deposuit, et quasi victus, quodamque terrore correptus, omnibus suis votis et precibus se morem gesturum repromisit. At illa Deo inspirata non solum Henricum Slesiae, virum suum, et Cunradum Masoviae Duces dissidentes, prudentia qua pollebat reconciliavit, sed etiam affinitatis iura, quo inpost quietiores essent, inter ipsos connexuit. Cessit siquidem Henricus cum barba Slesiae Dux de iure Monarchiae et tutoriae Cunrado, renuntians iuri quod sibi in illis quaesiverat, captivosque Cunradi libertati restituit, renuntiationemque ipsam corporali firmavit iuramento; duas vero neptes suas, Henrici videlicet filii sui filias ex Anna filia Regis Bohemiae susceptas, videlicet Constantiam et Gertrudim, filiis Cunradi Kazimiro et Boleslao desponsat in uxores: Kazimiro Constantiam et Boleslao Gertrudim. His itaque pactis et conditionibus, et beatae Hedvigis feminae iam tunc in operibus famosae meritis, bellum acerrimum gestum et gerendum sublatum est, et Henricus Slesiae Dux [1]) ex captivitate solutus [2]) in Slesiam rediit, Cunradus vero Masoviae Dux [3]) se et Monarcham, et puerorum Lestkonis tutorem, Grzimislawa matre eorum nequicquam adversante, repugnanteque, gerere coepit. Gregorius tamen Papa nonus Henricum Wratislaviensem Ducem [4]) ab huiusmodi iuramento, tanquam per vim exacto absolvit.

In magna multitudine, et quae vix aestimari poterat, Thartari Russiae terras ingressi, plurima mala, caede et flamma in illis committunt, et universam terram Rzeszanska vastant, spoliant, Duceque Rzeszanorum occiso, etiam senes et impuberes necant, caeteram multitudinem captivam in servitutem abducunt, castraque conquisita incendunt. Neque his contenti, iterum in anni huius hieme in terram Szuszdali [5]) adveniunt, et terra universa pervastata, etiam Gregorium Ducem et filios eius, pluresque alios Szuszdalorum Duces interficiunt, et Wladimiro Duci castrum Rostow auferentes, arcem incendunt, et captivis plurimis atque praedis pro libito potiuntur.

Fundatio monasterii ordinis Praedicatorum in Gdansk.

Vicesima tertia Ianuarii, Swantopelkus [6]) Pomeraniae Dux, de consilio et assensu Michaelis Wladislaviensis episcopi, fundat et erigit monasterium

[1]) Dux *deest in Cod. Aut.* [2]) liberatus *Cod. Rozr.* [3]) Dux *deest in Cod. Aut.* [4]) Ducem *deest in Cod. Aut.* [5]) Susdali *Ed. Dobr.* [6]) Swyanthopelcus *Cod. Aut.*

ordinis Praedicatorum, sub titulo et honore Sancti Nicolai, in civitate sua Gdansk, et locum praedictum libertatibus et privilegiis insignivit [1]).

Przemislaus alias Ottokarus Bohemiae Rex valetudinarium et morti proximum se intelligens, filium suum Wenceslaum ex Constantia sorore Belae Hungariae Regis, quam legitima et priori uxore Adla vivente superduxerat, susceptum, in ecclesia Pragensi in Regem, consortem vero eius Kunegundim, Philippi Ducis Sueviae in Regem Romanorum in discordia electi filiam, in Reginam per Sifridum archiepiscopum Maguntinensem in Dominica Quadragesimae ordinavit se spectatore inungi et coronari.

In villa Brzesko, oppido Brzesko propinqua, ad fluenta Wislae, monasterium fratrum ordinis Praemonstratensis fundatur [2]), et in dotem illi conferuntur villae et decimae [3]), videlicet [4]) Brzesko oppidum [5]) et villa.

Gregorius Papa nonus beatam Elisabeth Andreae Regis Hungariae filiam et Ludovici Lantgravii Thuringiae relictam, canonizat: cuius sacrum corpus Fridericus Romanorum Imperator in Marpurg [6]) hospitali, quod vivens fundaverat et dotaverat [7]), de tumulo, associatis pluribus pontificibus et Principibus, cum magna solennitate et gloria levat, et pro testa capitis sui ornanda auream coronam donat.

ANNUS DOMINI 1229.

Ulturus Wladislaus Lyaskonogi iniuriam a Wladislao Ottonis acceptam, cum valido exercitu ipsum profligat et capit; qui tandem fugiens ad Swantopelkum, ipsumque contra patruum ducens, prae terrore illum fugere cogit et omnes terras occupat.

Concordia Ploczkam inter Henricum Slesiae et Cunradum Masoviae Duces, per beatam feminam Ducissam Hedvigim Henrici consortem, et eius solertissimam interpositionem celebrata, gravique et infausto bello civili extincto, rursus aliud bellum inter Maioris Poloniae Duces, Wladislaum Lyaskonogi [8]) patruum, et Wladislaum Ottonis nepotem, exarsit. Proprio siquidem et externo milite Wladislaus Lyaskonogi adiutus, venit contra Wladislaum

---

[1]) *Rem hanc de erectione monasterii ordinis Praedicatorum in Gdansk, Codd. Aut. et Lis. ad annum 1228; Codd. Calv. Rozr. et Edd. Dobr. Lips. vero sub 1226 ponunt: licet privilegium fundationis per Swantopelkum Ducem in die S. Vincentii Levitae, id est, die 22 Ianuarii 1227 datum sit* (Hasselbach et Kosegarten: Codex Pomeraniae diplom. *Nro 160).* [2]) fundat *Cod. Aut.* [3]) decimae manipulares *Cod. Rozr.* [4]) cum *Cod. Rozr.* [5]) Brzesko oppido *Cod. Rozr.* [6]) Marburg *Ed. Dobr.* [7]) munifica largitione dotaverat *Cod. Rozr.* [8]) Lanszkonogi *Cod. Aut.*

Ottonis, iniuriam sibi anno superiori illatam ulturus. Nec Wladislaus Ottonis prioribus fidens successibus detractavit bellum, sed adventanti [1]) patruo cum suis militibus occurrit, et quamvis acriter pugnans, cum esset et robore et numero militum inferior, a Wladislao Lyaskonogi patruo suo victus, pluribus suis desideratis aut captis, etiam ipse Wladislaus Ottonis fugere e praelio turpe ratus, captus est et a patruo Wladislao Lyaskonogi in vincula coniectus. Sed cum processu temporis faventium sibi suffragio captivitatem evasisset, in Pomeraniam ad Swantopelkonem uxoris suae fratrem, qui Lestkone Albo apud Ganszawam occiso, totius sibi Pomeraniae dominatum usurpaverat, solatia ab eo instaurandi contra Wladislaum Lyaskonogi belli quaesiturus, divertit: qui non solum illi gentes suas Pomeranicas concessit, sed etiam personaliter cum eo contra Wladislaum Lyaskonogi venit. Quorum adventu Wladislaus Lyaskonogi deterritus, cum in suis erga se fluxam et ambiguam nosset fore fidem, qui illum propter libidines et spurcitias suas, caeterasque actiones Principe indignas in livore habebant et contemptu, decernere [2]) cum adveniente nepote et hoste infesto, ne a suis desertus captivitatem incideret, non ausus, castris et munitionibus in Maiori Polonia relictis, discessit et in castrum Rathibor se recepit, a Kazimiro Mieszkowicz Rathiboriensi Duce amice habitus et exceptus. Propter quod Wladislaus Ottonis, militibus et castris se illi prona et obsequenti voluntate dedentibus, et propriam sortem rehabuit [3]) et patruelem occupavit. Habet [4]) et aliorum assertio, quod Wladislaus Lyaskonogi quintadecima Iulii fortiter dimicans, succubuit et fugere turpiter confusus est coactus, palatino Posnaniensi cum multis aliis interfecto.

Ivo Cracoviensis episcopus gratus Pontifici Romano Gregorio nono pro rehabenda ecclesiae suae metropolitica dignitate, ad eum vadit, omnibusque obtentis, dum Romae exiret, Mutinae moritur. Cuius corpus per fratres ordinis Sancti Dominici Cracoviam defertur.

Cracoviensium antistes [5]) Ivo aliquot monasteriorum in sua diocesi, videlicet in Mogila, in Dlubnya, in Msthow, item hospitalis pauperum in Cracovia, item ecclesiarum parochialium in Dzyerzaszna [6]), Wawrzinczicze et Dalyeschicze, Sancti Pauli in Sandomiria fundator et dotator, splendorem metropoliticum ecclesiae suae Cracoviensi, ab aliis praedecessoribus suis neglectum, satagens restituere, optimum et oportunum tempus ratus, quo restitutio ipsa posset provenire, in Italiam ad Gregorium Papam nonum, sibi

---

[1]) advenienti *Cod. Rozr.* [2]) decertare *Cod. Rozr.* [3]) obtinuit *Ed. Dobr.* [4]) Habebat *Cod. Rozr.* [5]) Cracoviensis episcopus *Ed. Dobr.* [6]) Dzierzązna *Cod. Rozr.*

multipliciter propter communionem familiaritatis et amicitiae in studio Parisiensi, dum ambos minor haberat status, contractam, favorabilem et affectum, se contulit, tyrannidem etiam Cunradi Masoviae Ducis, qui in Cracoviensi et Sandomiriensi Ducatibus tutorio nomine principabatur, cum quo tum pro Ecclesiae, tum pro militarium iniuriis in plures simultates devenerat, declinans. Et cum Papam Gregorium, cuius erat in studiis Galliarum apud Parisios charus socius et singulari familiaritate obstrictns, in Perusio reperiisset, maximo honore, obviam illi multis praelatis mandato Papae euntibus, et exceptus et habitus est, et dignitas et praeeminentia metropolitica ecclesiae Cracoviensis facile, Gregorio Papa precibus suis morem gerente, restituta. Verum dum devotione ferventi provocatus, obtenta a Gregorio licentia, Romam ad visitandum Sanctorum limina venisset, febribus correptus est: a quibus nondum liberatus, Roma egressus, et itineris labore et solis ardore ingravavit aegritudinem. Et cum in Pristinum Burgum devenisset, vicesima prima mensis Iulii, exactis duodecim in pontificatu annis, moritur et in Mutinensi maiori ecclesia a familiaribus suis iusta funeri solventibus, sepelitur. Ossa tandem eius post aliquot annorum spatium per fratres Praedicatores domus Cracoviensis, quam (ut in superioribus [1]) narravimus) ipse fundaverat, ex Mutina Cracoviam afferuntur et in medio chori monasterii Sanctae Trinitatis reconduntur.

Frequens Thartarorum [2]) multitudo in Smolnensem et Czirnyeoviensem [3]) regiones adveniens, eas crudelissima caede et spoliis, nulli parcens aetati, quatit et pervastat. Castris autem et fortalitiis plurimis, ex quibus et Duces et milites diffugerant, consistere in illis non ausi, potita, ea incendit. Et nullam resistentiam sentiens, singulis a facie eorum in paludinosa et invia, silvestriaque loca se subducentibus, onusta captivorum multitudine atque praeda, in sua revertitur.

ANNUS DOMINI 1230.

Mortuo Ivone, biennio vacat Cracoviensis sedes propter schisma. Tandem Pontifex Vislao canonice electo ad preces Ducis Henrici providit; et ecclesia Cracoviensis comburitur.

Optimo et heroicae conditionis viro Ivone Cracoviensis ecclesia destituta viduataque pontifice, cum propter illius mortem singulari confecta esset anxietate et moerore, duplicem super haec miserabilem et detestandum casum

---

[1]) ut supra *Ed. Dobr.* [2]) Tatarorum *Ed. Dobr.* [3]) Czernieioviensem *Cod. Rozr.*

excepit: divisionis unum, conflagrationis alterum. Quamvis siquidem [1]) Capitulum Cracoviense de substituendo altero episcopo Vislaum canonicum Cracoviensem et natione Polonum, genere nobilem de armis Zabawa, vitae quoque spectatae et doctrinae elegisset, Rudolpho [2]) tamen cantore Romano, et Magistro Andrea canonico electioni suae quamvis canonicae adversantibus, ingens et monstruosa divisio in ecclesia Cracoviensi integro vigebat biennio. Praefatus enim Magister Andreas, qui cum Ivone episcopo Italiam transierat, assistente sibi Rudolpho Romano, obtinuit sibi de episcopatu Cracoviensi per Papam provideri, et ob hoc, causa Vislai commissa et per biennium pendente, differtur consecratio. Sed Henrico Duce Cracoviensi et Wratislaviensi, qui Cracoviensem Ducatum, absolutus a Papa de iuramento, recuperaverat, interpositionem suam apud Papam faciente, electio confirmatur Vislai, provisione Magistri Andreae cassata: propter quam et confirmatio Vislai apud Sedem Apostolicam et consecratio ex huiusmodi causa fuit per biennium non sine maximo Cracoviensis ecclesiae dispendio et substantiarum evisceratione impedita et protelata. Vislaus praefatus episcopus de domo Zabawa fertur fuisse, et ecclesiam parochialem in Kosczyelyecz prope Proschowicze, pulchro petrae tabulato [3]), quod villa ipsa patrimonium suum fuerat, aedificasse. Cuius progenitores, quia ex terra Pomeraniae in Cracoviensem [4]) advenerant, pro advenis habebantur, et maior invidia Vislao in sua electione propterea oriebatur. Dum insuper sub hac contentione turris ecclesiae Cracoviensis sumptibus Ivonis episcopi et sui testamenti executorum sollicitudine, plumbo tegeretur, operario negligentius ignem tractante, carbo ignitus ex foco fortuito decidit, et proxima laquearia arida reperiens, facile nocte incendit, universamque ecclesiam, roboratum ignem pluribus mortalibus nequicquam constringere [5]) aut inhibere audentibus, conflagravit [6]).

Wladislaus Dux filius Ottonis, assumptis sibi in auxilium quibusdam Poloniae militibus, et signanter Albrachto et Laurentio filiis Iohannis, monasterium insigne Mogilno spoliat, praedatur et devastat, ostendens se et a sanguine et a moribus [7]) priscorum Regum, Principum et heroum Poloniae magnopere degenerasse, cum monasteria ab ipsis fundata, ipse deleret [8]).

Decimo octavo [9]) Calendas Ianuarii, Przemislaus alias Ottokarus Bohemiae Rex moritur et in Pragensi maiori ecclesia sepelitur; cui filius suus Wenceslaus biennio ante, iubente patre coronatus successit.

---

[1]) enim *Ed. Dobr.* [2]) Radulpho *Cod. Aut.* [3]) pulchro lapide petrae tabulatae *Cod. Rozr.* [4]) Cracoviam *Cod. Rozr.* [5]) restinguere *Ed. Dobr.* [6]) exussit. *Cod. Rozr.* [7]) a maioribus moribusque *Cod. Rozr.* [8]) *Rem de exustione monasterii Mogilnensis per Ducem Wladislaum filium Ottonis, iam superius ad annum 1225 relatam, autor denuo hicce repetit.* [9]) Decimo Calendas *Ed. Dobr.*

Cunradus Masoviae Dux a Pruthenis lacessitus, vocat Cruciferos et illos primum in Dobrzin locat; postea vero Culmensem et Lubawiensem terras, certis conditionibus per eos non servatis, donat cum maximo Polonorum malo.

Prussiae populis in Regnum Poloniae barbaricam feritatem per clandestinas et subitas invasiones et incendia, abductionesque personarum utriusque sexus in servitutem perpetuam, evomentibus, Cunradus Masoviae Dux, cum terras suas haberet cum eisdem barbaris vicinas et conterminas, multipliciter gravatus et afflictus, septem Fratres Cruciferos de domo Teutonica ordinis Sancti Sepulchri Dominici Hierosolymitani, quorum Hermannus Balke de Salcza [1]) primicerius et Magister habebatur, in sui solatium [2]) ex Almania de consilio Christiani episcopi Culmensis, viri religiosi de ordine Cisterciensi, accersiit. In primario quoque eorum adventu in castro Dobrzin, a quo Fratres Dobrzinenses appellati sunt, ipsos locat; processu vero temporis eis castrum et oppidum Nyeschow cum villis Murzinow, Orlow et cum suis attinentiis donat, largitur et consignat. Cum autem aliquot secundis praeliis usus, adiuvantibus illum Fratribus Cruciferis, stragem ingentem in Pruthenos edidisset, precibus assiduis Henrici cum barba Wratislaviensis et Slesiae Ducis persuasus, de consilio consortis suae Ducissae Agasiae, et filiorum suorum Boleslai, Kazimiri et Semoviti, nec non praelatorum et baronum terrarum suarum, videlicet Gunteri episcopi Ploczensis, Michaelis episcopi Cuyaviensis, Christiani episcopi Culmensis, Pakoslai Comitis Derszoviensis, terras Chelmensem et Lubawiae infra fluvios Ossam, Drwanczam et Wrolam [3]) sitas, in quibus barbari Rogow castrum et oppidum et alias munitiones occupaverant, eis inscribit et donat, licet de facto, non de iure: cum in praeiudicium Regni Poloniae donationem ipsam Cunradus Dux non poterat aliquatenus fecisse. Quae quidem donatio etsi pro ea tempestate videbatur salutaris, expost tamen Cruciferis ad occupandum terras residuas Regni Poloniae semper anhelantibus, maxima Christiani sanguinis, Polonis sedes suas naturales defendentibus, secuta sunt profluvia et caedes etiam relatu horrendae commissae. Nec inter Reges et Duces Poloniae praeter praefatum Cunradum extat alius, qui per donationem terrarum praedictarum Nyeschoviensis et Chelmensis, et vocationem Cruciferorum, maiorem cladem, maioremque [4]) pestem ad Poloniae Regnum invexerit, maioribusque bellis Polonos involverit. In ea autem terrarum Culmensis et Lubawiae per Cunradum Masoviae et Cuyaviae Ducem donatione Fratribus Cruciferis facta, id primum et praecipue fuit cau-

---

[1]) Ballie de Salca *Ed. Dobr.* [2]) auxilium *Cod. Rozr.* [3]) *Sic in omnibus Codd. erronee pro* Wislam [4]) aut *Ed. Dobr.*

tum, et ad id se tam Magister Hermannus, quam Fratres Cruciferi patentibus literis astrinxerant, quod Pruthenicae terrae et cuiuslibet alterius sub barbaris conquirendae possessio debebat inter Cunradum Masoviae et Cuyaviae Ducem, suosque filios et successores Poloniae Principes, et Magistrum atque ordinem Cruciferorum ex aequo partiri, et terrarum Culmensis et Lubawiae donatio, terra Pruthenica conquisita, irritari et ad Cunradum Ducem suosque successores pleno iure devolvi. Ordinatio quoque ipsa et conditiones ei appositae, literarum apicibus fuerunt firmatae, et per nonnullos fide dignos viros apud Ploczenses Duces et eorum cameras visae saepius et tractatae. Reliquit autem Hermannus de Salcza Magister ordinis in locum suum Fratrem [1]) Cunradum de Landisberg, qui cum auxilio Ducis Cunradi Masoviae et gentium suarum in litore Wislae in loco editiori aedificavit castellum, quod vocavit Fogilsang [2]), ex quo coepit Pruthenos impetere et eorum subitas incursiones prohibere. Consultanti autem super donatione terrae Culmensis Cruciferis facienda, Cunrado Masoviae Duci fabula a Trogo descripta, et pene in simili eventu, dum Massiliensium fundaretur civitas, ab uno Regulorum in coniectura perspicacissimo, a consiliariis Polonicis in detractationem eorum, quae conceperat [3]), obiicienda erat. Canem aliquando partu gravidam, locum a pastore precario petisse, in quo partum effunderet. Quo obtento, iterum sollicitasse, ut sibi educare in eodem [4]) loco teneros partus liceret. At postremum adultis catulis, fultam domestico praesidio, proprietatem loci, hero suo excluso, vendicasse [5]). Nec secus Cruciferos egisse, qui suos fundatores sedibus eorum exclusos, regiones [6]) eorum per fas et nefas occupare non pudebant.

ANNUS DOMINI 1231.

Wladislaus Lyaskonogi dum diu castrum Gnesnense obsidet, in Srzeda, nullo relicto haerede, moritur; cui in omnibus Wladislaus Ottonis Dux succedit.

Moram suae expulsionis et exilii, quae in quartum iam annum tendebatur, a Wladislao Ottonis Calissiensi Duce germano nepote patratam, per quam et Ducatu suo et rebus quibuslibet exutus erat, Wladislaus Lyaskonogi Posnaniensis et Maioris Poloniae Dux moleste ferens, et propriorum militum, qui ad eum sub exilii tempore defecerant, et aliquorum voluntariorum, aut aere alieno, aut iudiciis damnatorum nactus solatia [7]), ex Rathiboriensi

---

[1]) fratrem suum *Ed. Dobr.* [2]) Nogilsang *Cod. Calv.* [3]) conceperant *Ed. Dobr.* [4]) eodem *deest in Cod. Aut.* [5]) *Iustini Historiarum ex Trogo Pompeio Lib. XLIII. cap. 4.* [6]) terras *Ed. Dobr.* [7]) auxilia *Ed. Dobr.*

oppido, in quo miserabile illud exilium hactenus egerat, discedens, versus Maiorem Poloniam contendit et castrum Gnesna, quod sui iuris, suaeque sortis erat, obsidione vallavit, sperans non illud solum, sed et castra reliqua se per deditionem brevi recepturum. Verum cum spes non respondisset, et strenue militibus Wladislai Ottonis castrum Gnesnense defendentibus, obsidio in duos menses protracta esset [1]), intra quos nemo ex militibus et subditis suis [2]) notatus est ad Wladislaum Lyaskonogi, omnibus turpes et foedos mores suos abhorrentibus, defecisse, fama quoque non temere orta vulgatum proditumque foret, Wladislaum Ottonis Ducem cum Swantopelkone Pomeraniae domino [3]), socero suo, et validis suis et exterorum copiis pro ferenda obsessis ope propediem adventare: tristis et gemens, fortunamque suam carpens, inexpugnato castro Gnesnensi, pro cuius expugnatione tam vires quam ingenia intenderat, aliquot de suis militibus amissis, obsidionem solvens discessit et in solitum exilii sui locum Rathiboriam remeavit, et anno eodem Quintodecimo Calendas Septembris in oppido Srzoda, tam moerore quam conscientia actorum facinorum gravatus, fato subtractus est et apud Rathiboriam, vel ut aliis placet, in monasterio Lubinensi [4]) sepultus, nulla stirpe derelicta. Ex cuius morte, plena sui Principatus possessio ad Wladislaum Ottonis, velut nepotem germanum, transiit; ipse quoque Wladislaus Ottonis Dux utrumque Ducatum, Posnaniensem videlicet et Calissiensem, et omnem Maioris Poloniae oram pacifice et absque omni insidiarum et defectionis respectu possidere coepit.

Cunradus Masoviae Dux aedificat Thorun et alias arces contra hostes suos Pruthenos.

Cunradus Masoviae Dux cum Fratribus Cruciferis et nonnullis peregrinis in suum solatium [5]) advenientibus, ut amplior et efficacior Pruthenis barbaris opponeretur resistentia, in arbore quercus castrum aedificat, et praesidio tam Fratrum Cruciferorum quam propriorum militum imposito, Pruthenos coepit a vastatione terrarum suarum cohibere. Locavit et tunc civitatem Thorun, quam postmodum in aptiorem transtulit locum. Prutheni vero barbari in eorum praesidiorum, quae Cunradus Dux aedificaverat [6]), destructionem, duo castra erigunt, unum iuxta Wislam ultra Thorun, quod vocabant [7]) Rogow, alind iuxta Thorun in eo loco, ubi nunc antiqua Culmensis civitas [8])

---

[1]) protracta est *Cod. Rozr.* [2]) Wladislai Ottonis *Cod. Rozr.* [3]) Duce *Cod. Rozr.* [4]) Lubucensi *Ed. Dobr.* [5]) auxilium *Cod. Rozr.* [6]) erexerat *Ed. Dobr.* [7]) vocant *Cod. Rozr.* vocatur *Ed. Dobr.* [8]) civitas *deest in Cod. Aut.*

extitit [1]). Fabricat et tertiam munitionem in lacu Pipinus Pruthenus Christianis infestissimus, quae [2]) etiam in diem hanc Lacus Pipini dicitur. Omnia tamen castra praedicta infra paucos dies per Cruciferos Fratres et Polonorum milites fuerunt expugnata, et Pipinus captus: qui ventre aperto ad arborem [3]) per circuitum usquequo evisceraretur, agitatus, vecordiae suae poenas dedit.

Friderici Austriae Ducis expeditio in Bohemiam.

Fridericus Austriae Dux ultum iri satagens iniurias, quas patri suo et Ducatui Austriae Wenceslaus Bohemiae Rex intulerat, cum potentia exercituum suorum Bohemiam invadit: quem in id bellum proficiscentem [4]) Przemislaus Marchio Moraviae, germanus Wenceslai Bohemiae Regis, cum eodem Friderico Austriae Duce confoederatus, item Otto Meraniae [5]) Dux, item Henricus germanus Ducis Meraniae [6]) Marchio de Werd, item Ebrehardus [7]) episcopus Bambergensis, item Bertholdus patriarcha Aquilegiensis, etiam germani Ducis Meraniae [8]), filii Bertholdi Ducis Meraniae [9]), et fratris germani beatae Hedvigis, consortis Henrici Wratislaviensis et Slesiae Ducis, cum suis gentibus comitabantur. Tantus autem et tam fortis exercitus, cui Bohemiae Rex Wenceslaus imparem se videns, resistere et cum illo decernere non audebat, cum et ex Bohemis plures sibi sciret parum fidos, et Przemislonis [10]) Marchionis Moraviae partibus faventes, uno duntaxat castro Wetaw [11]) expugnato et nonnullis damnis irrogatis, propter infirmitatem Friderici Austriae Ducis, qua subito correptus est, in propria parum operatus, rediit.

Guntero episcopo Plocensi Petrus succedit. Vislaus in episcopum Cracoviensem consecratur.

Gunterus episcopus Ploczensis, cum sedisset annis quinque, in Vienna Austriae, Romam pergens, moritur et illic sepelitur. Cui Petrus dictus Romanus successit canonicus Ploczensis per canonicam electionem, de domo Polukoza.

Vislaus electus Cracoviensis consecratur in episcopum Cracoviensem per Vincentium [12]) Gnesnensem archiepiscopum in ecclesia Cracoviensi, sublato

---

[1]) extat. *Ed. Dobr.* [2]) qui *Ed. Dobr.* [3]) roborem *Cod. Rozr.* quercum *Ed. Dobr.* [4]) proficiscentem secutus *Ed. Dobr.* [5]) Moraviae *Cod. Rozr.* [6]) Moraviae *Cod. Rozr.* [7]) Herebrehardus *Cod. Rozr.* [8]) Moraviae *Cod. Rozr.* [9]) Bartoldi Ducis Moraviae *Cod. Rozr.* [10]) Przemislai *Ed. Dobr.* [11]) castro vetero *Ed. Dobr.* [12]) Fulconem *Cod. Aut.*

discidio [1]), quod biennio inter eum et filium Clementis, Magistrum Andream canonicum Cracoviensem, de natione Griffonum, viguerat: Gregorius enim Papa nonus eidem Andreae Romae praesenti, iure suo de Cracoviensi episcopatu providerat. Henrico tamen Wratislaviensi Duce et Cracoviensi interpositionem faciente ad Papam, electio Vislai confirmatur, provisione Andreae cassata.

Andreas Hungariae Rex et beatae Elisabeth pater, cum annis triginta Hungariae Regnum sub tranquillo et felici regimine tenuisset, moritur et in monasterio de Egrus sepelitur. Cui Bela filius eius maior natu successit, pridie Idus Octobris in Alba regali diademate insignitus [2]).

Fundatio monasterii fratrum Praedicatorum in Posnania.

Undecimo Calendas Novembris Paulus Posnaniensis episcopus cum consensu Capituli sui fundat monasterium fratrum Praedicatorum in Srzodka ad sinistram viae, quae ducit de Srzodka in Glownyam [3]), e regione ecclesiae Sanctae Margarethae.

ANNUS DOMINI 1232.

Wladislaus Plwacz Maioris Poloniae Dux multa ecclesiis Gnesnensi et Posnaniensi dedit privilegia atque libertates.

Beneficia divina Wladislaus Ottonis, qui et Plwacz cognomen a nimio sputamine sortitus est, Maioris Poloniae Dux, frequentius in eum, et in dirae captivitatis evasione, et in hostium debellatione collata, repensurus, cum et ex obitu patrui sui Ducis Wladislai Lyaskonogi quies optima et Principatuum amplitudo, et ex consorte legitima, Swantopelkonis Pomeraniae Ducis sorore [4]), duo elegantes filii Przemislaus primus et Boleslaus Pius, rarum quidem, sed multiplex bonum provenisset, duabus ecclesiis cathedralibus, Gnesnensi videlicet et Posnaniensi, sub ditione sui Ducatus consistentibus, magnas libertates, immunitates et privilegia donavit et concessit, absolvendo praefatarum ecclesiarum villas habitas et habendas et earum incolas ab omni solutione, servitute, datia et onere, quae olim Duci et eius camerae praestabantur, et ab omni sua, suorumque palatinorum, castellanorum, iudicum et

---

[1]) dissidio *Cod. Rosr.* [2]) *Mentio de morte Andreae regis Hungariae, per errorem forsan hicce posita, repetitur ab autore in genuino loco ad annum 1235.* [3]) Glogoviam *Ed. Dobr.* [4]) filia *Cod. Aut.*

officialium, a qualibet ordinaria et extraordinaria iurisdictione, et omne ducale ius, quod sibi in bonis ecclesiarum praefatarum hactenus competebat, in Petrum Gnesnensem archiepiscopum et Paulum Posnaniensem episcopum, eorumque successores conferens et transfundens, potestatem etiam monetam fabricandi et venationes in bonis ecclesiarum exercendi, quod soli [1]) tunc congruebat Principi, utrique pontifici attribuens. Donavit praeterea Posnaniensi ecclesiae et eius episcopo Paulo villam Sulkowa Krobya, largos praebentem introitus: quapropter paternum corpus Ottonis Ducis et Boleslai magni primi Regis, et aliorum Regum Poloniae cadavera in ea condita, in qua et ipse sepulturam sibi destinabat, huiusmodi singulari donatione voluit amplius efferre [2]).

Laurentio episcopo Wratislaviensi succedit Thomas, et Vincentio archiepiscopo Gnesnensi Petrus.

Laurentius Wratislaviensis episcopus, cum annos quinque et viginti sedisset, Septimo Idus Iunii [3]) in Prichow moritur et in ecclesia Wratislaviensi sepelitur. In cuius locum Thomas Polonus natione et genere nobilis, per electionem canonicam substitus est et per Vincentium archiepiscopum confirmatus. Qui non solum propter nobilitatem generis (de stirpe enim Koszlyarogy [4]) ducebat genus), sed etiam propter scientiae et prudentiae raras, quibus clarescebat, dotes, opinione et fama apud proprios et finitimos celebris, in arcem pontificalem sublimari promeruit. Accidit autem praefato Laurentio mors non vulgaris: ex assiduo siquidem et nimio rosarum odoratu morbum rheumatis incurrens, curari non poterat.

Vincentius Gnesnensis archiepiscopus, cum annos prope duodecim sedisset, moritur et in Gnesnensi ecclesia sepultus, per electionem canonicam Petrum habuit successorem. Eadem etiam mortis conditione Gunterus Ploczensis episcopus, annis quinque in pontificatu exactis, absumptus est: qui Cruciferos in subsidium contra Pruthenos acciri et eisdem terram Chelmensem [5]) donari consensit; cui Petrus successit [6]).

---

[1]) sibi *Ed. Dobr.* [2]) asserere. *Ed. Dobr.* [3]) Iulii *Cod. Rozr.* [4]) Kozlerogi *Ed. Dobr.* [5]) Culmensem *Cod. Rozr.* [6]) *Mortem Gunteri episcopi Plocensis iam prius semel autor ad annum 1231 retulit.*

ANNUS DOMINI 1233.

Milites Maioris Poloniae exacerbati in Principem propter libertates ecclesiasticas, rebellant et Henricum cum barba vocant: qui occupat omnem Poloniam, fugiente Wladislao ad Swantopelkonem socerum.

Devotio et liberalitas Wladislai Ottonis Maioris Poloniae Ducis in Gnesnensem et Posnaniensem ecclesias exhibita, mentes et pectora baronum et satraparum Maioris Poloniae tam ingenti anxietate et livore exacerbavit, confecitque, ut primum occisionem illius conspiratione clandestina multifarie molirentur. Sed cum insidiae in illum instructae spei eorum et intentioni non respondissent, Wladislao Duce machinationes illorum solertissime devitante, in apertam rebellionem versi Henricum [1]) cum barba Wratislaviensem et Slesiae Ducem, quem sciebant Wladislao Ottonis Duci suo, propter vulnera apud Ganszawam in occisione Lestkonis Albi Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis accepta, hostem infestum, adeunt [2]) et sibi Principatus Maioris Poloniae tradituros, in eiusque ditionem et obedientiam se uuiversaliter transituros, castraque et munitiones consignaturos, repromittunt. Deditionem autem terrarum Maioris Poloniae tunc sibi impensam Henricus cum barba Slesiae Dux, vir alioquin devotus, religiosus et iustus, quamvis novisset iniustam et ex iniusta et iniqua livoris radice coortam, contra feminae Sanctae Hedvigis consortis suae persuasum, non est aspernatus, ut per occasionem ipsam iniuriarum suarum et vulnerum a Wladislao Ottonis, quem illius stragis et tradimenti, in Ganszawa commissorum, constabat principalem fuisse commentatorem, posset commodius poenas meritas exigere. Quapropter exercitu non mediocri ex propriis et auxiliariis congesto, hostiliter terras Maioris Poloniae, eas utcunque occupaturus, ingreditur. Sciens autem et probe noscens Wladislaus Ottonis animos suorum militum a se alienatos, sibique adversos et infestos esse, cum Henrico Duce Slesiae, velut cum potentiori, congredi veritus, ne a residuis militibus, qui in partibus suis remanserant, aut proderetur, aut desereretur, in castris se continuit, et castris Bnyn et Srzem, ne per Henricum occuparentur, crematis, castrum Gnesnense forti et fideli militum praesidio communivit, et ad socerum suum [3]) Swantopelkonem dominum Pomeraniae, in Pomeraniam divertit. Quapropter castra et civitates principales Maioris Poloniae, Posnaniensis, Calissiensis, Pisdrensis, Srzedensis, item castrum Byechow, per barones et milites Maioris Poloniae Duci Henrico cum

[1]) ad Henricum *Cod. Rozr.* [2]) adveniunt *Cod. Rozr.* [3]) levirum suum *rectius.*

barba deduntur et consignantur: qui illorum possessionem nactus, etiam castra demolita et conflagrata, videlicet Srzem et Bnyn reficit et reparat, militibusque et defensoribus fortibus [1]) communit, datque castra ipsa nepoti suo germano ex sorore, filio Dipoldi Marchionis Moraviae Borziwogio [2]) in tenutam, ut ex illis quoscunque rebelles et inobedientes in terris Maioris Poloniae cogeret in suam ditionem, obedientes vero et deditos in fide contineret. Praefatus siquidem Dipoldus Moraviae Marchio a Wenceslao Bohemiae Rege, re et cognomine Monoculo, fratre suo, ex Moravia pulsus, in Hungaria consenescens obiit. Mater vero eorum Adleydis soror [3]) Henrici cum barba, post mortem mariti ex Moravia per eundem Wenceslaum Regem Bohemiae eiecta, in paternam domum cum quatuor filiis, videlicet Borziwogio, Boleslao, Przemislao et Dipoldo [4]) reversa est. Et Marchionissa quidem Adleydis in monasterio Trzebniczensi degens, mortua est, cuius cineribus alter filiorum Przemislaus brevi matrem secutus, appositus est; ultimus filiorum Dipoldus [5]) sortem clericalem optimam ducens, canonicus Maydburgensis effectus, reliqui duo Boleslaus [6]) et Borziwogius [7]), apud avunculum Ducem Henricum [8]) militarunt.

Wladimirus Kyoviensis Dux, veritus ritum suum Graecum per fratres Praedicatores, videlicet Martinum de Sandomiria priorem Kyoviensem et alios fratres eius, utpote viros religiosos et exemplares pessundari et confundi, praefatos fratres de ecclesia Sanctae Mariae in Kyow ordini praefato consignata, et circa quam habebant conventum [9]), expellit, redeundi facultate eis interminata [10]).

Conradus Dux Masoviae Boleslaum nepotem iam adultum et ad Monarchiam aspirantem, cum matre captivat et primum in Czirsko, postremo in Szyeczyechow concludit.

Epheborum aetate, Boleslaus, qui Pudicus appellari meruit, Cracoviensis et Sandomiriensis Dux, filius Lestkonis Albi, transacta (annum prope quartum decimum [11]) attigerat) et tam suae genitricis Ducissae Grzimislawae, quam Cracoviensium et Sandomiriensium procerum, praecipue tamen Vislai Cracoviensis episcopi instigatione frequenti et persuasu, tutoriam patrui sui Cunradi Masoviae Ducis, sibi et Ducatibus suis plurimum perniciosam et damno-

---

[1]) fortissimis *Ed. Dobr.* [2]) Borzywoio *Ed. Dobr.* [3]) filia *Cod. Aut.* [4]) Wladislao *Cod. Rozr.* [5]) Boleslaus *Cod. Aut.* [6]) Wladislaus *Cod. Aut.* [7]) Borzislaus *Cod. Aut.* Borzywoius *Cod. Rozr.* [8]) apud avunculum suum Henricum Wratislaviensem et Slesiae Ducem *Cod. Rozr.* [9]) suum conventum *Cod. Rozr.* [10]) interminans. *Cod. Rozr.* [11]) quintum decimum *Cod. Rozr.*

sam excutere et se in libertatem vendicare destinabat. Verum Cunradus Masoviae Dux tutoriam sibi a nepote eripi et consuetis introitibus se plurimum dolens spoliari, tam Ducissam Grzimislawam, quam nepotem Ducem Boleslaum Pudicum ad colloquium amicabile, quasi de rebus publicis suorum Principatuum tractaturus, invitat [1]), captivat, et in Masoviam deductos, primum in Czirsko [2]) castro suo forti includit, exprobrans tam matri, quam filio, praecipitanter nimis et immature ad principandi auctoritatem aspirasse. Deinde illos in Syeczyechoviense castrum supra fluvium Wisla in diocesi Cracoviensi situm transportat et arctae deputat custodiae; thesauri sibi [3]) omnem diripit supellectilem, et ad Principatus suos occupandos et ipsum e vita exterminandum, magno conatu intendit [4]). Unde et illum arctae apud Czirsko includit custodiae, et Principatum eius praecipit [5]) occupare. Interim Wladislaus Gnesnensis Dux petitione et consilio Marci palatini Cracoviensis inductus, persuadet Duci Cunrado, ut animo lenitatis nepotem pertractet, nec aliquid in vitam suam aut suorum praesumat machinari. Qui, ut erat consiliis tractabilis, in coenobium Syeczyechoviense eos transmittit, sub diligenti custodia ibidem detinendos, donec deliberet, quem finem praesenti negotio imponat.

Interea [6]) Boleslaus, filius senior Cunradi Masoviae Ducis, terram Sandomiriensem potentialiter ingreditur, et tanquam vacantem occupat, fautores [7]) quidem muneribus demulcens et promissis, contradictores vero emisso edicto proscribens, bona eorum diripens et dissipans, coegit exulare. Quorum quidam in Russiam alii, alii in alias partes, timore mortis fugientes, diverterunt, misericordiam Dei implorantes, ut tyrannidem Boleslai Ducis deprimeret, orphani captivi et desolati [8]) misereatur.

Canonisatio Sancti Dominici.

Gregorius Papa nonus beatum Dominicum, ducem et institutorem ordinis Praedicatorum, Bononiae sepultum, pluribus declaratum [9]) et coruscantem miraculis, Reatae canonisat et Sanctorum ascribit catalogo, a morte eius anno undecimo.

Magister Cruciferorum Hermannus, castro altero Kwyedzin in terra Culmensi aedificato, castrum Wilna, quod in vicinio situm erat, a Pruthenis oc-

[1]) invitans eos *Cod. Rozr.* [2]) Czirnsko *Cod. Aut.* [3]) e thesauris suis *Ed. Dobr.* [4]) animum intendit *Cod. Rozr.* [5]) coepit *Ed. Dobr.* [6]) Interim *Cod. Lig.* [7]) fratres *Ed. Dobr.* [8]) orphanisque et desolatis *Ed. Dobr.* [9]) decoratum *Cod. Lig.*

cupatum et aedificatum, processu [1]) temporis expugnat et conquirit, et milites Pruthenorum, qui in praesidio illius fuerant, captivat.

ANNUS DOMINI 1234.

Cunrado Pruthenis subiugandis occupato, Boleslaus Pudicus Dux captivitatem evadens, ad Henricum cum barba aufugit; cuius auxilio Cracoviam veniens, terras suas recuperat et quiete possidet sub tutoria Henrici Ducis.

Infidelium Pruthenorum terras vastaturi et barbaricam illam nationem et genus ad cultum religionis nostrae reducturi, Cunradus Masoviae et Cuyaviae Dux, non ex propriis solum Cuyaviae et Masoviae [2]), sed ex Cracoviensi et Sandomiriensi, quas pupillari et tutorio nomine Boleslai Pudici nepotis sui tenebat, terris, Henricus Wratislaviensis filius Sanctae Hedvigis, Wladislaus Ottonis Maioris Poloniae, Swantopelk et Sambor germani Pomeraniae Duces validum exercitum, validasque equestres et pedestres copias, nunquam alias in terris Prussiae visas, congregantes, in terram Pruthenorum, Ossa fluvio [3]) superato, comitantibus et adiuvantibus illos Magistro Hermanno et Fratribus ordinis Sanctae Mariae Teutonicorum, quos (ut in superioribus praemisimus) Cunradus Dux ipse in sui auxilium contra praefatos Pruthenos, clandestino et tumultuario bello terras suas affligentes, acciverat, Summi Pontificis Gregorii noni specialibus literis admoniti, hiemali tempore, Swantopelkoni Duci cura totius exercitus commissa, descendunt, et duobus mensibus terram Pruthenicam in gyrum ignibus, flammis et spoliis devastantes, cum Pritheni decernere et congredi non ausi, pugnandi copiam non facerent, caede de quinque millibus barbarorum edita, et castro Radzin, quod magis Catholicis imminebat, sub Pruthenis conquisito et propriis militibus locato, civitate quoque Kwyedzin locata, in propria ferentes [4]) multitudinem captivorum et spoliorum redierunt [5]). Sub ipso vero tempore, quo Cunradus Masoviae Dux bello Pruthenico occupatus erat, Boleslaus Pudicus Cracoviensis Dux, qui una cum genitrice sua Grzimislawa Ducissa, Albi Lestkonis relicta, captivitatis molestias in Syeczyechoviensi castro anno uno et paulo amplius pertulerat, beneficio Nicolai Gallici abbatis Syeczyechoviensis ordinis Sancti Benedicti evasit, qui castri Syeczyechoviensis [6]) vigilibus, caeterisque capti Ducis Boleslai custodibus tam pecunia, quam promissis corruptis, Ducem Boleslaum et Du-

[1]) successu *Ed. Dobr.* [2]) Cuiaviensibus et Masoviensibus *Ed. Lips.* [3]) flumine *Ed. Dobr.* [4]) redeuntes *Ed. Dobr.* [5]) reduxerunt. *Ed. Dobr.* [6]) castrum Sieciechoviense *Ed. Dobr.*

cissam Grzimislawam solvi obtinuit. Gratia siquidem Dei, quae subvenit in periculis et in necessitatibus laborantibus, oppressionem durae captivitatis praefati Boleslai cum matre misericorditer prospiciens, consilium inspirat Nicolao abbati et quibusdam aliis eos liberandi. Nam cum quadam nocte custodes epulis delibuti, potu repleti, securitate dissoluti, solitarum vigiliarum excubias intermisissent, Boleslaus Dux cum matre intempestae silentio noctis, evectionibus clanculo praeparatis, claustrum egreditur. Cui captivitatem evadenti duo castra, Sandomiriense videlicet et Zavichostense, ultro tradita sunt. Quibus forte imponens praesidium, non audens in terris propriis consistere, ne alteram captivitatem experiri (Dux enim Cunradus principaliora in Cracoviensi et Sandomiriensi ac Lublinensi terris castra in ditionem Masovitarum contradiderat) [1]) cogeretur, in Slesiam et Wratislaviam ad Ducem Henricum cum barba, tertio affinitatis gradu per lineam directam sibi coniunctum, refugit: qui exulem et fugitivum blande et comiter suscipiens, omni honore et humanitate tractavit, omniaque de se bene sperare iussit. Qui dum se iuvari et in Principatus suos restitui, multipliciter [2]) expetiisset, Henricus quidem Dux in omnibus se sibi morigerum fore repromisit, quae tamen praemia laborum et impensarum, et quis fructus illum movere [3]) deberet, quaesivit. Tum Boleslaus Pudicus omnes expensas et labores se [4]) refusurum, aut aliquas sortes Principatuum suorum sibi largiturum pollicebatur: de quo fuere foedus et pacta icta [5]). Interea filius Cunradi Boleslaus, collectis quibusdam Sandomiriensibus militibus et suis, terram Cracoviensem ingressus, furiose in populum debacchatur, afflictoque depraedationibus [6]) et grassaturis, in Sandomiriensem terram revertitur. Cracovienses vero huiusmodi iniuriam non ferentes, terminos Vislicienses [7]) ingressi, quantum valuerunt, terram praedabantur, et e converso Vislicienses frequentibus incursibus terram Cracoviensem spoliabant: sicque mutuis vicissitudinibus utramque terram crudeliter vastantes, in desolationem miserabilem redegere. Auditis et intellectis omnibus iniuriis, quas Boleslaus praefatus Cracoviensibus hostiliter intulerat, Wratislaviensis Dux Henricus cum barba, cum omnibus potentiis suis versus Cracoviam una cum Boleslao Pudico Duce contendit, et a singulis fere baronibus Cracoviensibus et Sandomiriensibus exceptus est, et tam urbs, quam arx Cracoviensis, reliquaeque omnes civitates et castra, praefectis Ducis Cunradi eas deserentibus, facile in suam et Ducis Boleslai venere ditionem. Adeo enim dominatum Ducis Masoviae Cunradi aspernabantur, ut ad adventum Ducis sui naturalis Boleslai singuli in eius susceptionem et obedientiam confluerent.

---

[1]) tradiderat *Cod. Rozr.* [2]) summopere *Ed. Dobr.* [3]) manere *Cod. Rozr.* [4]) se *deest in Cod. Aut.* [5]) inita. *Ed. Dobr.* [6]) afflictaque ea deprecationibus *Ed. Dobr.* [7]) Visliciensem terram *Ed. Dobr.*

Henricus autem cum barba Wratislaviensis Dux [1]), Cracoviensis, Sandomiriensis et Lublinensis Principatuum possessionem nactus, benignum se tutorem et curatorem Boleslao Pudico praebuit, et tam Maioris Poloniae, quam Cracoviensem et Sandomiriensem se Ducem gessit et titulavit, praesertim ne Dux Boleslaus per aetatem ducalia bona inter milites distraheret; omnes tamen regiones ex integro Boleslao restituit, et eum cum matre fecit gaudere plena et quieta omnium suorum Principatuum possessione.

Fundatio monasterii ordinis Cisterciensis in Ludzimyrz.

Singularis fervoris et religionis in Deum miles Theodricus palatinus Cracoviensis, generis et fidei [2]) nobilitate insignis, de domo et familia Griffonum, quem difficultate nominis Graeci, Polonorum lingua, volens eum Theodorum appellare, Cedronem, et omnes eiusdem nominis appellationem sortitos vocavit [3]), cultum ampliaturus divinum et sibi viam structurus in coelum, in villa sua haereditaria Ludzimyrz [4]) prope Nowitarg oppidum sub Alpibus Pannonicis sita, monasterium ordinis Cisterciensis sub titulo Sanctae Mariae, sub pontificio Vislai [5]) Cracoviensis episcopi et de eius speciali consensu, fundat et tam praefatam villam Ludzimyrz, quam alias plures sibi pro perpetua consignat dote. Cui etiam praefatus Vislaus [6]) Cracoviensis episcopus decimarum manipularium post omnes villas in possessione et terra monasterio attributa locandarum, donationem adiecit. Verum cum fratribus monasterii praedicti in Ludzimyrz ex [7]) Italia accersitis varia a viris Belial praedonicam [8]) agentibus vidisset impedimenta et spolia inferri, decennio lapso, posteaquam in Ludzimyrz fundationem huiusmodi consummaverat, in villam Schirzicz [9]) a Sulislao Iohannis militis filio, canonico Cracoviensi, pro centum marcis argenti comparatam, illud [10]) transtulit, ubi in hodiernam diem perseverat. Liberalitatem Vislai [11]) episcopi Prandota episcopus Cracoviensis, immediatus eius successor, supergressus, de consensu Capituli, decimas manipulares mensae suae in villis Poznanowicze, Gostachow et Dlichow, et in Nigra silva, post centum mansos Franconicos, loco praedicto et coenobio inscripsit perpetuo et donavit.

---

[1]) Wratislaviensis Dux *deest in Cod. Aut.* [2]) genere, fide et *Ed. Dobr.* [3]) appellavit et vocavit *Ed. Dobr.* [4]) Ludzimierz *Ed. Dobr.* [5]) Viszeslawi *Cod. Aut.* [6]) Viszeslaus *Cod. Aut.* [7]) ex *deest in Cod. Aut.* [8]) praedam *Ed. Dobr.* [9]) Schyrzyc *Ed. Dobr.* [10]) illic *Ed. Dobr.* [11]) Viszeslai *Cod. Aut.*

Monasterium Paradisiense fundatur.

Calendas [1]) Februarii, Bronisius [2]) de Gosczikowo Comes et palatinus, nobilis genere, de domo et familia Wyenyewa [3]) caput zubronis deferente, miles et dominicellus Posnaniensis, fervorem devotionis suae, quo in Deum et redemptorem suum aestu magno flagrabat, uberius effundere satagens et cultum nominis sui propensius augere, in villa sua praefata Gosczikowo, quae extunc et in hodiernum [4]) appellari coepta est Paradisus, monasterium fratrum ordinis Cisterciensis, sub honore et titulo gloriosae Virginis et Dominae nostrae Mariae fundat, et primum villam suam praefatam Gosczikowo, item et alias villas suas, videlicet Linam [5]), Klodawam, Gorzicam [6]) et Polencz, ipsi coenobio et fratribus in illo militantibus et militaturis, quos primum de monasterio Leninensi [7]) eiusdem ordinis per Hermanum eiusdem Leninensis monasterii tunc abbatem mitti obtinuerat, in dotem perpetuam donat et assignat; frater quoque Menszo in monasterio huiusmodi taliter fundato et erecto primus abbatiali fungebatur honore.

Quarto Nonas Ianuarii, Warmienses Prutheni claustrum Oliwa incendunt, et septem conversos et triginta quatuor monasterii servos igne et gladio miserabiliter interimunt. Sub idem tempus Fratres Cruciferi cum auxilio Marchionis Missnensis, victis Pruthenis de territorio Pomezaniae [8]), fidem Christi illos coegerunt suscipere.

Castrum Ploczense per Henricum Marchionem Missnensem capitur, sed per Ducem Cunradum et filios eius Boleslaum et Kazimirum reacquiritur, et Almani alii miserabiliter trucidantur, alii cum ecclesia cathedrali comburuntur, alii per pedes suspenduntur.

Anno quoque eodem per Ducem Cunradum Masoviae ordo et monasterium fratrum Praedicatorum fundatur in Ploczsko.

ANNUS DOMINI 1235.

Cunradus Dux Masoviae, dum frustra tentat amissam nepotis tutoriam recuperare, fortificatis ecclesiis in Prandoczin, Scarbimiria et Andrzeow, recessit, quae ab eius militibus strenue defendebantur.

Pruthenica expeditione Cunradus Masoviae Dux, quam etiam anni huius

[1]) Decimo Calendas *Cod. Rozr.* [2]) Dionysius *Ed. Dobr.* [3]) Wieniawa *Ed. Dobr.* [4]) hodiernum diem *Cod. Rozr.* [5]) Liwam *Cod. Rozr.* Liviam *Ed. Dobr.* [6]) Gorzykam *Ed. Dobr.* [7]) Leuinensi *Cod. Rozr.* [8]) Pomeraniae in aedes suas cum praeda euntes *Cod. Rozr.*

aestate facturus erat, commissa [1]), omnes vires, omnesque conatus et studia contra Boleslaum Pudicum Cracoviensem Ducem, eiusque tutorem Henricum cum barba Slesiae Ducem, non secus quam in propria viscera convertit, et alta trahens suspiria, vehementi stomachatione vexabatur, quod Boleslaus Pudicus Cracoviensis Dux et Grzimislawa Ducissa [2]) eius manus et ergastula [3]) evaserant, quod Henricum cum barba in suum solatium [4]) acciverant, quod ei tutoriam et Cracoviensis, Sandomiriensis et Lublinensis Principatuum possessionem abstulerant. Cum copiis itaque tam propriis quam auxiliaris in terram Cracoviensem adveniens, defectionem aliquorum castrorum et civitatum ad se sperans, plures ex baronibus et capitaneis, ut Henrico et Boleslao Ducibus desertis ad se deficerent, tum largitione, tum promissis sollicitabat. Sed dum omnes illum et eius promissa aspernarentur, maioribus ignibus, ut erat vir in bilem proclivus, agi coepit, et ecclesiam Sancti Andreae sub castro Cracoviensi, quae nondum tunc ambitu murorum civitatis Cracoviensis inclusa [5]), pro suburbana habebatur, item ecclesiam in Prandoczin, item ecclesiam collegiatam Scarbimiriensem, item monasterium Andrzeoviense incastellavit, quatuor quoque loca ipsa valido militum praesidio imposito, armis et victualibus communivit: primusque extat inter Polonorum Duces, qui aedes sacras profanare et usibus bellicis applicare ausus, detestabilem illum morem successoribus [6]) pernicioso dereliquit exemplo. Quamvis autem Henricus cum barba Cunradum Masoviae Ducem et eius exercitum, dum huiusmodi nefandas incastellationes committeret, aut per insidias, aut per locorum iniquorum occasionem, plurimum lacessisset, in congressum tamen universae dimicationis (quoniam facilius illum frangi cunctando, quam decernendo rebatur) non venit. Sibi quidem et castrorum, civitatumque munitiones, sibi militum devotionem et fidem, sibi supplementum militum, sibi victualium omnium abundantiam videbat suppetere: ea vero hostibus brevi defutura. Multis siquidem difficultatibus Cunradus Masoviae Dux adductus, multa sui exercitus parte amissa, magnis tamen populationibus et damnis in terris Cracoviensi et Sandomiriensi irrogatis, in Masoviam moerore tabescens rediit. Post cuius discessum ecclesia Sancti Andreae per Henricum cum barba et Boleslaum Pudicum, eorumque milites, tam arcta et dira obsidione constricta et mensibus aliquot angustiata est, ut milites Cunradi pacti, ne quid hostile paterentur, in deditionem cum castello venirent. Contra tria autem reliqua castella in Prandoczin, Scarbimiria et Andrzeow per Cunradum disposita, alia rursum tria castella ex lignis et blancis e regione et in vicinio eorum per Henricum cum barba et Boleslaum Pudicum Duces erecta atque aedificata

---

[1]) omissa *Cod. Rozr.* [2]) Ducissa mater *Ed. Dobr.* [3]) captivitatem *Ed. Dobr.* [4]) auxilium *Cod. Rozr.* [5]) erat inclusa *Cod. Rozr.* [6]) suis successoribus *Ed. Dobr.*

sunt. Et miro bellandi studio, utrisque pro victoria adnitentibus, particularia certamina hinc inde saepius celebrata fuere [1]), Henrici cum barba et Boleslai Pudici militibus, ne quid ad Cunradi milites importari possit, magna cura prohibentibus, Cunradi vero militibus excursiones nocturnas et clandestinas, exustionesque earum villarum, quae tributa repromissa exsolvere neglexissent, irrogantibus. Inter haec tamen coloni et a propriis et ab [2]) hostibus vexati intermittebant agriculturam, et agris, coloniisque desertis, in loca tutiora se conferebant, calamitasque et desolatio dietim augebatur. Irrepsit et aliud malum, aliaque pernicies in Poloniae Regnum, quae priorem ingeminavit [3]). Frumentis siquidem [4]) tam aestivalibus, quam hiemalibus, tum per asperitatem hiemis, tum per imbrium frequentem inundationem consumptis, ingens fames universam Poloniam longo tempore oppressit, neque de facili famis [5]) malum, bello civili fervente [6]), poterat restringi.

Andreas Hungariae Rex pater beatae Elisabeth, cum annis triginta regnasset, moritur et in Varadino ad pedes Sancti Ladislai Regis sepelitur. Cui filius eius Bela successit, pridie Idus Octobris in Regem Hungariae in Alba regali [7]) coronatus.

Wladislaus Ottonis Maioris Poloniae Dux fundationem hospitalis et monasterii ordinis Sancti Iohannis Hierosolymitani in Posnania per Myeczslaum [8]) avum, et Wladislaum patruum suos, Duces Maioris Poloniae, nec non et dotationem praefato monasterio per dictos Duces factam, innovat, et sub praesentia Pauli Posnaniensis episcopi, plurimorumque tam ecclesiasticorum, quam saecularium consiliariorum donationem per praefatos Duces ante annos plures de villis infrascriptis factam, confirmat, videlicet Obyeszerze [9]) cum ascripticiis, Wyerzchuczino, Droszyn [10]) cum foro et taberna, Wyelkye [11]), Kurenczino [12]), Wiganowo, Mylostowo, Ondrogewo [13]) et Pogorzelicza cum naulo, libertans haereditates et bona praedicta ab omni servitute, onere, datiis et tributo, ordinans, ut ex bonis monasterii praedicti horae canonicae, resque divinae expleantur, alantur pauperes et peregrini; quicquid vero residuum fuerit, in subsidium Terrae Sanctae domui Ierosolymitanae transmittatur.

Borziwoy ob captum Paulum episcopum Posnaniensem vita privatur.

Borziwoy Maioris Poloniae miles multo tempore cum Paulo Posnaniensi

---

[1]) fuere *deest in Cod. Aut.* [2]) ab *deest in Cod. Aut.* [3]) perniciem duplicavit *Ed. Dobr.* [4]) namque *Ed. Dobr.* [5]) neque facile tantum *Ed. Dobr.* [6]) durante *Ed. Dobr.* [7]) regali *deest in Cod. Aut.* [8]) Meszlaum *Cod. Aut.* [9]) Obiezierze *Cod. Rozr.* [10]) Drozin *Cod. Rozr.* [11]) Wielikie *Ed. Dobr.* [12]) Kurzęcino *Ed. Dobr.* [13]) Ondregowo *Ed. Dobr.*

episcopo pro villarum terminis, caeterisque iniuriis ecclesiae Posnaniensi irrogatis, dissidens, cum in Srzem oppidum ad componendum differentias per amicos communes, data acceptaque securitate, venisset, Paulum episcopum Posnaniensem, nihil tale suspicatum, in dolo captivat. Sed captivitatem suam praefatus Paulus episcopus evadens, ipsum excommunicat: fuitque praedictus Borziwoy per universam ecclesiam pro excommunicato habitus et in singulis ecclesiis publice denuntiatus. Dum quoque pertinaci contumacia censuram tolerans, satisfacere episcopo a se per fraudem violato contemneret, apud Srzem captus et necatus, suae vecordiae poenas dedit. Wladislaus siquidem Maioris Poloniae Dux, castro Srzem conquisito, et castrum Srzem incendit, et tam Borziwogium, quam Sandiwogium auxiliatorem eius occidit.

ANNUS DOMINI 1236.

Henricus cum barba, castrum Gnesnense expugnando frustra, in Slesiam cum suorum militum damno reversus est.

Ad obtinendam universi Regni Poloniae Monarchiam Henricus cum barba Slesiae et Wratislaviensis Dux aspirans, dum aestate [1]) transacta Conradum Masoviae Ducem de tutoria Ducis Boleslai Pudici exuisset, et Principatuum Cracoviensis et Sandomiriensis et Lublinensis possessionem, velut tutor Boleslai Pudici nactus esset, rursum contra Wladislaum Ottonis Maioris Poloniae Ducem expeditionem movet, et castrum Gnesnense, quod iam unicum pro Wladislao Ottonis tenebatur [2]) (caeteraque enim omnia in Ducatibus Maioris Poloniae superbam et iniustam dominationem Wladislai Ottonis aspernantia in ditionem Henrici cum barba cesserant), obsidione firma cingit, plenam Ducatuum Maioris Poloniae et pacificam possessionem, arce illa, quae sola restabat, conquisita, habiturus. Magnis itaque viribus et conatibus ad illius conquisitionem aestuando, plurima tormenta et machinas [3]) contra castrum admovit, et obsessos proiectione frequenti tormentorum et sagittarum ignitarum, sperans se castrum, quod pro maiori parte ex materia lignea fabrefactum [4]) erat, aliquando incensurum, affligebat. Oppugnabat etiam illud crebra invasione et impetu militum, qui superne ab obsessis saxis obruti, mortuos et vulneratos plures referentes [5]), segnius munera obsidionis et expugnationis, conatibus singulis eorum recidentibus in irritum, obibant. Interim cum et longum tempus obsidione arcis praefatae frustra absumptum es-

---

[1]) aetate *Cod. Rozr.* [2]) tenebatur *deest in Cod. Aut.* [3]) machinationes *Ed. Dobr.* [4]) fabricatum *Ed. Dobr.* [5]) deferentes *Cod. Rozr.*

set, et arx ipsa praesidio militum valido septa, qui etiam et [1]) castra Henrici cum barba per eruptiones continuas lacessendo [2]), plerosque milites de hostibus ceperant, inexpugnabilis videretur, nova etiam pernicies Henrico cum barba accessit: tres namque machinae, quae potiores habebantur, ex vehementi et continua proiectione fractae et ruinatae sunt. Ex qua re, neque enim apud obsessos ex arce omnia spectantes [3]) ignota esse poterat, et obsessis crevit ausus [4]) et obsidentibus [5]) desperatio. Itaque Henricus cum barba Dux et deditionis et expugnationis spe omissa, obsidionem solvens, multis damnis acceptis, in Slesiam rediit. Post cuius discessum Wladislaus Ottonis cum gentibus et militibus, qui illius partes sequebantur, castra et munitiones, quae per milites Henrici in Maioris Poloniae Ducatibus tenebantur, lacessere, impugnare et invasiones, exustionesque villarum et oppidorum, quae a se defecerant, facere non desiit. Inter quae castrum Szrem, quod a Borziwogio [6]) Dipoldi Marchionis Moraviae filio et Henrici ex sorore nepote tenebatur [7]), corruptis vigilibus, nocturna irruptione invadens, cepit et Borziwogium Marchionem, Sandiwogiumque militem, caeteris metu perculsis diffugientibus, sibi resistentes occidit, castroque spoliato, ne ab hostibus iterum locaretur, illud incendit et in Pomeraniam ad Swantopelkonem socerum suum divertit. Deinde in castra Nakel et Uscze [8]), quae in fide sua manebant, se recepit, hostilitatem et periculum veritus, intelligens Maioris Poloniae barones et milites in fide et obedientia Henrici cum barba constantes et perseverantes fore.

Penultima Iunii conventus Principum Poloniae apud Dankow habitus est. In quo dominicellae [9]) Henrici Ducis Slesiae iunioris Constantia et Gertrudis illic personaliter adductae [10]), per Michaelem Wladislaviensem et Petrum Ploczensem episcopos, in facie ecclesiae solenniter filiis Ducis Cunradi Masoviae, Boleslao et Kazimiro actualiter desponsantur. Nuptiarum tamen solennitas in alium diem, virginibus in Wratislaviam reductis, dilata est. Secunda autem die Iulii, Cunradus Dux Masoviae praefatus facit divisionem Principatuum suorum inter duos filios praefatos: et cesserunt Duci Boleslao Ducatus Masoviae, Duci vero Kazimiro Lanciciensis et Cuyaviensis Ducatus, et ambo iureiurando in praesentia Wladislaviensis et Ploczensis episcoporum et plurimorum baronum terrarum praedictarum, promiserunt se divisionem huiusmodi servaturos.

---

[1]) ad *Ed. Dobr.* [2]) lacessentes *Ed. Dobr.* [3]) spectatos *Cod. Aut.* [4]) audacia *Ed. Dobr.* [5]) obsidentibus vero *Ed. Dobr.* [6]) Borzywoio *Ed. Dobr.* [7]) commissum erat *Cod. Rozr.* [8]) Uście *Ed. Dobr.* [9]) Domicillae *Ed. Dobr.* [10]) advectae et adductae *Cod Rozr.*

Kazimirus Opoliensis Dux moritur.

Sexta mensis Maii die Kazimirus Opoliensis et Rathiboriensis Dux filius Myeszkonis, filii Wladislai totius [1]) Slesiae Ducis, frater patruelis germanus Henrici cum barba, in Opol [2]) moritur et in ecclesia seu monasterio [3]) Czarnowansch ordinis Praemonstratensis, a se illic ex Ribniky propter loci commoditatem translato, una cum filia sua ...... [4]) eiusdem loci et ordinis sanctimoniali virgine pluribus virtutibus et mira devotione insigni, sepelitur; qui duos filios, videlicet Myeczslaum et Wladislaum reliquit. Myeczslaus itaque maior natu existens, qui et Crassus appellabatur, virginem Iudith filiam Cunradi Masoviae et Cuyaviae Ducis in sponsam accepit; sed sterilitatis opprobrium passa, nullam prolem reliquit. Susceperat autem filios praefatos Kazimirus ex Wenczeslawa [5]) Ducissa, quae et ipsa Tertio Idus Martii diem obiit.

ANNUS DOMINI 1237.

Facta pace inter Cunradum et Henricum, Boleslaus Pudicus Henricum eligit in procuratorem, qui bona Opathow et Kazimirz ecclesiae Lubuczensi donat.

Regionibus aliquot et coloniis ex civili et domestico bello, quo se invicem Henricus cum barba Slesiae et Wratislaviensis, et Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Duces ab una, et Cunradus Masoviae Dux partibus ab altera fere integro biennio collidebant, vehementer quassatis et afflictis, per barones et consiliarios communes agitari de pace coeptum est. Et aliquot dietis ob eam rem celebratis, tandem execrabili et funesto bello abrogato, damnisque hic inde illatis, compensatis, et captivis utriusque partis absolutis, pax in hunc modum conclusa est: ut Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux, ex quo annos pubertatis scitus est transcendisse, Ducem Masoviae Cunradum non teneatur tutorem ferre, sed liber et iuris sui vir, Dux et dominus censeatur, et pro arbitrio suo sibi curatorem et provisorem constituat. Qua quidem pace pactis et iureiurando firmata, Boleslaus Pudicus sub omnium praesentia Henricum cum barba Ducem Slesiae sibi in curatorem deposcit et assumit, seque illi et suis salubribus

---

[1]) Wladislai Ottonis *Ed. Dobr.* [2]) Opole *Ed. Dobr.* [3]) sui monasterii *Ed. Dobr.* [4]) *Nomen filiae Kazimiri Ducis Opoliensis deest in omnibus Codd.* [5]) Wenceslawa *Ed. Dobr.*

consiliis, directionibusque repromittit pariturum, germanum patruum Cunradum Masoviae Ducem non secus quam acerrimum hostem pertaesus [1]): qui etsi ob id vehementer se quereretur iniuriatum et confusum, pactis tamen et iureiurando constrictus, compositioni paruit et praesidia ex ecclesiis incastellatis, videlicet Scarbimiriensi, Andrzeoviensi et Prandoczinensi deduxit. Ex eo itaque tempore Henricus cum barba se Monarcham Polonici Regni gessit, et tam solertia, quam natu et Principatibus [2]), qui in eum confluxerant, inter Poloniae Duces maior habebatur; nam etsi propter amorem, quo in Boleslaum Pudicum Cracoviensem Ducem flagrabat, a titulo Ducatus Cracoviensis et Sandomiriensis abstinuit, sed duntaxat se Maioris Poloniae et Slesiae Ducem et dominum nominavit: in ipsis tamen Ducatibus Cracoviensi et Sandomiriensi magis illi et suis imperiis, quam proprio et naturali Duci Boleslao Pudico post foedus cum Cunrado Masoviae Duce ictum parebatur. Sed et Dux Boleslaus Pudicus Cracoviensis gratificari illi [3]) volens et impensas, quas pro se et suis Ducatibus de manu Cunradi Masoviae Ducis eripiendis fecerat, refundere, notabiles Duci Henrico cum barba reditus et introitus tam in Cracoviensi et Sandomiriensi Ducatibus, quam in zuppis Wieliczziensibus, teloneisque consignaverat. Monarchali autem potestate, praesertim in Cracoviensi et Sandomiriensi terris Henricus praeditus [4]), bona monasterii Opathowiensis, Cracoviensis diocesis, videlicet oppidum Opathow cum sedecim villis et aliquot manipularibus decimis, Templariis exclusis, quorum insigne illic erat coenobium, annuente et ultro consentiente votis suis Boleslao Pudico, ecclesiae Lubuczensi sui dominii applicat. Nec his contentus, in terris Maioris Poloniae oppidum Kazimierz cum suo districtu, cum quatuordecim villis et totidem decimis, item in terris Slesiae oppidum Borek cum decimis, cum villis et lacubus, praefatae Lubuczensi ecclesiae donat.

Myeczslaus Cuyaviae Dux dum orphanos et viduas iniuste spoliat, a muribus devoratur.

Dux Myeczslaus [5]) propter caesariem [6]) capitis parum sanam appellatus Choszişzko [7]), Ducatum Cuyaviensem ex patris sui Ducis Masoviae Cunradi concessione inter fratres sortitus, dum quasdam viduas et orphanos praeter aequitatem et iustitiam spoliasset, et vaccis earum mactatis, substantiisque occupatis, splendidum convivium ex illis optimatibus et militibus Cuyavien-

---

[1]) vitans *Ed. Dobr.* [2]) principalioribus *Ed. Dobr.* [3]) gratificari Henrico curatori suo *Cod. Rosr.* [4]) potitus *Cod. Rosr.* obtenta *Ed. Dobr.* [5]) Myeschlaus *Cod. Aut.* [6]) mentem *Ed. Dobr.* [7]) Koszisko *Cod. Rosr.* Chosisko *Cod. Lig.* Choscisko *Ed. Dobr.*

sibus praeparasset et in illo opipare usurus consedisset, inter prandendum et convivandum, iustissimo Deo enormia sua peccata [1]) praesentia et transacta vindicante [2]), mures infiniti conveniunt, ipsumque devorare coeperunt. Qui imminens periculum declinaturus [3]), navim conscendens, ad aquas et flumina perrexit. Quibus necquicquam suffragantibus, a muribus illum per omnes undas et maria insectantibus miserabiliter consumptus et devoratus est, documentum non inultae [4]) iniuriae viduis et orphanis inferendae posteris praestiturus.

Boleslaus Cunradi Masoviae Ducis filius virginem Gertrudim neptem beatae Hedvigis et Henrici cum barba ducit in uxorem.

Reconciliatione inter Henricum cum barba Maioris Poloniae et Slesiae, et Cunradum Masoviae et Cuyaviae Duces confectà, nuptiarum etiam solennitas Wratislaviae acta est: in qua iuxta ordinationem beatae Hedvigis et pacta in Ploczsko per medium eiusdem beatae matronae inita, Boleslaus filius Cunradi Masoviae Ducis maior natu, virginem Gertrudim filiam Henrici, filii Henrici cum barba, neptem beatae Hedvigis accepit in uxorem. Nam etsi (ut in superioribus praemisimus) matrimonium huiusmodi dudum fuisset contractum, non tamen poterat, tum propter minorennitatem contrahentium, tum propter bella orientia, nisi anno eo consummari. Celebritati autem huiusmodi beata femina Hedvigis ut personaliter interesset, nulla poterat prece et supplicatione molliri, sed in monasterio Trzebniczensi se continens, contemplationi sanctae et orationi iugiter insistebat. Quae etiam cum viro suo Henrico cum barba Wratislaviensi Duce, continentium se lege perpetua vincientes, per annos triginta gratiam coniunctionis non repetebat.

Fundatio monasterii ordinis Minorum Sancti Francisci in Cracovia per Boleslaum Pudicum.

Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux precibus et consiliis genitricis suae Grzimislawae [5]), feminae religiosae et devotae, persuasus, Fratres Minores [6]) in Cracoviam ex Praga vocat, illisque et pro ecclesia et pro monasterio in civitate Cracoviensi locum amplum donat, ducalibusque

---

[1]) facta *Ed. Dobr.* [2]) puniente *Ed. Dobr.* [3]) evitaturus *Ed. Dobr.* [4]) inutile *Cod. Rozr.* [5]) Grzymislawae Ducissae *Cod. Rozr.* [6]) Fratres Minores Ordinis S. Francisci *Cod. Rozr.*

impensis tam ecclesiam, quam monasterium [1]) pulchro opere ex lateribus coctis inchoat et consummat, quamvis in annis pueritiae constitutus.

Gregorius Papa nonus civitatem insignem Constantinopolim, quae vetusto nomine Byzantium dicebatur [2]), de captivitate liberaturus, Wilhelmum episcopum Mutinensem, adiungens ei fratrem Martinum de Sandomiria ordinis Praedicatorum, Polonum natione, virum providum et doctum, ad Ludovicum [3]) Franciae Regem transmittit.

Przemislaus Marchio Moraviae, germanus Wenceslai Bohemiae Regis, sciens sibi praefatum fratrem suum Wenceslaum multipliciter infestum esse, in Hungariam effugit, castris suis Moraviae praesidio fidelium militum commendatis. Qui tandem a Rege Bohemiae Wenceslao obsessi, castra ipsa sibi reddere coacti sunt. Przemisl vero Marchio Moraviae a Bela Hungariae Rege benigne habitus, etiam interpositione sua Marchionatum Moraviae rehabuit.

Castrum et oppidum Elbyang aedificatur.

Hermannus Magister Cruciferorum domus Teutonicae, Cunradi Masoviae, Swantopelci et Samborii Pomeraniae Ducum fretus auxiliis, in Prussorum terram descensu per terram et aquam facto, castrum et oppidum Elbyang [4]) in Pogeszono [5]) districtu aedificat et militum valido praesidio communit, dato civitati nomine a fluvio Elbing, qui illuc decurrens, stagno magno, quod Hab dicitur, se miscet.

Fratres Praedicatores, videlicet frater Martinus de Sandomiria cum aliis monasterii Sanctae Trinitatis in Cracovia [6]), missi in Italiam, ossa Ivonis episcopi Cracoviensis ab episcopo Mutinensi impetrata, Cracoviam referunt et in monasterio praefato Sanctae Trinitatis in chori medio condunt.

Henricus cum barba curator Boleslai pudici eidem et matri illius munitionem rupis in Przeginia, ut tutior a Cunrado sit, concedit, legesque alias Polonis statuit, alias elidit.

Boleslaus Pudicus [7]) Dux Cracoviensis et Sandomiriensis cum matre sua Grzimislawa, dolos et insidias Cunradi Masoviae Ducis et filii sui Boleslai perhorrescens, et in terra Sandomiriensi, quam pro suo domicilio et statu

---

[1]) coenobium *Ed. Dobr.* [2]) vocabatur *Cod. Rozr.* [3]) Ludouigum *Cod. Aut.* [4]) Elbang *Ed. Dobr.* Elbing *Ed. Lips.* [5]) Pogesano *Cod. Ciesz.* Pogosimo *Ed. Dobr.* [6]) in Cracovia fratribus *Cod. Rozr.* [7]) Pudicus deest in *Cod. Aut.*

ducali tenendo Henricus cum barba consignaverat, non audens remanere, petit [1]) in aliqua munitione Cracoviensis terrae collocari, donec furor adversariorum suorum conquiescat, et baronibus suis congregatis et adunatis, status Principatuum suorum vires resumens, adversus eos invalescat. Dux itaque Henricus curator suus munitionem rupis, quae dicitur Skala, in Przeginia eis concedit ad habitandum, et certos reditus [2]) providet ad vescendum: ubi collecti [3]) fere quinquennio delituerunt. Ipse vero Henricus [4]) Dux cum omnibus reditibus, proventibusque Cracoviam ad usum suum retinens, habito communi consilio episcopi et baronum, Rempublicam provide ordinavit, leges, quibus humana audacia coerceretur, instituit et conscripsit, viros industrios et providos praefecit beneficiis et magistratibus, pestiferum genus hominum, videlicet maleficos et calumniatores exterminavit, leges concussionis [5]) elisit, scilicet [6]) Pomoczne et Virginale et Viduale, et si quae sunt similia, prorsus [7]) extirpavit; insuper libertatem ecclesiae confirmavit. Sicque in eo statu terra posita, eoque regnante, quasi per decennium crevit rerum incremento [8]) et profecit mutuo vinculo connexa societatis.

ANNUS DOMINI 1238.

Henricus cum barba Krosnae moritur, et cur ita vocatus sit, refert historiographus; qui cum accepisset in Trzebniczensi monasterio sepulturam, Henricum filium suum habuit successorem.

Monarchiam Regni Poloniae Henricus cum barba Maioris Poloniae et Slesiae Dux adeptus, ad felicem tranquillumque statum Polonia sub regimine et Principatu tam iusti et celebris Principis visa est pervenisse. Sed et Henricus Dux praefatus in Maioris Poloniae Ducatu solium suum quiete [9]) credebatur firmasse, cum subito novum dispendium, novaque pernicies Regno praefato Poloniae accessit: Dux siquidem [10]) Henricus ad partes inferiores Ducatuum suorum, Krosznam, prope terminos Bohemiae sitas descendens, languere graviter coepit. Et quamvis de languore suo consors sua Hedvigis beata per celerem nuntium certior facta fuisset, visitare tamen illum, quamvis viri precibus multipliciter rogata, intermisit, ne quam scintillam coniugalis moeroris viso aegro marito contraxisset, quem infra annos triginta, quibus uterque caelibem agebat vitam, rarissime et non nisi in necessitate

[1]) petit ab Henrico cum barba *Ed. Dobr.* [2]) certis reditibus *Ed. Dobr.* [3]) collocati *Cod. Rosr.* [4]) Henricus cum barba *Cod. Rosr.* [5]) concursionis *Cod. Rosr.* [6]) videlicet *Ed. Dobr.* [7]) perosus *Cod. Rosr.* [8]) incrementum *Ed. Dobr.* [9]) quietum *Ed. Dobr.* [10]) namque *Ed. Dobr.*

inevitabili, quando [1]) pro necessitatibus egenorum, viduarum, pupillorum, monasteriorum, ecclesiarum et miserabilium [2]), aut aliquam oppressionem vel calamitatem patientium, intercedendum erat, adibat. Ingravescente itaque infirmitate, omnibus ecclesiasticis sacramentis rite et religiose perfunctus, sex lustris (ut praemisimus) in caelibatu, consorte in sororem commutata, exactis, Quartodecimo Calendas Aprilis in oppido suo Kroszna feliciter expiravit. Qui ob id Henricus cum barba appellationem sortitus est, quoniam a tempore, quo caelibem vitam ad instigationem consortis suae beatae Hedvigis agere coepit, barbam in conversorum morem crescere permisit, splendidisque induviis et [3]) auro ostroque [4]) nitentibus abiectis, laneo et humili amictu utebatur. Cum autem ad monasterium Trzebniczense per ipsum fundatum et liberaliter dotatum (in quo beata femina Hedvigis arctissimam agebat inter sanctimoniales Cistercienses vitam) funus suum illic sepeliendum ductum fuisset, omnibus monialibus et pluribus aliis, tam nobilibus, quam rusticanis hominibus utriusque sexus, qui ad cohonestandum funebrias suas ex Maiori Poloniae et Slesiae Ducatibus in maxima multitudine obviam corpori mortuo convenerant, effusis, sola femina beata Hedvigis in monasterio Trzebniczensi substitit et honorem illum impendere corpori mariti neglexit. Sed sanctimonialibus, caeterisque tam viris, quam matronis mortem Henrici Ducis viri sui magno eiulatu, magnisque lamentis et vociferatione incondita deflentibus, haec sola siccos tenuit oculos, neque in omnium fletu visa est lacrimasse; sed et nonnullas sanctimoniales obitum Henrici Ducis praefati tam ingenti moerore, ut pene mortuae crederentur [5]), prosequentes [6]) corripuit, asserens iniquum et scelestum esse, tam inconvenienti et immoderato moerore voluntati divinae et eius beneplacito adversari. Successit autem optimo viro Henrico cum barba Duci, in utroque Ducatu, dominio Cracoviensi et Maioris [7]) Poloniae videlicet et Slesiae, filius suus Henricus, qui illi, caeteris filiis morte subtractis [8]), unicus remanserat. Neque Maioris Poloniae praelati barones et nobiles quicquam diminuere aut variare ex praeterita obedientia et subiectione, quam patri Henrico cum barba praestiterant, in filio dignum ducebant, quamvis sciebant se alium iustiorem Ducem et haeredem Wladislaum Ottonis (qui morte Henrici cum barba secuta, plerosque eorum magnis promissionibus [9]) et precibus, ut de se recogitarent, sibique Ducatum proprium et paternum redderent, sollicitare non desiit) habuisse, firma certitudine freti, Henricum secundum ex beata Hedvigi genitum, et paternos et maternos optimos mores sectaturum.

---

[1]) quam *Ed. Dobr.* [2]) miserabilium personarum *Ed. Dobr.* [3]) indumentis *Ed. Dobr.* [4]) rostroque *Cod. Aut.* [5]) viderentur *Cod. Rozr.* [6]) persequentes *Ed. Dobr.* [7]) minoris *Ed. Dobr.* [8]) sublatis *Ed. Dobr.* [9]) promissis *Ed. Dobr.*

Fundatio monasterii fratrum Praedicatorum in Halicz.

Apud Haliczіensem civitatem monasterium fratrum Praedicatorum [1]) fundatur, et fratres provinciae Polonicae domum illic accipiunt.

Petrus Ploczensis episcopus, cum annis sex sedisset, ex vitio pulmonis moritur, et in ecclesia Ploczensi debito honore tumulatus, Andream habuit successorem a Gnesnensi archiepiscopo Fulcone, Cunradi Masoviae et Cuyaviae Ducis accedente consensu, confirmatum. Hic Andreas Cracoviensis ecclesiae scholasticus, nobilis genere de domo et familia, quae Griffonem defert, ex [2]) terra et regione Cracoviensi et ex villa Brzesznicza ortus, filius Marci palatini Cracoviensis.

ANNUS DOMINI 1239.

Wladislaus Ottonis Ducatu suo privatus, in exilio apud socerum, moerore correptus, duobus filiis relictis, moritur et in ecclesiam Posnaniensem sepeliendus refertur.

Wladislaus Ottonis Maioris Poloniae Dux per Henricum cum barba, baronum Maioris Poloniae universali annuentia et conspiratione de Ducatu suo eiectus [3]), mortem Henrici cum barba, hostis et competitoris sui, nullam videns rebus commoditatem, quam speraverat, attulisse, gravi dolore et molestia propterea actus, apud socerum Swantopelkonem in Pomerania exulans, languorem contrahit, et infra paucos dies rebus exuitur humanis. Corpus [4]) exanime (ita enim moriturus rogaverat) in Posnaniam adductum, in sepulchro patrum et avorum suorum, Regum et Principum Poloniae, in ecclesia maiori Posnaniensi, permittente Henrico Pio Maioris Poloniae et Slesiae Duce, beataque matre Hedvigi mandante, exequiis iusto honore peractis, humatum est. Post cuius mortem castrum Gnesnense militibus, qui in illius praesidio erant, longa spe fatigatis, in plenam deditionem Henrici Pii venit. Reliquit autem Wladislaus Ottonis duos filios ex sorore [5]) Swantopelkonis Helinga, qui sibi Ducatum Pomeraniae falso [6]) usurpaverat, genitos, videlicet Przemislaum et Boleslaum, duorum tantummodo castrorum cum suis appendiis [7]), videlicet Na-

[1]) ordinis Praedicatorum *Cod. Roer.* [2]) familia Griphonum de *Ed. Dobr.* [3]) pulsus *Ed. Dobr.* [4]) Cuius corpus *Cod. Roer.* [5]) filia *Cod. Aut.* [6]) filio *Ed. Dobr.* [7]) eorum attinentiis *Cod. Roer.*

kel et Uscze, quae sibi unica, dum moreretur, supererant (nam omnia alia in ditionem et subiectionem Henrici Slesiae Ducis concesserant), possessores.

Cunradus Masoviae Dux, dum Boleslaum Pudicum infestat, ad postremum pacificatur illi maxime ob id, quod Kunegundim virginem, filiam Belae Regis Hungariae accepit in uxorem, puellam singularis sanctitatis, cum qua vitam duxit caelibem.

Ex morte Henrici cum barba Polonorum Principis et Monarchae, Cunradus Masoviae Dux fastuosus et insolens esse, magnasque iras contra Boleslaum Pudicum Cracoviae et Sandomiriae Ducem, quod se contempto, Henricum cum barba in suum tutorem acciverat, et eo duce ac adiutore praeliis aliquot secundis contra eum usus fuerat, evomere coepit. Quapropter haud longe post Henrici cum barba obitum foedus ictum irritavit et clandestinis primum, deinde publicis invasionibus Cracovienses, Sandomirienses et Lublinenses terras vastabat. Ad cuius insolentiam compescendam Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux, notabilibus baronibus, videlicet Clemente de Klimyanthow [1]) castellano, Ianussio palatino Cracoviensibus ad Belam Hungariae Regem missis, filiam eius Kingam [2]), quam soror Boleslai Salomea, consors Colomani Halicziensis Regis et filii Belae, de praestantia virtutum et morum commendaverat, procatus, accipit in consortem [3]), virginem ea tempestate singularis formae et virtutis, cuius futuram optimam indolem ipsa etiam crepundia praemonstrarunt. Quamprimum siquidem anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi Millesimo ducentesimo quarto, apud Pannonias matris alvo in primis, quibus in lucem infantula edebatur, horis non ab eiulatu et lachrimis, ut caeteri infantes, sed a Gabrielica denuntiatione suos auspicata est ortus: claram enim [4]) articulatam et sonoram, A v e R e g i n a c o e l o r u m, in idiomate Hungarico edidit vocem. Quartis insuper et sextis feriis semel tantummodo ubera sugere contenta, praesulem beatum Nicolaum in ipsa infantia aemulabatur. Deducta est autem praefata virgo Kinga cum magno apparatu, ferens secum amplam, quadraginta videlicet millium marcarum, dotem Cracoviam, ubi et solennitas nuptiarum diebus duodecim acta est. Ex eo autem [5]) tempore et deinceps Kunegundis Ducissa praefata celsitudinis suae nomen et meritum ea celebritate per pietatis opera apud regiones Polonicas diffundebat, ut non secus quam altera egregiae virtutis beata Trzebniczensis Hedvigis Ducissa (cuius et ipsa Kunegundis neptis ex

---

[1]) Klimuntow *Ed. Dobr.* [2]) Kunegundim qua Kinga dicta est *Ed. Dobr.* [3]) uxorem *Ed. Dobr.* [4]) sed claram *Cod. Aut.*

sorore germana fuerat) in populo Polonico videretur surrexisse, ab omnibus mundanis abhorrens officiis, et ab omni ambitu [1]) aversa, hoc unum concupiscens, nil praeter coelestia desiderare [2]). Feruntur autem ambo in aevum virgines permansisse, et prima nuptiarum die, primum quidem ad unum annum, quo lapso, ad alterum et deinde in tertium, quo effluxo, felici Kinga [3]) operante et instigante, in omne aevum Domino coeli caelibatum spontanee vovisse et servasse: ex quo Boleslaus Dux Pudicus meruit appellari. Splendidum autem matrimonium Cunradus Masoviae Dux videns nepotem suum Boleslaum Pudicum sortitum, lacessere illum destitit, et pacificatus est illi.

Cunradus Dux Masoviae Iohannem Czaplya Wladislaviensem et Ploczensem scholasticum suspendi ante ecclesiam Sancti Dominici in civitate Ploczensi procuravit: et propterea ab episcopo Ploczensi Dux ipse cum uxore sua publice excommunicatur.

Externis bellis Cunradus Masoviae Dux paululum quietatis, in proprios et domesticos furere coepit, et diabolico vexatus instinctu, rem horribilem et detestabilem perpetrans, Iohannem Czaplya [4]) appellatum, et in iure canonico peritum, cancellarium Ducatus sui, scholasticum Wladislaviensem et Ploczensem, in ordine constitutum presbyterali, et filiorum suorum Boleslai et Kazimiri pedagogum, temerarie per Semovitum filium captivat et squallido carcere diebus aliquot maceratum, tandem in eculeo tortum, velut furem in publicum patibulum egit, extinctum quoque et ex priori suspendio sublatum, et cum aliqui fratres Praedicatorum depositum in civitatem ferrent sepeliendum, Agasia Ducissa plena furia eis ablatum, non secus quam altera Iezabel sanguinem sacerdotalem sitiens, super currum positum et duobus bobus vectum, in altero rursus patibulo, studiose ad id circa ecclesiam Sancti Benedicti [5]) fabricato, supra Wislam e regione ecclesiae Ploczensis maioris, suspensum, ut esset tam tremendum quam ignominiosum spectaculum, alligavit. Quem frater Martinus prior Ploczensis ordinis Praedicatorum, missis fratribus, de patibulo secundo depositum, in ecclesia maiori ordinavit sepeliri. Levissima causa ad patrandam tam horrendam tyrannidem, sibi et domui suae sempiternam ignominiam inusturam, permotus. Kazimirus siquidem alter filiorum praefati Ducis [6]) Cunradi, anno eodem virginem Constantiam filiam Henrici Pii Wratislaviensis Ducis, dudum sibi per beatam feminam Hedvigim relictam Henrici cum barba desponsatam, acceperat uxorem [7]). Et nuptiis

---

[1]) ambitione *Ed. Dobr.* [2]) desideravit. *Ed. Dobr.* [3]) Kunegundi *Ed. Dobr.* [4]) Czapla *Ed. Dobr.* [5]) Dominici *Cod. Rozr.* [6]) Masoviae Ducis *Ed. Dobr.* [7]) in uxorem. *Cod. Rozr.*

pro magnificentia tam soceri, quam generi, Wratislaviae celebratis, Kazimirus novae sponsae captus amore, in domo soceri Wratislaviae longum tempus morabatur. Et licet pater Dux Cunradus illum tam nuntiis quam literis redire Masoviam iuberet, obauditis tamen paternis imperiis, diutius, quam sat erat, redire tardavit. Credens Cunradus [1]) Masoviae Dux permissu et licentia praefati Iohannis scholastici velut paedagogi et magistri se et suas iussiones a filio Kazimiro contemptum iri, et veritus, ne in vindictam captivitatis idem Henricus aliquam vexationem terrae suae inferre moliretur, praefatum [2]) Iohannem cancellarium et scholasticum [3]), promissa omni securitate per se et uxorem suam blande revocat, quasi consilium ab eo de filii revocatione petiturus. Verum omnem culpam et bilem in magistrum Iohannem scholasticum et cancellarium retorquens, furori indulgens, non discussa, non examinata veritate, cruentum [4]) et detestabile facinus in virum innocentem admisit, et palatini Ploczensis Cristini de Goszdowo viri optimi et bellatoris eximii, iniustae morti aliam iniustiorem addidit et truculentiam suam altiori [5]) facinore ingeminavit: propter quod Andreas episcopus Ploczensis eum et uxorem eius publice excommunicavit.

Cunradus Masoviae Dux castrum Bidgostiense a Swantopelkone Pomeraniae Duce interceptum recuperat: et Swantopelkus Cuyaviam igne vastat.

Reconciliatione celebrata, Cunradus Masoviae Dux castrum Bidgostiense, quod a Swantopelkone Pomeraniae Duce interceptum et occupatum fuit, recuperat. Swantopelkus vero in ultionem amissi castri, cum exercitu aliquanto ex equite et pedite congesto Cuyaviensem terram Ducatui suo vicinam ingressus, tumultuario more igne vastat, et oppido Iuniwladislaviensi [6]) et pluribus villis exustis, in munitiones se recepit.

Castrum [7]) Santhok per Polonos negligentius custoditum, per Saxones intercipitur.

Maydburgensis archiepiscopus castrum Lubusch obsidet: cuius exercitum Henricus Pius Maioris Poloniae et Slesiae Dux aggressus, turpiter fugat, funditque.

Maydburgensis archiepiscopus Villebrandus [8]) forti collecto exercitu, con-

[1]) praedictus Conradus *Cod. Rozr.* [2]) praedictum *Cod. Rozr.* [3]) et scholasticum *deest in Cod. Aut.* [4]) crudele *Cod. Rozr.* [5]) altero *Ed. Dobr.* [6]) Inowladislaviensi *Ed. Dobr.* [7]) Eodem anno castrum *Cod. Rozr.* [8]) Hildebrandus *rectius.*

tra Poloniam venit, castrumque Lubusch obsidione cinxit, asserens illud per Henricum quartum [1]) Imperatorem Romanorum sub Boleslao Krzywousty expugnatum, ecclesiae suae Maydburgensi perpetuo donatum fuisse. Dum autem aliquot hebdomadis obsidionem continuasset; Henricus Maioris Poloniae et Slesiae Dux cum copiis insignibus advenit, et exercitum hostilem solutum et incautum aggressus, facile fudit et in turpem fugam egit, obsidionemque solvit. Maydburgensis vero archiepiscopus Villebrandus, pluribus de suis amissis, tristis et moerens, incolumis tamen evasit.

Cruciferorum secundus Magister Popinus [2]), copias suas a Pruthenis barbaris eo anno ad interemptionem [3]) deletas ulturus, in earum supplementum novas surrogans, castrum Balgam sub Pruthenis conquirit. Quod repetendum barbari, duobus castris in circuitu erectis, tanta vexatione et fame, non sinendo aliquid importari, Cruciferos strinxerant, ut parum abfuit, nisi Otto Dux de Brunswik cum nova militia adveniens barbaros repulisset, quin in hostium cum castro una venirent potestatem. Eius enim potentia Prutheni barbari conflicti sunt, et duo castra barbarica, videlicet Portegal et Schrandin, quae in editioribus locis aedificaverant, et ex quibus Balgam et Fratres in eius relictos praesidio pene usque ad deditionem coangustiaverant, expugnata, frequenti Pruthenorum praesidio aut occiso aut capto. Sub eo quoque tempore idem Pompinus alias Pompo Prussiae Magister conventum et monasterium Fratrum Minorum in Thorun, sub titulo Sanctae Mariae Virginis erigit, et Fratribus Minoribus aream ad inhabitandum assignat.

ANNUS DOMINI 1240.

Diocesis Ploczensis ob necem scholastici Ploczensis per Cunradum Masoviae Ducem patratam, interdicto ecclesiastico subiicitur; in cuius relaxationem Cunradus villam Lowicz ecclesiae Gnesnensi et eius archiepiscopo concessit perpetuo possidendam: eiusque concessionis tenor.

Horrendam et execrabilem necem in virum bonum et innocuum Iohannem cancellarium Masoviae et scholasticum Wladislaviensem et Ploczensem per Cunradum Masoviae et Cuyaviae Ducem miserabiliter patratam, in universo Polonorum Regno divulgatam, vox moeroris et lamentationis est subsecuta: quae Petrum [4]) Gnesnensem archiepiscopum ad mulctandam iniquitatem patrati sceleris permovit, pontifice Ploczensi Andrea pavore, qui in vi-

[1]) quintum *Cod. Rozr.* [2]) Pompinus *Cod. Rozr.* Poppo de Osterna *rectius.* [3]) internitionem *Cod. Rozr.* [4]) Fulconem *rectius.*

rum constantem cadere poterat, ne ducale facinus in scholasticum suum admissum virga apostolica feriret, mortis respectu constricto. Communicato itaque virorum prudentum et iuris divini atque humani peritorum consilio, Petrus Gnesnensis archiepiscopus universas ecclesias in Ploczensi diocesi sitas et universam Ploczensem diocesim, missis processibus publicis, quibus tam ab episcopo et clero, quam a [1]) populo Ploczensi paritum est, ecclesiastico supponit interdicto. Furori primum res haec apud Cunradum Ducem fuit, post terrori, dum comperit Petrum Gnesnensem archiepiscopum acriori censura in se usurum, subito ergo ad percutientem [2]) conversus, missis nuntiis, conventum sibi dari petit. Quo apud Lanciciam instituto, Cunradus Masoviae Dux illuc personaliter cum Andrea Ploczensi episcopo et consiliariis adveniens, signa poenitentiae de admissa in Christum Dominum [3]) nece dedit, se quoque pro diluendo apud Dominum facinore quamlibet poenitentiam salutarem laturum astrinxit. Diffinitum tandem, Duce Cunrado taliter humiliato, et ab omnibus laudatum et acceptum est: ut in expiationem et purgationem [4]) commissi paricidii, villam Lowicz cum silvis et nemoribus eam in circuitu ambientibus, quae quondam ducalis venatio habebatur, ecclesia Gnesnensis et eius pontifices perpetuo iure possideant, Ducem tamen Masoviae unam marcam auri solvendo recognoscant, et quilibet Gnesnensis ecclesiae antistes canoniam praebendatam in Ploczensi ecclesia obtineat et canonicus natus Ploczensis censeatur; ecclesiis vero Wladislaviensi et Ploczensi certas libertates, iura, donationes conferat perpetuo duraturas. Definitione itaque huiusmodi probata, donatione etiam de villagio Lowicz et eius appendiis [5]) ecclesiae Gnesnensi per Ducem Cunradum Masoviae verbo et literis roborata, Petrus Gnesnensis archiepiscopus Ducem Cunradum et a reatu patricidii ad cautelam absolvit et interdictum sustulit, divinaque in Ploczensi diocesi [6]) resumi, et Ducem Cunradum pleniorem absolutionem apud Summum Pontificem petere mandavit. Verum Summus Pontifex Gregorius nonus, absolutionem, quam Petrus archiepiscopus Gnesnensis Duci Cunrado impenderat, pronuntians irritam et inanem, Thomae Wratislaviensi episcopo et Gerardo Cracoviensi scholastico dedit in mandatis, ut recepta a Duce Cunrado condigna satisfactione, absolutionis beneficium eidem impenderent. Qui priorem satisfactionem et Gnesnensi et Wladislaviensi et Ploczensi ecclesiis per Cunradum Ducem factam approbantes, Ducem praefatum a reatu patricidii, exacta perprius a filiis praefati Ducis Cunradi, Boleslao Masoviae et Kazimiro Cuyaviae Ducibus, omnium eorum, quae Cunradus Dux ecclesiis praefatis

[1]) ab episcopis, quam clero et *Cod. Rozr.* [2]) poenitentiam *Cod. Rozr.* poenitendum *Ed. Dobr.* [3]) Christum Dei *Ed. Dobr.* [4]) expurgationem *Ed. Dobr.* [5]) attinentiis *Cod. Rozr.* [6]) ecclesia *Cod. Rozr.*

Gnesnensi, Wladislaviensi et Ploczensi contulerat, confirmatione, prout haec omnia in litera originali [1] praefati Ducis Cunradi, quam [2] Wladislaviensis ecclesia observat, a nobis frequentius visa et tractata [3], continentur, absolverunt; cuius [4] tale est exemplar:

„Cum piarum sit mentium ibi culpam agnoscere, ubi culpa minime re„peritur: multo magis is vigilare debet sollicite et studiose, quem culpa de„primit manifesta et evidentia patrati sceleris Deo reddens alienum, ab Ec„clesiae excludit unitate, qualiter valeat et possit matris Ecclesiae in gremium „revocari, ac gratiam deperditam consequi sui Conditoris. Pensatis igitur his „et aliis exhortationibus patrum beatorum, et in corde nocte, dieque revolu„tis, ego Cunradus Dux Lanciciae pensans, me Deum ac ecclesiam scilicet „Wladislaviensem et Ploczensem enormiter offendisse, ex hoc [5], quod in ca„lore indignationis intemperatae, ductus consilio perversorum, dominum Io„hannem [6] scholasticum earundem ecclesiarum suspendii morte absque deli„beratione iussi interire, ecclesiam Romanam de necessitate super hoc dum „consuluissem, ab ipsa munus absolutionis postulando, et absolutionis per ve„nerabilem patrem meum Fulconem [7] Gnesnensem archiepiscopum mihi super „hoc impartitae [8] petendo confirmationem, quam absolutionem Sedes Aposto„lica reddens irritam et inanem, venerabili viro domino Thomae [9] episcopo „Wratislaviensi et discreto viro domino Gerardo [10] scholastico Cracoviensi „delegavit, ut recepta a me condigna satisfactione, mihi impenderent munus „absolutionis. Praedicti vero patres mei in negotio sibi commisso ratione „praevia incedentes, rigorem iuris erga me misericorditer temperando, ad „absolutionem meam processerunt, suscepta a me eadem satisfactione, quam „in accessu absolutionis primo factae ad instantiam domini archiepiscopi ec„clesiis praenominatis meo detestabili facto laesis et dehonestatis, contuleram, „humiliter et devote. Verum quia in satisfactione exhibita assensum meorum „filiorum dominus episcopus Wratislaviensis et scholasticus Cracoviensis su„pradicti non invenerant ad hoc accessisse, negotium absolutionis meae ali„quantulum extitit propter hoc prorogatum, et me extunc pia monitione ac „paterna exhortatione sollicitaverunt, quatenus filii mei, scilicet Boleslaus [11] „Masoviae et Kazimirus [12] Cuyaviae Duces, in suis Ducatibus ecclesiis nomi„natis satisfactionem impensam et libertatem perpetuo indultam suo gratuito „assensu solidarent. Videntes autem filii mei nominati hoc Ecclesiae sanctae „cedere ad honorem et animae meae esse ad salutem, satisfactionem iam da„tam et libertatem impartitam ratam habentes, inclinati paterna petitione,

---

[1]) literis originalibus *Cod. Rozr.* [2]) quas *Cod. Rozr.* [3]) visis et tractatis *Cod. Rozr.* [4]) Quorum *Ed. Dobr.* [5]) ex hoc quidem *Cod. Rozr.* [6]) J. *Cod. Aut.* [7]) Ff. *Cod. Aut.* Petrum *Ed. Dobr.* [8]) impartiri *Ed. Dobr.* [9]) T. *Cod. Aut.* [10]) G. *Cod. Aut.* [11]) B. *Cod. Aut.* [12]) K. *Cod. Aut.*

„domino Thomae [1]) episcopo Wratislaviensi propriis sigillis instrumentum li„bertatis communitum, in quo libertas ecclesiarum praedictarum plenius con„tinetur, specificatum transmiserunt. Ut autem haec donatio robur sortiatur „perpetuae firmitatis, et a meis successoribus inviolabiliter conservetur sine „omni concussione, patribus meis reverendis, domino Michaeli [2]) Cuyaviensi et „domino Petro [3]) Masoviensi episcopis praesens instrumentum conferendum „duxi, supplicando, quatenus has meas collationes non solum in armario „ecclesiae Wladislaviensis [4]) fideliter et diligenter faciant conservari, imo [5]) „per Sedem Apostolicam meis temporibus procurent etiam confirmari, ut zelus „ambitionis nullum meorum successorum, dum clausero diem extremum, flectat „et inducat ad facti tam pii perturbationem."

Gregorius nonus papa multipliciter per Fridericum Imperatorem afflictus, moritur, Caelestinum quartum episcopum Sabinensem habuit successorem.

Gregorius Papa nonus cum annis quatuordecim sedisset, per Fridericum Imperatorem multis tribulationibus pro zelo et defensione Ecclesiae concussus, tandem bono fine mensis Augusti quartadecima die ad Dominum transiit, et in ecclesia beati Petri sepultus, Caelestinum quartum episcopum Sabinensem, natione Mediolanensem, non tamen immediate post mortem Gregorii, sed biennio prope transacto, Friderico Imperatore discordiae et zizaniarum semen serente, habuit successorem. Cui Fridericus Imperator talibus versibus missis minabatur:

Roma diu titubans variis erroribus acta
Corruet et mundi desinet esse caput.
Astra [6]) docent, fata monent [7]), aviumque volatus,
Et subito [8]) Fridericus [9]) malleus orbis ero.

Cui taliter Summus Pontifex respondit:

Niteris incassum Petri subvertere [10]) navem,
Titubat, sed [11]) nunquam mergitur ipsa ratis,
Astra silent, nil fata monent, nil praedicat ales:
Solius est proprium scire futura Dei.

Hic Papa cum sedisset decem et octo diebus, moritur et in ecclesia Sancti Petri sepelitur. Post cuius mortem vacabat Sedes papalis viginti duo-

[1]) T. *Cod. Aut.* [2]) M. *Cod. Aut.* Matheo *Cod. Ciese.* [3]) P. *Cod. Aut.* [4]) Wratislaviensi *Ed. Dobr.* [5]) sed *Ed. Dobr.* [6]) Fata *Ed. Dobr.* [7]) stellaeque volunt *Ed. Dobr.* [8]) Quod *Ed. Dobr.* [9]) Fridericus ego *Ed. Dobr.* [10]) submergere *Cod. Rozr.* [11]) Fluctuat ast *Cod. Rozr.*

bus mensibus et diebus quatuordecim. Sub quo tempore Fridericus Imperator hostis Ecclesiae, multa in Ecclesiae turbationem ampliorem molitus est, fideles quosque et devotos Ecclesiae opprimit, depraedatur et vexat.

Henricus secundus Wratislaviensis Dux et beatae Hedvigis ac Henrici cum barba filius, monente eadem illustrissima matre Hedvigi, Fratres Minores in Wratislaviam advocat, et ecclesiam Sancti Iacobi Apostoli de novo erectam, et locum pro monasterio illis donat. Sed dum [1]) cum Thartaris pro fide et religione nostra ac fidelium defensione fortissime pugnans occubuisset, Anna Ducissa relicta sua et ecclesiam Sancti Iacobi et monasterium, quae maritus imperfecta reliquerat, consummationi mandare curavit.

Fratres Cruciferi castro Balga sub Pruthenis conquisito, valido illud muniverunt praesidio; contra quos generatio una de Varmiensibus potens et valida, quae Bogetyna [2]) dicebatur, duas munitiones, quarum unam Portegal, alteram Schrando appellabant, extruxit, ex quibus in tantum Fratres Cruciferos coangustiaverant, quod fugere de Balga disponebant. Interim vero Otto Dux de Brunswig cum suis militibus supervenit et Pruthenos Balgam obsidentes conflixit [3]), munitiones vero eorum expugnatas confregit. Sub idem tempus [4]) Magister Livoniae frater Volquinus [5]) ordinem suum, qui dicebatur Ordo Militum Christi, cum ordine Cruciferico nigrae Crucis counivit; et post haec eodem anno in congressu cum Lithuanis habito, cum quinquaginta fratribus et multis sui ordinis pugnans interficitur.

---

[1]) dum *deest in Cod. Aut.* [2]) Bogietina *Ed. Dobr.* [3]) profligavit *Cod. Rozr.* [4]) tempus *deest in Cod. Aut.* [5]) Volquinius *Ed. Dobr.* Volquinus de Winterstadt *rectius.*

LIBER SEPTIMUS.

ANNUS DOMINI 1241.

Thartari Russia devicta, Poloniam celerrime ingressi, eam latissime vastant: quibus tandem Wlodimirus palatinus Cracoviensis apud villam Tursko occurrens, licet ob paucitatem suorum dubitasset prorsus vincere Thartaros, non mediocriter territos et attritos cedere tamen coegit; qui postea suppleto in Russia exercitu, acriores redeuntes, palatinum apud Chmyelik ipsis rursus occurrentem et fortissime pugnantem, sua multitudine opprimunt.

Provocatus clementissimus et optimus Deus Polonorum foedis spurcitiis et impiis, execrandisque facinoribus, quibus contra suam maiestatem per plurimas iniustitias, iniquitates et abusus praevaricando deliquerant, suscitavit Thartarorum ferocem et barbaram gentem contra illos. Et qui superioribus annis, aut exteris, aut domesticis et civilibus bellis eorum delicta castigarat, solita mansuetudine et pietate contra percussos et contemnentes ad percussorem benignum converti, fortis indignationis suae mucronem vibravit, gravissime se Polonorum transgressionibus offensum designans, dum iram suam non peste, non fame, non catholicorum hominum hostilitate, sed barbarorum permisit desaevire in Polonos rabie et ferocitate. Bathy siquidem Thartarorum, ex quo Regnum eorum exortum erat [1]), tertius Rex, plurimis Regnis orientalium et Regibus atque tyrannis eorum subiugatis, supra modum, supraque aestimationem et spem, tam multitudine gentium subiugatarum, quam opibus auctus, quasi sedes orientales sibi et populo Thartarico angustae essent, in Occidentem et partes boreales arma vertit, sperans se tum propter innumeras gentium propriarum et solatia [2]) ferentium [3]) copias, tum propter catholicorum

---

[1]) *ex* quo regno exortus erat *Ed. Lips.* [2]) auxilia *Cod. Rozr.* [3]) ferentia *Cod. Aut.*

Regum, de qua ab exploratoribus certior factus erat, et signanter Ecclesiae Romanae cum Imperio discordiam, Occidentem iuxta atque Orientem occupaturum. Primum itaque Russorum amplissima Regna cum Thartaris, antequam in innumerabilem gentem crescerent, bellare, Thartarosque vincere et fugare solita, Tanaim, Wolham, Dnyepr, Dnyestr amnes profundissimos, item montes Sarmaticos, quos et Silvas magnas appellamus, superans, invadit, illaque obterit et devastat; nonnullos quoque Ruthenorum Principes decernere ausos facili negotio devincit. Mira deinde celeritate in Poloniam venit, et duo oppida in Polonia ea tempestate populosa, Lublin et Zawichost, vicinosque illis districtus et regiones praedatur et devastat. Vidensque se ingenti praeda captivorum utriusque sexus ex Polonis et Ruthenis capta onustum, per viam, qua venerat, in Russiam redit, captivisque in loca secura deductis, in Poloniam festinanter reversus, Bug et Wisla [1]) fluminibus Poloniae transitum per glaciem praebentibus, in Sandomiriam venit, et tam castro quam oppido Sandomiriensi undique obsidione coarctato et tandem expugnato, Koprziwniczensem abbatem et omnes fratres domus Koprziwniczensis ordinis Cisterciensis, et magnum tam ecclesiasticorum quam saecularium, tam virorum quam matronarum, nobilium et plebeiorum utriusque sexus, qui illuc gratia conservandae vitae aut defendendi loci confugerant, numerum occidunt, maximamque stragem in senes et impuberes edunt, paucis puberibus parcunt, quos et ipsos velut vilissima mancipia diris constringunt compedibus. Excidio tam immani apud Sandomiriam acto, per Visliciam et Scarbimiriam, nemine resistere auso, versus Cracoviam, ducatum illis Polonis, qui capti fuerant, monstrantibus, pergebant: sed ex Scarbimiria in die Cinerum, gratia deducendae, quam ex nobilibus et ex ingenuis et agrestibus personis ceperunt, praedae, in Sandomiriam redire coeperant, praedam captam versus metas Thartaricas conducturi. Boleslao Pudico Cracoviensi et Sandomiriensi Duce et per aetatem et imbecillitatem tam forti hosti resistere non valente, sed continente se cum Grzimislawa matre sua Ducissa in Cracoviensi arce, Wlodimirus palatinus Cracoviensis apud villagium Kalina militum et nobilium conventum agit, quem pavor et subita trepidatio discurrentium et a facie Thartarorum diffugientium, omniaque plus iusto de eorum saevitia et potentia disserentium, alibi agi non sinebat, tot et tam insperatis, horrendisque malis, in tam praecipiti hominum discrimine et consternatione [2]), utcunque valeret, provisurus. Audiens itaque Thartaros ex Scarbimiria reversos esse, omnes arma sumere et sequi se iubet, et ad futurum praelium cum Thartaris pro patria, pro coniugibus, pro liberis capessendum [3]) singulos alloquens incendit, aut gloriosam victoriam, aut felicem mortem illos deducens relaturos. Iam Thartari

---

[1]) Vilha *Ed. Lips.* [2]) conversatione *Ed. Lips.* [3]) capessendis *Ed. Lips.*

oppidum Polanyecz ad flumen Czarna situm attigissent, et apud villam, quae maior Tursko vocatur, stativa habebant, dum illos Wlodimirus Cracoviensis palatinus cum caeteris Cracoviensibus militibus, paucis tamen admodum, sed aut vincere, aut mori persuasis, consecutis, subito aggressus, praelium audacissime conserit. Verum etsi propter subitam invasionem Wlodimirus magnam caedem in Thartaros ediderit et strenuissime cum illis pugnam gesserit, tandem tamen sua [1]) paucitate Thartari conspecta, se invicem cohortati, turma ingenti facta, aciem Polonorum frangunt, Polonosque devincunt. Adolescens tunc clarus et spectabilis Michael Przedwoyowicz cum multis aliis fortissime pugnans, pulcherrima morte occubuit. Palatinus Wlodimirus, non sibi sed patriae consulturus, ut esset qui illam tutaretur, incolumis evasit. Inter pugnandum tamen omnis captivorum multitudo in propinquas et contiguas silvas diffugiens, se recepit. Poterat tunc Polonis plena victoria de Thartaris provenisse; sed dum primis aciebus prostratis Thartarorum, Poloni avidius spoliis inhiant, remissius tractando pugnam, gloria triumphi orbati sunt. Thartari etsi apud se victoriam remansisse viderant, strage tamen suorum multiplici, tanquam debellati et victi essent, perculsi, non amplius (ne a novo et recenti invaderentur exercitu) consistere in Polonia, aut praedas agere ausi, citato agmine, morientium suorum Thartarorum ex vulneribus secus viam proiicientes cadavera, in Zawichost, et exinde in Seczechow [2]) sine cuiuslibet molestia perveniunt: ubi in silva magna, quae Stremech in Polonico dicitur, aliquot diebus et noctibus (ut insequentes fallerent) finalem stragem et excidium, quae divina propitiatione, si quis vincere et congredi ausus esset, provenisset, veriti, latuerunt. Exploratoribus deinde suis nihil hostile, sed omnia pacifica renuntiantibus, silva Stremech egressi in Russiam redeunt, et ampliori in supplementum eorum, qui apud Tursko ceciderant, accersito exercitu, repetunt Poloniam, magno fremitu, magnaque ira ultionem de Polonis pro edita in se strage sumpturi. Et partes, quas superiori transitu vastaverant, pacifice praetergressi, dum apud Sandomiriam duobus diebus stativa habuissent, exercitum suum, considerata eius multitudine, bifarie dividunt: et minorem quidem partem, cuius Kaydanus ductor et princeps erat, versus Lanciciam et Cuyaviam, Ruthenis quibusdam oppido Polonis infestis gressus eorum et itinera dirigentibus, transmittunt, qui regiones illas sine aliquo obice crudelissime igne et caedibus vastarunt; maior pars, in qua solus praesidebat Bathy, versus Cracoviam, populatione latius extensa, contendit et omnem oram versus Islzam [3]) oppidum et flumen Kamyona sitam caede et incendio pervastat. Cuius et in hodiernum diem monstrantur et extant vestigia: strata enim inter villas Prandoczin et Rzechow episcopales prope

[1]) tandem tanta *Cod. Rozr.* [2]) Sieciechow *Ed. Lips.* [3]) Ilzam *Cod. Rozr.*

Islzam [1]) consistens [2]), per quam Bathy Thartarorum Imperator ducebat exercitum, via Bathy in hodiernum diem appellatur. Creverant [3]) ex superiori certamine cum Thartaris apud Tursko inito Polonis animi, et Thartarorum quantamcunque multitudinem contra se instauratam vinci posse, aut si id minus procederet, felicius in bello honesta morte defungi, quam domi aut in arce, aut inviis silvis, collibusque turpiter, hoste vastante patriam, delitescere rati, in campum copias educunt. Et Duce suo Boleslao Pudico cum matre Grzimislawa et consorte Kinga apud Cracoviensem arcem relicto, Wlodimirus palatinus, Clemens castellanus Cracovienses, Pakoslaus palatinus, Iacobus Racziborowicz castellanus Sandomirienses cum caeteris baronibus et nobilibus Cracoviensis et Sandomiriensis Ducatuum, Thartaris [4]) et eorum potentiis in Chmyelik villa prope Schidlow oppidum sita occurrunt [5]), et nihil Thartarorum multitudine, quam et ab exploratoribus cognoverant, et oculis ipsi perviderant [6]), deterriti, feria secunda in crastino Dominicae Iudica, alias Quintodecimo Calendarum Aprilis in solis exortu cum Thartaris congrediuntur. Thartari in duas turmas ingentes tamen divisi, una tantummodo cum Polonis congressi, alteram paratam stare et pugnanti laborantique succursum facere iusserant; Poloni una acie, unaque turma glomerati, nullam in subsidiis, quae laboranti ferret opem, propter gentium suarum paucitatem, reliquerant. Cum prima itaque Thartarorum turma, acies Polonorum, cuius laevum cornu palatinus et castellanus Cracovienses, dextrum palatinus et castellanus Sandomirienses tenebant, fortissime horis aliquot dimicans, fortioribus Thartaris et his, qui ordines ducebant, caesis, eam primo loco cedere, dein pedem referre, ultimo terga dare coegit. Verum Thartaris ex prima turma in secundam ad subsidia facile se recipientibus, secunda Thartarorum turma, in qua praestantiores bellatores erant, certamen illico iniit, et Polonos priori certamine aut fessos, aut vulneratos plurimum [7]) obterrere coepit. Adnitebantur optimi duces, Wlodimirus palatinus, Clemens castellanus Cracovienses, Pakoslaus palatinus, Iacobus Racziborowicz castellanus Sandomirienses pro victoria, et non tam ducum, quam militum agendo officium, praelium in locis aliquot restituerant: sed tandem et ipsi, ut fortissimis et optimis militibus conveniebat, multis vulneribus pugnando pectore adverso confossi, cadunt. Quorum occasus a Polonorum militibus aut conspectus aut vulgatus, animos illorum primum perterruit, post fregit. Unde ab equitatu Thartarico, ducibus occidentibus, obtriti et victi in fugam vertuntur, per quam etsi multi silvis et notitia itinerum tecti evaserint, maior tamen pars exercitus Polonici in praelio

---

[1]) Ilzam *Cod. Rozr.* [2]) existentes *Ed. Lips.* [3]) Creverant etiam *Ed. Lips.* [4]) cum Thartaris *Ed. Lips.* [5]) concurrunt *Ed. Lips.* [6]) praeviderant *Cod. Rozr.* [7]) plurimos *Ed. Lips.*

illo gloriosam mortem pro fide, pro [1]) patria oppetiit. Inter desideratos vero cecidere Cristinus Sulkowicz de Myedzwyedz [2]), Albertus Stampoczicz, Nicolaus Withowicz, Zementha Grabina, Sulislaus milites et adolescentes strenui et alii multi, qui in acie animose et fortiter pugnaverunt, et quorum laudem et constantiam universos Polonos commemorare et efferre convenit.

A flumine autem Thartar in regione Thartarica decurrente, genus hoc atque lingua ad expiandas praevaricationes, culpas et scelera Polonorum et caeterorum Christianorum in conflatorium deputata, Thartarorum nomen sortitum est. Prius enim gentes ipsae Mangoli [3]), a multitudine plerique eos Thartoros vocitari perhibent; lingua enim eorum multitudo Thartar appellatur. Sunt autem Thartari homines impii, et tam animo quam factis crudeles, breves statura et tibiis, naso plano et adunco, facie lata et imberbi, oculis brevibus et perspicacibus, pectore distensi et largi, colore tetri et nigri, corpore robusti, lacte equino et carne atque sanguine, cibisque et carnibus crudis, et praesertim milio cruore equino immixto pascuntur, panis, salis et omnium deliciarum osores. In omnem tamen libidinem et illecebram carnalem proclivi et praecipites, frigoris iuxta atque caloris patientes, parco ac parabili contenti cibo, in se civiles, benevoli, fideles, veraces et humani, in extraneos primum quidem blandi, sed temporis processu vafri, callidi et mendaces, ad petendum importuni, ad dandum tenacissimi.

Caeso apud Chmyelik Polonorum exercitu, Thartari veniunt Cracoviam, quam populo ac Duce, nam hic in Hungariam fugerat, prorsus vacuam cernentes, miserabiliter vastant et incendunt; templum tamen divi Andreae tunc temporis ante moenia situm, cura pauperum hominum servatum est.

Strage et occisione fortissimorum militum apud Chmyelik [4]), iusto Deo occulto suo iudicio permittente, secuta, in caeterorum, qui in Ducatibus Cracoviensi et Sandomiriensi relicti fuerant, pectora tantus pavor et mentis hebetudo irrepsit, ut plures in Hungariam, alii in Almaniam diffugerent, caeteri et praesertim agrestes cum coniugibus, pignoribus et pecore, in paludes, silvas et in avia loca se conderent, ac singuli, prout quemques sors ferebat, latebras quaesitum discurrerent, scientes Thartarorum rabiem nulli aetati vel conditioni parsuram. Sed et Dux Cracoviensis et Sandomiriensis Boleslaus Pudicus suorum caede apud Chmyelik audita, ex arce Cracoviensi, quasi et illic minus tutus foret, cum matre et coniuge sua felici Kinga, caeterisque

---

[1]) et *Cod. Lis.* [2]) Niedzwiedz *Ed. Lips.* [3]) Mongoli *Cod. Rosr.* [4]) Chmielik *Cod. Rosr.*

charioribus corporibus atque rebus et universali ducali supellectili ad socerum suum Belam Regem in Hungariam effugit, et Thartaris expost Hungariam vastantibus, per Moraviam in Poloniam rediit, longo tempore in castro Pyenini deprope Sandecz ad fluenta Dunayecz sito, commoratus. Thartari autem post cladem apud Chmyelik patratam, Cracoviam in die Cinerum perveniunt, et eam vacuam [1]) hominibus (omnes quippe [2]) in abdita loca diffugerant) reperientes [3]), tam in ecclesias quam domos et quaelibet loca saevientes, die festo Paschae eas [4]) flammis incendunt. Et licet ecclesiam Sancti Andreae tunc extra muros civitatis sitam, in quam homines pauperes et valetudinarii cum suis pignoribus, sarcinis et fortunis in magno numero se receperant, Thartari expugnare contendissent, credentes illic omnes fortunas et opes urbis illatas esse: Polonis tamen ecclesiam praefatam [5]) magna vi, magnoque animo defendentibus, ab eius oppugnatione Thartaros coepto irrito recedere, pluribus ex Thartaris superne occisis, coegerunt. Feria vero secunda Paschae, exercitus alter Thartarorum ex Sandomiriensibus stativis [6]) versus Lanciciam et Cuyaviam directus, regionibus illis et locis, per quae ibat, ferro et igne vastatis, et tam puberibus quam impuberibus interfectis, Cracoviam rediit et suo Regi Bathy et altero exercitui (de quo inter Thartaros magnus celebratus fuit plausus et exultatio, quod incolumibus utrisque et victoribus personalem visionem resumere licuit) se coniunxit. Vastavit et tunc Thartaricus exercitus versus Lanciciam directus Withoviense monasterium, et omnes sanctimoniales, praeter tres, quae in silvas diffugerant, barbarica occidit rabie. Propter quod processu temporis sanctimoniales monasterii praedicti translatae fuerunt in Buschko [7]) Cracoviensis diocesis, quasi in locum magis tutum; abbatia vero Buscensis ex Buschko translata in Withow. Hac igitur plaga iusto Dei iudicio in populum Christianum coelitus permissa, tremor corpora concussit [8]), timor et hebetudo mentis universos occupavit, ita, ut pavidi et stupidi ad invicem se contuentes, et tanquam amentes, remedio consolationis sibi mutuo non possent subvenire. Fuga igitur, qua nil tutius [9]), arrepta, alii in Hungariam, alii in Slesiam et in alias provincias abierunt, pauperes vero in silvas fugerunt. Et Boleslaus quidem filius Lestkonis [10]) cum matre ad Regem Hungariae, cuius filiam anno gratiae MCCXXXIX acceperat in uxorem, divertit. Sed cum propter paganorum potentiorem insultum, tristiorem statum invenisset, in Moraviam fugiens, in...... [11]) claustro Cisterciensium [12]) commoratur.

---

[1]) vacuis *Cod. Aut.* [2]) siquidem *Cod. Rozr.* [3]) reperiendo *Cod. Rozr.* [4]) eam *Ed. Lips.* [5]) praedictam *Cod. Rozr.* [6]) ex Sandomiria *Cod. Rozr.* [7]) Busko *Cod. Rozr.* [8]) percussit *Ed. Lips.* [9]) qua nihil tutius putabant *Cod. Rozr.* [10]) Leskonis *Ed. Lips.* [11]) *Nomen claustri deest in omnibus Codd. et Ed.* [12]) Cisterciensis ordinis *Cod. Rozr.*

Wratislaviensis ora et civitas per Thartaros vastatur, et arx ab eorum obsidione, visa columna ignea, quae super caput monachi orantis coelo descenderat, liberatur.

Urbe Cracoviensi exusta et vastata et incendio consumpta [1]), Bathy Thartarorum Rex cum agminibus suis versus Wratislaviam (hanc quippe [2]) secundam Polonorum urbem magis famosam et insignem didicerat) contendit, et per oppidum Rathiboriense [3]) ducens agmina, fluvium Odra, illic pontes singulos disruptos et exterminatos reperiens, aut vado, aut navigatione, qua Thartari ultra omnes nationes orbis pollent, superavit. Unam autem turmam Thartarorum Odram transgressam et discursiones praedandi gratia incautius agentem, Myeczslaus [4]) Kazimirides Opoliensis Dux inito certamine superavit et usque ad internecionem delevit. Sed cum universum Thartarorum agmen necem suorum vindicaturum celerrime supervenisset, Dux Opoliensis Myeczslaus multitudine eorum conterritus, ad fratrem sum Henricum Wratislaviensem Ducem, filium Ducis Henrici cum barba, quem et ex propriis et ex auxiliariis contra Thartaros parare exercitum cognoverat, in Legniczam, ubi Henricus cogebat exercitum, diffugit, satius unitus Henrico contra Thartaros, quam propriis viribus dimicaturus. A Rathiboriensibus stativis Thartari citato cursu ad Wratislaviam applicant. Quam cum cives, pavore simili, quo et Cracovienses, unumquemque pervadente, adeo ut magis pretiosis tumultuarie et raptim comprehensis, civitatem non solum victualibus sed et opibus pluribus refertam, certatim, quasi Thartari coram adessent, diffugiendo reliquissent: milites et gentes Henrici de arce, quam tutandam assumpserant, egressi et opes et victualia magna celeritate in castrum invehunt, et tum demum evacuatam urbem, solerti consilio usi, ne Thartari eius vel tectis potiri possent et de eius conflagratione gloriari, vel illic figere stativa, iniectis flammis incendunt. Exustam autem, et tam hominibus quam rebus quibuslibet Thartari reperientes Wratislaviensem urbem vacuam, castrum Wratislaviense circumvallant. Verum cum obsidionem in dies aliquot, expugnatione non tentata, protraxissent, frater Czeslaus ordinis Praedicatorum, natione Polonus et monasterii Sancti Adalberti in Wratislavia primus prior, qui et ipse in castrum Wratislaviense cum fratribus sui ordinis et aliis Christi fidelibus confugerat, oratione cum lachrimis ad Deum effusa obsidionem depulit. Eo siquidem in oratione persistente, columna ignea de coelo divinitus super caput eius descendit et universum territorium atque locum civitatis

---

[1]) exusta *Cod. Roer.* [2]) enim *Cod. Roer.* [3]) Ratiboriam *Ed. Lips.* [4]) Meczlaus *Ed. Lips.*

Wratislaviensis stupendo atque inenarrabili fulgore illustravit. Quo prodigio Thartarorum pectora adeo in pavorem stuporemque conversa sunt, ut obsidione soluta, fugerent magis quam discederent. Interim Thartari, qui in Cuyaviam iverant, cum his qui de Cracovia venerant, in territorio Wratislaviensi feria secunda Paschae convenientes, terram igne devastantes, populum sagittis et rhomphaeis perimentes, in Legniczam proficiscuntur.

Thartari a Wratislavia Legniczam vadunt: contra quos Henricus Dux potentissimo animo exercitum colligit.

Thartari et ab exploratoribus propriis et ab agrestibus, qui in illorum manus incidebant [1]), docti, apud Legniczensem civitatem plures Catholicorum gentes convenisse, illuc ire pergunt, et a Wratislavia versus Legniczense oppidum, omnia in circuitu dando in flammas, reflectunt iter. Femina beata Hedvigis, quae in monasterio Trzebniczensi cum virginibus virginitatem et religionem Cisterciensem professis morabatur, non tam sibi metuens, quam sanctimonialibus, ex Trzebniczensi loco neque arte neque natura munito, in Krosznam, castrum in confluentia fluviorum Odrae et Bobr situm, tam se quam sorores et universa quae monasterii erant, item Annam Ducissam filii sui Henrici consortem, et plures alias nobiles feminas et matronas traduci procuravit, et in illo per omne tempus, quo Slesiae ora a Thartaris quassata est, quievit. Henricus Dux Wratislaviensis filius suus, dum haec aguntur, tam Maioris Poloniae quam Slesiae milites et armigeros, sed et rusticanos [2]) et agrestes homines, spe potiundae de Thartaris victoriae quam maxime fretus, in arma coegerat, nonnullosque dato donativo conduxerat; plures voluntarii et Cruce signati (iam enim auctoritate apostolica in multis regionibus Crux contra Thartaros, velut communes et publicos Christianae religionis hostes praedicabatur) se illi coniunxerant, item Myeczslaus Dux Opoliensis, item Boleslaus Marchio Moraviae filius Dipoldi expulsi, et nepos germanus Henrici cum barba ex sorore germana Adleyda, qui Schepolka cognominatus est, cum militibus suis, item Pompo de Hosterno [3]) Magister generalis Cruciferorum de Prussia et Fratres militiae ordinis sui, laturi in id bellum solatia [4]) Henrico, advenerant. Quem non duplex clades in Tursko et Chmyelik Polonis per Thartaros inflicta, non Thartarorum fortissima, et quae dinumerari vix possent agmina, non suarum gentium paucitas a futuro certamine revocabant; in quamcumque partem eventus futuri certaminis recideret, se

[1]) inciderant *Cod. Rozr.* [2]) rusticos *Cod. Rozr.* [3]) Hostern *Ed. Lips.* [4]) auxilia *Cod. Rozr.*

tam spe et animo, quam voce et sonora in cunctos declamatione portendebat: pluris eam victoriam, maiorisque celebritatis, maiorisque muneris existimans debere [1]), per quam illum occidi in corpore, triumphare in anima concederet [2]); veriorem hunc et immortalem triumphum et sibi ducens et militibus disserens, si tam se, quam illos in praelio pro fide et religione Christiana occumbere feliciter, quam relata victoria vivere et labe aliqua pollui, contigisset. Cum Thartaris itaque dimicaturus, priusquam copias ex Legnicz, ubi conventus militum agebatur, educeret, tam se, quam universos barones, milites et eos, qui ordinum erant ductores, missa solenniter et devote in ecclesia beatae Mariae Virginis Legniczensi decantata, viatico sacro, confessione praemissa, procuravit saginari. Deinde a matre optima et benedicta Hedvigi Ducissa, ut id bellum fortissime et constanter ageret, animatus est. Quae quamvis illum occisurum, et suum omnem exercitum clade grandi in futuro certamine ruiturum spiritu revelante cognovisset, et tam necem filii, quam sui exercitus ruinam uni ex sanctimonialibus nomine Adleydi, et magis religiosae et sibi magis familiari, praedixisset, non tamen filium ab incepto opere revocabat, aut distinebat; sed neque aliquem moerorem aut fletum emisit, vel moestum et turbatum gessit vultum: quinimo talem hilaritatis tenorem et in pectore et in vultu retinuit, iuxta acsi illum et suum exercitum victorem et incolumem reverti praescivisset, conformans se in singulis et gestu et animo divino beneplacito et eius irrefragabili et semper in optima quaeque dirigentis, voluntati.

Henricus Dux cum Thartaris alacriter congreditur: ubi dum pene iam victor esset, Thartarorum infascinatione exercitus eius debilitatus adeo caeditur, ut ne ipse quidem Henricus Dux servari potuerit.

Ex Legniczensi oppido Henrico Duci cum suis agminibus in bellum cum Thartaris gerendum egredienti, lapis de vertice ecclesiae beatae Mariae, in qua pridie pro sua et exercitus sui incolumitate Maiestati Divinae libamina oblata erant, prolapsus, iuxta caput Henrici Ducis in splendore armorum suorum [3]) obequitantis, procidit, parumque abfuit, quin testam capitis ducalis non rumperet. Quae res apud omnes aut in religionem versa, aut pro infesto omine (quemadmodum erat) sumpta, futuri discriminis periculum, in quod Dux Henricus et suus exercitus ex conflictu recisurus erat, infallibili argumento ostentabat [4]). Suburbana oppidi Legniczensis praetergressus, in

[1]) esse debere *Ed. Lips.* [2]) contingeret *Ed. Lips.* [3]) suos *Cod. Roxr.* [4]) ostentabatur. *Ed. Lips.*

planis et campestribus, quae fluvius Nissa circumfluit, exercitum et acies ordinat et quadrifaria [1]) agmina partitur. Agmen primum tenebant Cruce signati voluntariique milites ex variis linguis nationibusque collecti; ad quorum supplementum, quatenus densiores fierent ordines, cum peregrini milites ad id parum sufficientes essent, aurifossores ex oppido Goltperk (illic enim auri fodinae erant) adiuncti sunt: id Boleslaus Marchionis Moraviae filius ducebat. Alterum Cracovienses et Maioris Poloniae milites: his Sulislaus, frater Wlodimiri [2]) palatini olim Cracoviensis praeerat. Tertium Opolienses milites, quos Dux Myeczslaus Opoliensis ducebat; quartum Pompo de Hosterno [3]) Magister generalis Prussiae cum Fratribus et militia sua; quintum solus Dux Henricus tenebat [4]), in quo Slesitae et Wratislavienses erant armigeri, et meliores praestantioresque ex terris Maioris Poloniae et Slesiae milites, et nonnulli alii mercede conducti. Totidem erant Thartarorum agmina, sed multo viribus, robore et frequentia pugnatorum praestantiora, et quorum quodlibet per se omnia Polonorum agmina excedebat. In campo itaque, qui Bonus campus sive a soli ubertate, sive quod in omnes partes porrectus et latus est, dum uterque exercitus Quinto Idus Aprilis, alias feria secunda post Octavas Paschae, convenisset, Cruce signatorum et voluntariorum militum et aurifossorum exercitus primus pugnam (id enim munus magno studio efflagitatum, permittente Duce Henrico, consecutus fuerat) coepit. Magno impetu ab utraque parte concursum est, atque Cruce signati et peregrini milites primos Thartarorum ordines lanceis confecerant, gradumque promovebant. Sed cum gladiis cominus agi res coepisset, Cruce signatorum et peregrinorum militum a Thartarorum sagittariis undique circumacta acies adeo, ut illi per caeteras Polonorum acies succurri sine discrimine non posset, labefactata et deinde multitudine sagittarum (cum et in ea plures nudi et inermes essent) non secus, quam si tenerae aristae a grandine percussae, obtrita est. Ubi Boleslao Dipoldi Marchionis Moraviae filio, caeterisque primorum ordinum militibus cadentibus, residui, qui et ipsi Thartarorum sagittis confecti erant, ad Polonorum agmina refugerunt. Duo deinde agmina Polonorum sub Sulislai militis et Myeczslai [5]) Opoliensis Principis consistentia ducatu succedunt in pugnam, quam cum tribus agminibus Thartarorum incolumes pro sauciis subire facientium, feliciter et constanter gessissent, stragemque ingentem in Thartaros, cum a Thartarorum sagittis, Polonorum balistariis ea defendentibus, tuta essent, edidissent, Thartarorum acies primum pedem referre, et Polonis acrius contra perculsos instantibus, mox etiam verti in fugam coactae

[1]) quadrifariam *Cod. Rozr.* [2]) Vladimiri *Cod. Lis.* [3]) Tertium agmen milites Opolienses et Pompo de Hostern *Cod. Rozr.* [4]) cum Fratribus et militia sua tenebant, hos Myeczslaus Dux Opoliensis ducebat. Quartum solus Dux Henricus ducebat, *Cod. Rozr.* [5]) Myeszlavi *Cod. Aul.*

sunt. Quidam interea de Thartarorum agminibus, et an Ruthenicae vel Thartaricae nationis esset, incertum habetur, celerrimo et vago passu hinc inde circa utrasque [1]) acies discurrens, terribilem utrumque exercitum dissona adhortans lingua, edebat clamorem, et Polonica quidem lingua vociferabatur: Byegaycze, byegayczo! [2]) id est: Fugite, fugite! Polonis ingerens formidinem et pavorem, Thartarica vero lingua Thartaros ad pugnam et perseverantiam hortabatur. Ad hanc vocem Dux Opoliensis Myeczslaus, non hostem sed proprium et amicum, et ex compassione non vafricie credens ista vociferatum esse, deserto praelio fugit, magnamque militum, eorum praecipue, qui sibi in tertio agmine parebant, catervam [3]) in similem fugam traxit. Quo et oculis viso, et aliorum relatione ad se perlato, Henricus Dux ingemiscens, lamentari coepit dicens: Gorze szą nam stalo! [4]) id est: Magna afflicto accidit nobis! Nihil tamen Myeczslai fuga et eorum, qui sub agmine erant suo, deterritus, quartam suam aciem ex melioribus et fortissimis pugnatoribus compositam in praelium subducit, et tres acies Thartarorum a prioribus Polonorum duabus aciebus debellatas et disiectas, fortius quo potest, prosternit et obtruncat, fugamque capessere impellit. Sed quarta Thartarorum acies, in qua Rex Bathy erat, omnibus tribus maior, supervenit, pugnamque in integrum [5]) restituit et laborantibus atque disiectis Thartaris opem fert, terribilique impetu in Polonos invehitur. Sed non referentibus Polonis pedem, pro victoria quoque consequenda adnitentibus, bellum acerrimum aliquanto tempore durabat inter utrosque; in quo primoribus Thartarorum magna ex parte caesis, non longe abfuit, ut Poloni plena victoria potirentur: iam siquidem Thartari, ordinibus eorum rarefactis, spectare coeperant in fugam. Erant in Thartarorum exercitu inter alia signa vexillum perimmane, in quo tale signum X depictum videbatur. In summitate vero hastilis [6]) vexilli imago capitis tetri et nigerrimi cum mento barbato habebatur. Signifer itaque illius vexilli, Thartaris ad unius stadii spatium pedem referentibus, in fugamque proclivis [7]), caput quod hastili supereminebat, fortius quo poterat quatire coepit: de quo illico vapor, fumus et nebula tam foetidissime exhalavit, in totumque Polonorum exercitum se superfudit, ut prae horrendo et intolerabili foetore pugnantes Poloni pene exanimati [8]) et extincti, et ad pugnandum imbelles et invalidi redderentur. Constat siquidem Thartaros ab origine sua et usque praesens in tempus divinandi, augurandi, ariolandi et incantandi arte et scientia semper in bellis et extra usos fuisse, et illam etiam in certamine cum Polonis tunc gesto exercuisse; nec inter barbaras

---

[1]) inde citrasque *Ed. Lips.* [2]) Biegaycie, biegaycie *Ed. Lips.* [3]) catervatim *Cod. Aut.* [4]) Gorzey szię nam stało *Cod. Rozr.* [5]) pugnamque integram *Ed. Lips.* [6]) hostilis *Cod. Rozr.* [7]) proclivibus *Cod. Rozr.* [8]) exanimes *Ed. Lips.*

nationes altera reperitur, quae de suis sortilegiis, divinationibus et incantationibus, quantum haec, cum quid agendum est, magis confidat. Thartarorum itaque exercitus intelligens Polonos iam pene victores, ex nebula, fumo et foetore, magno pavore et quasi quadam desperatione percussos esse, clamore horrido sublato, in Polonos se vertit, et aciebus eorum, quae in id tempus integrae erant, disruptis, strage magna, in qua Boleslaus Dux Dipoldi Marchionis Moraviae filius dictus Schepolka, cum multis aliis insignibus militibus felici cruore necatus est et Pompo Cruciferorum Magister de Prussia cum suis magna clade obrutus, Polonorum residuum agmen in fugam vertit. Henricum tamen Ducem fortissime pugnantem nondum suus exercitus deseruerat. Caeteris tamen [1]) Polonis fuga lapsis, ita a Thartaris corona circumsessus est [2]), ut a tergo et fronte caederetur: non ob id tamen pugnam omisit, sed obvios quosque interimendo Thartaros, penetrare eorum multitudinem nitebatur; facile tamen paucitas a multitudine absumpta et obtrita est. Iam circa Ducem Henricum nonnisi quatuor milites versabantur: Sulislaus frater Wlodimiri palatini Cracoviensis apud Chmyelik occisi, Clemens palatinus Glogoviensis, Cunradus Cunradowicz et Iohannes Iwanowicz. Aliis itaque certamini intentis, hi quatuor Ducem Henricum, ne in discrimen necis incideret, quanta possunt vi et conatu ex acie et praelio educunt, et penetratis hostilibus ordinibus, Principem incolumem servaturi, quo minus acerba minusque foeda Principe servato clades esset, ad fugiendum se disponunt. Respondisset forsitan eorum proposito effectus, sed ducalis equus multis [3]) sauciatus vulneribus subsistebat. Dux itaque Henricus ex insignibus cognitus per Thartaros, veloci concursu consecutus, cum tribus militibus, quarto Iohanne Iwanowicz ab illis segregato, vallatus est, cum quibus suis tantummodo tribus stipatus militibus, aliquanto tempore decertabat. Et licet Iohannes Iwanowicz equum recentem a Rosczislao cubiculario ducali receptum [4]), Duci, penetratis hostium cuneis, exhibuisset, Dux quoque Henricus illo ascenso, Iohannem Iwanowicz, qui sibi viam inter hostes praeparabat, secutus, evadere adnixus esset: Iohanne tamen Iwanowicz in ipso cursu vulnerato et nihilominus evadente, Duci Henrico cursus et evasio intercipitur, et tertio a Thartaris vallatur. Omni itaque spe quatenus evaderet destitutus, iterum atque iterum nunc laeva, nunc sinistra contra Thartaros audacissime dimicat. Verum dum manu dextra elevata Thartarum sibi obvium ferire vellet, ab altero Thartaro lancea sub ascella transfixus, ex equo demisso brachio moribundus defluxit: quem Thartari clamore ingenti et vocum inconditarum strepitu sublato capiunt, et extra certaminis locum, quantum geminatus est balistae iactus,

---

[1]) autem *Cod. Rozr.* [2]) cinctus erat *Ed. Lips.* [3]) plurimis *Ed. Lips.* [4]) repertum *Ed. Lips.*

pertractum, framea caput abscindunt, corpus insignibus omnibus detractum [1]), nudum relinquunt. Sed et magna baronum et nobilium Poloniae multitudo in praelio huiusmodi pro fide et defensione religionis Christianae felici martyrio consumata [2]): inter quos (ut superius retulimus) Sulislaus frater Wlodimiri palatini Cracoviensis, Clemens palatinus Glogoviensis, Cunradus Cunradowicz, Stephanus de Wirbna et Andreas filius suus, Clemens Andreae filius de Pelcznicza, Thomas Pyotrkowicz, Petrus Kuza [3]) fuerunt [4]) magis clari et insignes. Quam quidem universam cladem et filii necem beata Hedvigis in Kroszna degens, per Spiritum ea qua acciderat hora cognoscens, Adleydi virgini revelavit. Iohannes Iwanowicz [5]), consequentibus eum novem Thartaris, dum fugiendo, duobus [6]) suis armigeris et Luzmanno militi duos similiter familiares habenti, iunctus et aggregatus, in novem Thartaros suos persecutores, in quodam rure a loco praelii uno milliari distante se reficientes [7]), quamvis duodecim vulneribus transfossus, irruit, et octo ex illis occisis, nonum pro captivo servavit; ordinem quoque Praedicatorum procedente tempore ingressus, religiose et devote (quod in tam grandi discrimine a Domino coeli protectus fuerit) vitam egit. Myeczslaus vero Dux de Opol cum paucis evadens, in castrum confugit Legniczense, indignus, cui laurea martyrii cum tot militibus pro fide Christi contigisset.

Caeso Henrico Duce ac eius exercitu, Thartari ad arcem Legniczensem applicant: quam cum defendi a militibus viderent, in Moraviam discedunt. Interim Dux Henricus et alii occisi sepeliuntur.

Maxima victoria de Duce Henrico et suo exercitu, caeterisque Ducibus suis auxiliatoribus Thartari potiti, lectis spoliis, et unicuique occiso (quatenus numerus interemptorum sciri posset) una auricula abscissa, novem grandes saccos usque ad summum auriculis replent, et Ducis Henrici capite in hastam longiorem erecto, ad Legniczense castrum (oppidum enim metu Thartarorum exustum fuerat) applicant, caputque Ducis Henrici castrensibus ostentant et per interpretem, quatenus sibi Duce suo Henrico victo et occiso, castrum aperiant, mandant. Sed a castrensibus convenienti responso edito, quod pro uno interfecto Duce plures illis Duces, filii optimi Ducis Henrici, superessent, vastatis et incensis his, quae circa Legnicz [8]), villis, in Othmuchow se conferunt: ubi quindecim diebus continuando stativa, omnem per circuitum

[1]) detractis *Cod. Lis.* [2]) consumpta fuit *Cod. Lis.* [3]) Kusza *Ed. Lips.* [4]) hi fuerunt *Ed. Lips.* [5]) Gywanowicz *Cod. Aut.* [6]) cum duobus *Cod. Roer.* [7]) reficiens *Cod. Roer.* [8]) Legniczam *Ed. Lips.*

regionem vastant et exurunt [1]). Exinde Rathiboriensem oram adeunt, et in Bolesicsko [2]) diebus octo demorati, in Moraviam cum magna caede secedunt. Corpus Ducis Henrici post dies plures, Thartaris Rathiboriam abeuntibus [3]), ad sepulturam quaesitum, dum inter cadavera, eo quod testa truncum esset, dinosci non posset, relicta sua Ducissa Anna signum dante, quod in pede laevo sex digitos haberet, tandem repertum est et Wratislaviam deductum, in ecclesia Sancti Iacobi apud Fratres minores, solutis omnibus, quae tanti Principis et athletae Deì funeri solvenda erant, in chori medio sepultum. In eodem insuper Sancti Iacobi monasterio corpora Pomponis Magistri Prussiae et Fratrum suorum, Clementis palatini Glogoviensis, Sulislai fratris Wlodimiri palatini Cracoviensis, Cunradi Cunradowicz, Stephani de Wirbna et filii sui Andreae, Clementis, Thomae Pyotrkowicz, Petri Kuza et aliorum humata sunt. Femina benedicta Hedvigis Henrici cum barba Ducis Wratislaviensis relicta, dum ad se nuntius tristis, occisionem filii Henrici et totius sui exercitus denuntians, perlatus esset, omnem animi materni motum in potestate habuit, et nedum lachrimas emisit, sed nec tristem vultum gessit. Ducissam insuper Annam filii sui Henrici relictam, et sanctimoniales tam ingenti dolore afflictas, ut pene mortuae crederentur, a fletu et lamentis [4]) cohibebat, asserens casum cladis illius ex Dei voluntate, quae sibi ante innotuerat, procedentem, grate potius quam moleste ferri oportere. Tunc quoque exultans spiritu, elevata in Deum devotione depromebat: Glorifico te, inquit, clementissime Deus, quod talem filium te donante genuerim, qui in omni vita sua debitum semper mihi praestitit honorem, charitatem et famulatum, neque unquam praestitit se mihi aut molestum aut offensum [5]). Quem etsi pro conditione mortalis huius et caducae vitae optarem semper mihi vivere et incolumem esse, magis tamen deligo, glorior et exulto, quod per eius sanguinem pro te et tua religione effusum, redditus est tibi suo Creatori, cuius animam supplex et prostrata tuae maiestati humiliter commendo. Corpus Boleslai filii Dipoldi Marchionis Moraviae in Lubens [6]) monasterio in conversorum choro sepultum est; super caetera corpora fidelium, quae in praelii loco sepulturae mandata sunt, ecclesia in hanc etiam diem durans constructa. Cladis autem Thartaricae magnitudo et acerbitas etiam ex literis Summi Pontificis potest deprehendi. Ita enim in literis apostolicis, Crucem datam pro subsidio Poloniae contra Thartaros continentibus [7]) scriptum reperimus: Porro varia sunt et diversa et admodum gravissima, quae sine interpositione animum nostrum premunt, videlicet, urgens negotium Terrae Sanc-

---

[1]) incendunt. *Ed. Lips.* [2]) *forsitan* Golesicko, *territorium (Opaviense) in terminis Moraviae et Silesiae situm.* [3]) adeuntibus *Cod. Lis.* [4]) lachrymis *Ed. Lips.* [5]) infensum. *Cod. Rozr.* [6]) Lubensi *Cod. Rozr.* [7]) continentibus *deest in Cod. Aut.*

tae, instans tribulatio Ecclesiae et miserabilis status Imperii Romani. Sed ut verum fateamur, istorum omnium et nostri etiam obliviscimur, dum persecutionem Thartaricam cogitamus. Nam pensando, ne per huiusmodi Thartaros pereat (quod absit) nomen nostris temporibus Christianum, consideratio sola omnia ossa nostra confringit, medullas excitat [1]), corpus macerat, spiritus et virtutes extenuat, tantumve nobis affert angustiae et doloris, quod in extasi quodammodo positi, nescimus, quo nos vertere debeamus.

Moraviam Thartari vastant, Rege Wenceslao in arce munita se continente; horum Dux unus insignis apud Olomuncz capitur: pro quo recuperando cum diu et minis et officiis frustra laborassent, tandem in Hungariam abeunt.

Non minor caedes et strages fidelium per Thartaros in ipso eorum in Moraviam ingressu secuta est: Rege siquidem Wenceslao Bohemiae in castris et tutis locis se continente, Thartari per omnem Moraviam libere grassati, uno et amplius mense tam incendiis, quam caedibus et variis cruciatibus (nemine aut resistere, aut ferre audente opem [2]) in Moravos debacchati sunt. Stativa autem illis iuxta Olomuncz habentibus, Dux unus Thartarorum apud suos tam genere quam armis vir magni pretii [3]), cum paucis suis ad moenia urbis incautius progressus, a militibus Moraviae, suis eum deserentibus, captus est. Captivatori eius ob virtutis insigne, et stella pro armis, et castrum Sternbark [4]) a Wenceslao Duce Bohemiae donata. Cuius captivitas dum in Thartarorum exercitu vulgata esset, magnus rumor et eiulatus de captivitate tanti Ducis in castris coortus etiam ab Olomunczensibus [5]) exaudiebatur. Cuius liberationem dum [6]) nec terroribus, nec aliorum captivorum relaxatione efficere valuissent, desertoribus suis et sui corporis custodibus Olomunczensibus traditis (quasi Olomunczenses magis in eos quam Thartari animadversuri essent) ab Olomuncz discedunt et septimis castris Hungariam [7]) perveniunt, ac illam flammis et incendiis atque caedibus crudelissimis pessumdant.

---

[1]) exsiccat *Cod. Rozr.* [2]) auxilium *Cod. Rozr.* [3]) nominis *Cod. Rozr.* [4]) Sternburgk *Cod. Rozr.* [5]) Olomucensibus *Ed. Lips.* [6]) Dum autem liberationem ipsius *Cod. Rozr.* [7]) in Hungariam *Ed. Lips.*

Thartari in Hungariam veniunt: quibus Rex Bela cum Colomanno nepote resistere volens, castris imprudenter positis, potentem exercitum perdit; in quo etiam praeter Duces caeteros archiepiscopi duo et episcopus unus interierunt, Rex vero Bela et Colomannus in Austriam fugere.

Audiens Bela Hungariae Rex Thartarorum Duces Bathy et Kaydanum [1]) cum pluribus legionibus et innumerabilibus catervis Thartarorum, bigas, quadrigas, uxores, pignora et imbellem aetatem, pluraque impedimenta secum ducentibus, Regnum suum Hungariae introisse et illud in magna iam parte pervastasse, ex omni Regno suo militibus et bellatoribus versus flumen Cziszа [2]), tam ex equite quam pedite convenire iussis, in campum una cum Colomanno nepote suo germano et curiensibus, militibusque suis descendit. Ad quem cum frequens baronum et pugnatorum numerus in magna multitudine, item Magister Templariorum cum fratribus ordinis sui confluxisset, etiam Pannonici pontifices, videlicet Matthias Strigoniensis, Ugrinus Coloczensis archiepiscopi, Gregorius Iavriensis episcopus, et fere universi Hungarorum episcopi cum aciebus et turmis armatis, signisque extensis (quasi ad bella armaque gerenda, non ad sacrificia pro delictis hominum expiandis offerenda, ordinem suscepissent) conveniunt. Invasionem autem nocturnalem Bela Rex a Thartaris veritus, exercitum suum omnem in spatium coarctavit angustum, et per plures dies illic tenuit stativa. Sub quibus Thartarorum Princeps Bathy tabernacula Hungarorum (denuntiantibus exploratoribus) compressa et coarctata intelligens, primoribus sui exercitus convocatis, nullam industriam, nullam prudentiam, nullam militaris disciplinae peritiam in Hungaris, qui se tam arctis spatiis in stando compresserant, docet, ipsosque in pugnam crastina die ineundam animat, corporaque curare iubet. Cumque altera illuxisset dies, ordinatis aciebus in Hungaros irruit, et quamvis aliquanto tempore primae Hungarorum acies restitissent et fortissime dimicassent, ad extremum tamen [3]), abundante Thartarorum multitudine, conflictae et caesae sunt: quibus cadentibus, caetera omnis multitudo Hungarorum in fugam dilapsa est. Maior autem fugientium pars, Thartaro persequente [4]), in paludem intrare coacta, aqua et luto suffocata periit: ubi biduo [5]) archiepiscopi Strigoniensis et Coloczensis et Gregorius Iavriensis episcopus cum magna multitudine sacerdotum extincti [6]), quibus satius fuit, se suumque populum piis votis, lachrimis et precibus, in sacris aedibus commorando, commendare tremendae

[1]) Kandanum *Ed. Lips.* [2]) Czissa *Ed. Lips.* [3]) tandem *Ed. Lips.* [4]) Tartaris persequentibus *Ed. Lips.* [5]) duo *Ed. Lips.* [6]) extincti sunt *Cod. Rosr.*

Maiestati Divinae, quam accingi armis et obversari [1]) noctes diesque in castris. Unde factum est, ut qui uno agmine ibant ad vetitam pugnam, uno interitu involverentur ad poenam. Non solum autem pontifices et sacerdotes, caeterosque ecclesiasticos viros, sed et plerosque milites et pugnatores mortis metu fugientes, palus huiusmodi limosa (dum nec progredi, nec stare aut fugere, sed nec in hostes converti et honeste fundere animam luto oblitis et captis liceret) extinxit. In ea clade Magister Templi cum pluribus militibus sui ordinis, item baronum et militum Hungariae insignis ordo, occisi. Ambo tamen Principes, dum suos cedisse et Thartaros praevaluisse animadverterent, ex praelio diffugiunt: et Bela quidem Hungariae Rex fugiendo in Austriam divertit et illic in castro quodam se per plura tempora condidit; Colomannus vero nepos regius fugiendo in oppidum Pesth pervenit, ubi notabilem exercitum ex Hungaris et advenis collectum offendens, magnopere illi [2]) discessionem dispersionemque (asserens eius adversus Thartarorum potentiam tenues esse vires) persuasit. Verum cum suadere non posset (agrestis enim et inculta multitudo nulla sana consilia accipiebat), in Austriam et ipse divertit et in quodam castro latuit, expost vero in Zagrabiam venit.

Hungarorum ac aliorum Christianorum exercitus ad centum et amplius millia apud Pesth rursum convenit: cui superveniens Thartarorum multitudo universum, cum iam triduo sustinuisset praelium, partim caede, partim etiam miserabili calamitate delet.

,Victoria de rege Bela et suis exercitibus Bathy Thartarorum Dux [3]) relata, in magnam superbiam, audaciamque erectus, victorem exercitum versus Pesth ducit: illic enim maxima adversum se Christianorum agmina ab exploratoribus suis convenisse didicerat. Praelio autem ab utrisque inito, tribus diebus acerrime pugnatum est. Et quamvis Hungari, caeterique Christiani pro victoria adnixi fuissent, tertia tamen [4]) die ad vesperam cessit Thartaris ex occulto iudicio Dei victoria, et reliquiae miserabilis et miserandi exercitus a Thartaris absque ullo pietatis respectu deletae. Centum et amplius Christianorum millia eo praelio per triduum interfecta. Ad oppida, vicos et rura per Thartaros discursum est, et omnis sexus, omnis conditio, omnis aetas trucidata. Et licet sacerdotes et monachi, caeterique ecclesiastici cum processionibus et reliquiis Sanctorum, illorum placaturi furiam, eorum adventum exciperent, Thartari tamen omnibus ecclesiasticis et ministris Dei crudelissime enecatis, vasa ecclesiae concupiscibilia suis nefariis usibus appli-

[1]) observari *Cod. Rosr.* [2]) illis *Ed. Lips.* [3]) Rex *Ed. Lips.* [4]) tandem *Ed. Lips.*

cantes [1]), reliquias Sanctorum passim per terram dispergebant, ecclesiasque incendebant. Oppidum etiam Pesth spoliatum ignibus subiiciunt. Et dum nonnulli oppidani, caeterique, qui se ex fuga receperant, in multitudine decem millium hominum ad monasterium Praedicatorum confugissent, et illic se tutos defensione interposita putarant, Thartarorum rabies monasterium impugnare adorsa [2]), faciliter illud conquirit, et omnia illa decem hominum millia permiscui sexus igne involvit et extinxit. Dum deinde in castra Thartarica plura captivorum millia ex Hungaris et feminis eorum adducta fuissent, mulieres Thartaricae saevissima crudelitate in omnes mulieres Hungaricas, quae speciem aut formositatem aliquam habere videbantur, usae, aut illas interficiebant, aut naso, labiis et auribus, ut deformes efficerentur, truncabant, veritae, ne viri earum specie et forma capti, ipsis contemptis, alienigenis adhaererent. Sed et pueri Thartarorum, matribus eos [3]) informantibus et instigantibus, in pueros et adolescentes captorum Hungarorum saeviebant, fuste semel atque iterum capita eorum usque ad cerebri effusionem verberando: isque Thartaricus puer efficiebatur commendabilior, qui fortius et uno ictu Christianum puerum usque in mortem caecidisset [4]).

Germaniam et Imperatorem metus Thartarorum invasit.

Clade Hungarica vulgata, adeo vicinas Almanorum regiones terror pervaserat, ut etiam Romanorum Imperator Fridericus a Summo sollicitatus (ut ferret opem Christianis) Pontifice, non de resistendo, sed de tranfugiendo et latitando cogitationes [5]) versaret.

Rex Hungariae pignora praecipua ex Alba Regali ad maritimas regiones transmittit; interim Colomannus moritur.

Rex Bela de ossibus Sanctorum curam gerens, misit in Albam Regalem, et corpus beati Stephani cum aliorum Sanctorum ossibus et clenodiis, vestibus, ornamentisque ecclesiae per consortem suam Mariam Reginam et filium parvulum biennem, ad regiones maritimas ad Spaletum transmisit. Reginam multae nobiles matronae secutae sunt ex Hungaria. Sub hoc tempore Rex Colomannus moritur et in monasterio Praedicatorum apud Czaszmam [6]) sepelitur.

---

[1]) applicando *Ed. Lips.* [2]) aggressa *Cod. Rozr.* [3]) eorum *Ed. Lips.* [4]) caedisset, *Cod. Rozr.* [5]) cogitationes suas *Cod. Rozr.* [6]) Czusmam *Cod. Rozr.*

Boleslaus Calvus Henrici Ducis occisi filius minorennis, Poloniae Dux a militibus eligitur: quae res Cunradum Masoviae Ducem plurimum offendit.

Post obitum Henrici Cracoviensis et Wratislaviensis ac Maioris Poloniae Ducis a Thartaris in praelio Legniczensi occisi, barones et milites Cracovienses, Sandomirienses et Lublinenses, qui cladi Thartaricae superfuerant, terras praefatas Boleslao Calvo filio Henrici commendaverunt, subiicientes se et terras praefatas eius ditioni et potestati. Qui earum possessionem nactus, Clementem filium Sulislai de Ruszcza [1]) palatinum Cracoviensem constituens, caeteras quoque dignitates, officia et magistratus in alios barones et milites distribuit. Aegre id ferens Cunradus Masoviae Dux, et spretum se a Cracoviensibus baronibus [2]) dolens, ulcisci iniuriam suam quamprimum statuit, conventumque ob id (assumptis tribus filiis: Boleslao, Kazimiro, Semovito, assumpto et Andrea Ploczensi episcopo, caeterisque consiliariis et primatibus suorum Principatuum) personalem cum Swantopelkone Pomeraniae Duce agit, implorans illius contra Boleslaum Calvum, Wratislavienses et Cracovienses milites solatia [3]). Is etsi se de personali auxilio ferendo variis allegatis causis excusasset, gentium tamen suarum agmen se missurum spopondit, et in tempore constituto misit.

Thartari in Hungaria per biennium commorati, eam in solitudinem redigunt; tum etiam Cracoviam rursus venientes inopinato, crudelius, quam ante, in homines saeviunt. Bestiarum item rabies et fames horrenda Hungariam affligit.

Hungarorum Rege Bela et exercitu eius conflicto et profligato, universoque Regno Hungarorum pervastato, Thartari sedes suas, quasi regionem illam in perpetuam haereditatem accepturi, in Hungaria ponunt, et in campestribus inter Strigonium et Iavrinum sitis, planitiem proportionatam et in omnes partes aequaliter porrectam habentem, stativa figunt, tabernaculaque in morem suum egesta, humo et pro quolibet tabernaculo speciali fovea disposita, constituunt. Ubi prope biennium immorati [4]), Hungariam pro parte maiori, agrestibus tyrannidem eorum ferre non valentibus, redigunt in solitudinem et desolationem. Sed nec furor Domini contra [5]) Cracoviensem urbem quievit, sed manus adhuc eius super eam extenta. Bela siquidem Rege debellato, agmen Thartarorum per Sczepusiensem oram citato et celerrimo cur-

1) Szulislai de Russzczya *Cod. Aut.* 2) militibus *Ed. Lips.* 3) auxilia. *Cod. Roer.* 4) commorati *Ed. Lips.* 5) in *Ed. Lips.*

su in Cracoviam venit, et habitatores civesque illius inermes et impraeparatos reperiens, graviorem priore caedem tam in eos, quam in Polonos residuos, nulli conditioni vel sexui deferens, fecit. Unde et quendam sacerdotem inclusum, cui Bathy Rex in Palmis vitam concesserat, occiderunt, et spoliatis urbis reliquiis, per Osswanczinensem [1]) regionem in Hungariam ad stativa, quae in hanc diem cernuntur, rediit: quorum numerus et magnitudo etiam ex ipsis stativis potest aestimari. Ad Thartarorum rabiem etiam bestiarum rabies accessit: aquilae, lupi et vulpes in Hungaria grege facto, homines solitarios gradientes invadunt, et victos crudelibus rictibus devorant et discerpunt. Adeo insuper Pannonicas terras Thartari per biennalem suam mansionem et praedas spoliaque in solitudinem redegerant, ut prae famis angustia matres puerorum suorum carnibus vescerentur, et plerique pulvere cuiusdam montis pro farina utentes, miserabilem vitam utcunque producerent. Tantus autem timor cecidit super omnes posthaec provincias, ut quilibet existimaret [2]), ex eorum insultu qualibet die sibi mortem imminere, et terram cum [3]) populo perituram. Et hic timor multis annis nobiles et ignobiles satis angariavit et afflixit.

Cunradus Masoviae Dux Poloniam minorem ingreditur, ac eam sibi subiicit, Boleslao Calvo segniter defendente; castrum tamen Skala per palatinum Cracoviensem pro Boleslao defensum est.

Altera Cracoviensis urbis per Thartaros facta vastatione Cunradus Masoviae Dux cognita, sciens nepotem suum Boleslaum Pudicum Cracoviensem Ducem in Hungariam, deinde Moraviam a facie Thartarorum transfugisse, et praestantiores Cracovienses, Sandomirienses, Wratislavienses et Opolienses milites, ipsum quoque Henricum Wratislaviensem, Ducis Boleslai Pudici auxiliatorem, in bellis cum Thartaris gestis occubuisse, et Cracoviensem ac Sandomiriensem [4]) provincias pene vacuas esse, occasione temporis irritatus, maximo quoque afflictus dolore, Boleslaum Calvum filium Henrici Ducis [5]) Wratislaviensis in dictos Principatus successisse, inducit in animum, ut illas iuris sui faciat. Exercitu itaque ex Masoviae et Cuyaviae militibus, item ex militibus Pomeraniae sibi per Swantopelkonem Ducem Pomeraniae missis, item ex auxiliariis Pruthenis et Lithuanis, quanto fortiori poterat congesto, advenit et utramque provinciam, Cracoviensem videlicet et Sandomiriensem, omnesque arces et munitiones illarum, omnibus se ultro illius potestati et

[1]) Oszwiecimensem *Cod. Rosr.* [2]) aestimaret *Cod. Rosr.* [3]) terram omni *Ed. Lips.* [4]) Cracovienses ac Sandomirienses *Ed. Lips.* [5]) Ducis *deest in Cod. Aut.*

regimini (cum Ducem suum Boleslaum Pudicum amplius crederent non reversurum) dedentibus, occupavit. Zegotha siquidem de Bipennibus cum sua societate et genealogia [1]) illi adhaesit; Clemens vero de Ruszcza palatinus Cracoviensis supradictus et alii castrum, quod Skala dicitur, intraverunt, volentes illud defendere nomine Boleslai Ducis Wratislaviensis. Cunradus vero omissa castri Skala expugnatione, castrum in Cracovia aedificat, incipiens ab ecclesia beati Wenceslai, a sanctuario altaris beati Thomae tendens ad ecclesiam Sancti Gereonis, et inde usque ad ecclesiam beatae Mariae rotundam. Rebusque taliter dispositis, in Masoviam est reversus. Interim Boleslaus Calvus iniuriam rescissurus, congregatis suis et nonnullis Teutonicis, Cracoviam accedit. Dumque castri munitionem non posset expugnare, Cunradus cum exercitu validiori supervenit: cum quo non ausus pugnare, recessit, Clemente palatino in castro Skala relicto.

ANNUS DOMINI 1242.

Cunradus Dux, nacto Cracoviensi imperio, durissimus in Polonos esse coepit. Oppressi Poloni Boleslaum Pudicum Ducem suum dimissis legatis inquirunt: interim Cunradus castrum Skala etiam expugnat, ac rebus dispositis, in Masoviam revertitur.

Possessionem plenam Cracoviensis, Sandomiriensis et Lublinensis Ducatuum Cunradus Masoviae et Cuyaviae Dux nactus, graves illico universis imponit exactiones, easque et per se et per officiales ac praefectos suos, omni miseratione neglecta, exigit et extorquet, et non solum cives et oppidanos, agrestesque colonos, sed et clerum, militesque insolitis taliis et tributis affligit. Ad aedificationem quoque novorum castrorum et instaurationem veterum omnes passim impellit, ratus occupationem praefatorum Ducatuum [2]) nonnisi per subditorum (ne ad calcitrandum prorumperent) afflictionem et tyrannidem sibi posse fieri diuturnam. Quapropter vociferatio et clamor tribulatorum per singula loca audiebatur, querentium se post miserabilem vastationem et caedem, post clades et strages frequentes per Thartaros factas, miserabilius et calamitosius a propriis opprimi et gravari; missique extemplo in Hungariam et Moraviam crebri perquisitores et nuntii, qui Boleslaum Pudicum Ducem Cracoviensem et Sandomiriensem reperirent et repertum reducerent, afflictae et oppressae multipliciter patriae subventurum. Interim vero Cunradus ipse Dux castrum Skala, quod Clemens palatinus cum suis defendebat, obsidere

[1]) genologia *Cod. Aut.* [2]) castrorum et Ducatuum *Cod. Rosr.*

et expugnare coepit. Sed Clemens palatinus videns sibi et suis periculum imminere et nullum auxilium Boleslai Calvi superesse, reconciliationem et gratiam eius petivit et obtinuit, et castro [1]) Skala ei tradito, eius se dominio subiecit. Quo tradito et succenso, et omnium militum Cracoviensium societate ad sui ditionem fide interveniente adunata [2]), castrum in Cracovia, quod idem Cunradus erexerat, funditus est disiectum. Talibusque rebus gestis et huiusmodi ordine compositis, et magistratibus atque beneficiis in milites distributis, in terram suam reversus per annum in pace quievit.

A Boleslao Calvo etiam Maior Polonia deficit; cuius defectione Boleslaus nihil offensus, affinitatem etiam cum filiis Ottonis iunxit, uni illorum sorore sua desponsata.

Sed nec in Maioris Poloniae et Slesiae terris res quietae erant, ob saevitiam Boleslai Calvi, filii Henrici occisi a Thartaris primogeniti, militibus in defectionem et rebellionem versis. Reliquerat siquidem Henricus Maioris Poloniae et Wratislaviensis Dux a Thartaris occisus quatuor filios, videlicet Boleslaum, Henricum, Cunradum et Wladislaum, et quinque filias, videlicet, Hedvigim, Agnetem, Constantiam, Elisabeth et Gertrudim, ex eadem matre Anna, videlicet filia Przemislai alias Othokari Bohemiae Regis susceptos, occisioneque patris Henrici apud Legnicz secuta, duo natu minores Cunradus et Wladislaus, procurante optima et solerti eorum avia [3]) beata Hedvigi, literis apud Parisios [4]) operam dabant, Boleslaus et Henricus natu maiores militiam agebant. Verum cum Boleslaus Calvus vocatus, plurimas et intolerabiles oppressiones in militares et subditos Maioris Poloniae ageret, et quoslibet Teutonicos et advenas quantumcunque pannosos et viles, Polonorum optimatibus praeferret: barones, milites et nobiles Maioris Poloniae universi, et signanter Bogumilus Dirszicrayus palatinus Posnaniensis, Cecundus [5]) Gnesnensis, Thomas Posnaniensis castellani, Domaratus [6]) iudex Posnaniensis, eius Principatum et dominium saevum quidem et crudele, et quod se ab eo contemptum et in largitionibus, donationibus et magistratuum atque dignitatum distributionibus neglectum iri, cum tamen in Almanos effusus et liberalis foret, adverterent [7]), pertaesi, conventu apud Posnaniam habito, ad Przemislaum et Boleslaum Duces, filios Wladislai Ottonis, dominos suos et haeredes naturales, in castro Uscze [8]), quod unicum illis restabat (Nakel enim per

---

[1]) castro *deest in Cod. Aut.* [2]) adiuvata *Ed. Lips.* [3]) ava *Cod. Aut.* [4]) Perusios *Cod. Rozr.* [5]) Secundus *Cod. Rozr.* [6]) Domorathus *Cod. Rozr.* [7]) cernebant *Cod. Rozr.* [8]) Usczie *Cod. Rozr.*

Swantopelkonem Pomeraniae Ducem, eorum avunculum, fraude paulo ante interceptum tenebatur), hactenus demoratos respiciunt, et Boleslao Wratislaviensi, fratribusque suis, filiis Henrici occisi a Thartaris, desertis, Przemislaum et Boleslaum filios Wladislai Ottonis, in Principes et dominos reassumunt, durum iugum et non ferendum, quo eos Boleslaus filius Henrici occisi a Thartaris affecerat, excutiunt, et omnia castra, munitiones atque civitates illis praesentant. Sed et castrum Przemanth [1]), cuius praefectus cum illis solus sentire distulerat, conquirunt, et Ducibus suis Przemislao et Boleslao consignant. Quam quidem Maioris Poloniae terrarum defectionem Boleslaus Calvus Slesiae Dux una cum fratribus suis, Henrico, Cunrado et Wladislao, filiis Henrici a Thartaris occisi, iubente et persuadente optima avia [2]) beata Hedvigi (quae terrarum illarum noverat virum suum Henricum cum barba possessionem non legitime vendicasse) non solum aequo animo tulit, sed et successu temporis cum Przemislao, cui Ducatus Gnesnensis (Boleslao Calissiensem tenente) contigerat [3]), affinitatem iunxit et sororem suam germanam in monasterio Trzebniczensi se continentem, non tamen professam, Elisabeth nomine, matrimonio copulavit.

Swantopelkus Pomeraniae Dux Cruciferorum opes ac numerum in Prussia crescentem metuens, Prussos ad idololatriam pertraxit; moxque omnes Christianae religionis homines in Prussia exterminat, castra Cruciferorum expugnat, terram Chelmensem vastat, Legato Pontificis Romani frustra eum ab hoc scelere dehortante.

Swantopelkus Pomeraniae Dux, vir plurimum versutus, vafer et callidus, et qui dolis (cum esset ex Cracoviensi Ducatu de genere Griffonum oriundus) sibi Pomeraniae Ducatum (praefecturam tunc illic nomine Lestkonis [4]) Albi, Cracoviensis, Sandomiriensis et Pomeraniae Ducis agens) falso quaesierat, considerans Fratres Cruciferos, per Cunradum Masoviae Ducem contra Pruthenos gentiles et Polonis infestos et graves hostes accersitos, et quibus Nyeschoviensem et Chelmensem terras donatione conditionali, ut sibi et suis posteris, Prussia subiugata [5]), redderetur, contulerat, sub brevi tempore crevisse, et civitates atque castra, videlicet Thorun, Chelm, Cristbork [6]), Elbing, Balgam, Wiszemburg [7]), Bartensten [8]), Brunsberg et Heilsberg [9]), caeterasque munitiones cum suffragio et adiutorio Ducis Masoviae Cunradi et filii sui

[1]) Przementh *Cod. Rozr.* [2]) ava *Cod. Aut.* [3]) cui Ducatum Gnesnensem, Boleslao vero fratri Calissiensem tenere contigerat *Cod. Rozr.* [4]) Lesconis *Ed. Lips.* [5]) subrogata *Ed. Lips.* [6]) Cristbargk *Cod. Rozr.* Cherstbark *Ed. Lips.* [7]) Vissenburg *Cod. Rozr.* [8]) Borthenstey *Cod. Rozr.* Barthenstein *Ed. Lips.* [9]) Helzberg *Ed. Lips.*

Kazimiri, qui in omnes expeditiones cum sua gente cum Cruciferis ibat, aedificasse, et primoribus Pruthenorum deletis, reliquos Pruthenos ad suscipiendum lavacrum regenerationis et baptismi coegisse, vehementer sibi et Ducatui suo Pomeraniae per tyrannidem et dolum occupato, ne et ipse aliquando illo per Cruciferos exueretur, timere coepit, et multis cogitationibus vexatus et distentus, adversari Cruciferorum profectui et fortunae, dum tenerae adhuc essent eorum vires, constituit. Et quo id facilius conficiat, omnes Pruthenorum nationes, tam neophytas [1]), quam idololatras ad suum propositum inclinat, baptisatosque ritus nefarios resumere inducit. Propter quod uno die omnes neophyti ad idololatriam reversi, tam Polonos quam Almanos et quoslibet Catholicos in Prussia demorantes, iubente Swantopelkone, nefarie exterminant, et strage miserabili edita, omnia castra et munitiones, praeter Balgam et Elbing, quae Cruciferi aedificaverant, interfectis defensoribus, conquirunt, ac Ducem Swantopelkonem in Ducem et dominum assumunt, astringentes se sibi in omnibus, quaecumque iuberet, parituros. Obsessa itaque erant et terrestria et aquatica supra Wislam per Swantopelkonem itinera, et omnes transeuntes, hi praesertim qui ditionis Cruciferorum erant [2]), aut trucidabantur aut captivabantur. Et licet nuntius apostolicus Guilhelmus episcopus Mutinensis, per Innocentium quartum ad sedandum huiusmodi malum missus, auctoritate apostolica Swantopelkonem crebris literis et nuntiis monuisset, quatenus tam execrabile coeptum omitteret; sed ille maiori obstinatia indutus [3]), cum exercitu Pomeranico et Pruthenico in terram Chelmensem adveniens, omnem igne et spoliis vastavit, et quatuor millia hominum aut gladio extinxit aut cepit, nihilque in terra Chelmensi integrum, praeter tria castra, Thorun, Chelm et Radzim [4]), quae conquirere non potuit, reliquit. Pro eodem insuper tempore, per praefatum Guilhelmum episcopum Mutinensem (qui postea in Summum Pontificem promotus Alexander quartus nominabatur) universam terram Prussiae in tres episcopatus, videlicet Warmiensem, Zambiensem et Pomezaniensem distinxit. Numerus Christianorum a Swantopelkone Duce Pomeraniae et suis interfectorum vix poterat aestimari. Itaque sub eiusdem anni spatio et Thartarica et Pruthenica clades provenerat: et quod Thartarus attingere non potuit, Pruthenus delevit.

Moravia a Friderico Duce Austriae vastatur.

Dux Austriae Fridericus districtum Snoymensem [5]) cum valido exercitu

---

[1]) theophitas *Cod. Rozr.* [2]) essent *Cod. Rozr.* [3]) inductus *Cod. Rozr.* [4]) Kądzin *Ed. Lips.* [5]) Smimensem *Cod. Rozr.*

vastans et conflagrans incendiis, magnam ex Moravia praedam in Austriam depulit [1]), illamque omnem inter milites dispartiit, nullam passus ob id molestiam aut adversitatem.

Innocentius quartus Papa eligitur, et Concilium contra Imperatorem Lugduni celebrat.

Cum integro fere biennio Sedes Apostolica vacasset, Cardinales apud Ananiam utcunque collecti, Simbaldum [2]) Leodiensem archidiaconum in Papam eligunt, qui Innocentius quartus appellatus est. Qui [3]) anno secundo Pontificatus sui, conatus Friderici Imperatoris, quos benignitate paterna sanare non poterat, oppressurus, in Franciam se contulit et Lugduni Concilium celebravit.

Wislaus episcopus Cracoviensis moritur.

Idibus Martii Wislaus Cracoviensis episcopus, cum annis duodecim in cathedra Cracoviensi praesedisset, et ad promovendam canonisationem beati Stanislai Cracoviensis episcopi multa miraculorum sublimitate iam tunc refulgentis, segnis et tardus foret, moritur et in ecclesia Cracoviensi sepelitur. Cuius etiam torpor et segnicies Falislao et dominicello et militi Cracoviensi per quietem monstratus [4]) est. Videbatur enim sibi, quod ad ecclesiam maiorem Cracoviensem gratia audiendi divinorum properans, Wislaum episcopum in pede montis induviis pontificalibus se spoliantem offendisset; vehementer miratus, quid sibi exspoliatio ipsa vellet, tacitus cogitabat. Cuius occultis cogitationibus episcopus Wislaus respondens: Non mireris, inquit, si pontificalibus exspolior et ingredi ecclesiam meam vetor: quoniam cum annis duodecim pontifex eius fuerim, nunquam canonisationem beati Stanislai promovere curavi. Et ne in hanc muscipulam successor meus Prandotha cadat, tu illum meo nomine admone. Successit siquidem sibi praefatus Prandotha archidiaconus Cracoviensis et canonicus Sandomiriensis, de domo Odrowansch et villa Byalaczow ortus, ab omnibus eligentibus (quod nusquam vel raro contigit) via scrutinii concorditer electus, et in die beati Urbani consecratus a Fulcone Gnesnensi, mandato Innocentii Papae [5]) quarti. Praefatus Wislaus episcopus, cum esset vir providus et discretus, controversiam, quae inter tres

---

[1]) detulit *Ed. Lips.* [2]) Simbalcz *Ed. Lips.* [3]) Is *Cod. Rosr.* [4]) monstrata *Ed. Lips.* [5]) Papae *deest in Cod. Aut.*

episcopos Cracovienses praedecessores suos, et quosdam milites, occasione villae Kunow annis multis duraverat, coempta ab eisdem militibus villa vicina Bukowno pro sexaginta marcis argenti et sex bobus et uno herpicario, perpetuo sopivit et terminavit; reditus episcopatus Cracoviensis utiliter instruxit, rexit et auxit; libertatem Ecclesiae defendit, et tranquillam conservavit; Principes terrae in concordia custodivit. Turres tres ecclesiae beati Wenceslai erexit et plumbo texit; centum marcas argenti Capitulo Cracoviensi legavit. In villa patrimonii sui Kosczyelyecz [1]) ecclesiam de muro in honorem Sancti Adalberti sumptuose fabricavit. Fratribus suis germanis subventionem facturus et eorum relevaturus necessitatem, in silvis et mericis Radloviensibus duas villas Zabawam et Drohczam locari, non sine mutilatione bonorum ecclesiae, concessit. Quorum pronepotes [2]) ex huiusmodi duabus villis precario illis largitis, ius universarum silvarum Radloviensium sibi vendicabant, vendicassentque, nisi Sbigneus Cracoviensis episcopus eorum pertinacem instantiam iure terrestri rescidisset, perpetuorum limitum disterminatione.

Thartarici exercitus pars cum duce Kaydano Strigonium vadit, et urbe simul ac arce expugnata, ad Albam Regalem applicat: a qua repulsus in partes Zagrabienses divertit; Bela autem Rex Spaletum, deinde Tragurium fugit. Hunc Thartari insequentes, captivis trucidatis, Tragurium petunt; inde cedere coacti ad Croatiam et Dalmatiam veniunt; tandem iunctis suis omnibus copiis in Regnum Bosnense, deinde in Serviam ac Bulgariam commigrant: ubi captivorum multitudinem crudeliter trucidant. Bela Rex interim in Hungariam redit; fames deinde ac luporum rabies Hungariam populatur.

Bathy Duce Thartarorum in stationibus Strigoniensibus cum media parte exercitus remanente, Kaydanus [3]) recepta altera parte exercitus, ivit contra Strigonium, et tam arce quam civitate expugnata, multos illic mortales peremit et quam plurima tulit spolia. Ad Albam Regalem applicans, Hungaris egregie urbem tutantibus, exclusus discedit et in partes Zagrabienses procedit. Quo audito, Bela Rex ex Zagrabiensi regione diffugit, comitantibus illum Stephano Zagrabiensi et Stephano Vaciensi, Bartholomaeo Quinqueecclesiensi, episcopis et aliis ecclesiasticis et baronibus primoribus, videlicet Dionysio Bano, Wladislao Comite curiae, Matthaeo Magistro Tavernicorum [4]) et Orlando Magistro Agasonum, et pervenit in Spaletum [5]). Sed nec ibi se [6]) tutum putans consistere, pervenit cum uxore et omnibus

---

[1]) Koscielec *Ed. Lips.* [2]) nepotes *Ed. Lips.* [3]) Kandanus *Ed. Lips.* [4]) Cavernicorum *Cod. Rozr.* [5]) Spoletum *Cod. Rozr.* [6]) sibi *Cod. Rozr.*

suis in Tragurium. Kaydanus autem Hungariae Regem Belam in omnia loca, quocumque diverteret, insecuturus, Slavoniam [1]) primum (magnam captivorum ex Hungaris multitudinem, quam in eundo ceperat, crudelissime se inspectante, in plana deductam, necari fecit) et exinde Croatiam ingressus, ad Spaletum pervenit, et quoscunque extra moenia urbis reperit, trucidavit. Hungari autem, qui in civitatem confugerant, et quorum multitudinem vix civitas capiebat, actum de se putantes, maximo metu perculsi, suam et coniugum et pignorum mortem, quasi extemplo capienda foret urbs, deplorabant. Sed Thartarus parum illic moratus, intelligens Regem Belam, quem quaerebat, in ulteriora discessisse, in Tragurium processit. Sed cum illic quoque repulsus foret, apud Croatiam et Dalmatiam aliquot mensibus immoratus, in Bosnense Regnum, iunctus simul cum Bathy et his Thartaris, qui cum eo remanserant, advenit. Expost Serviam et Bulgariam intrant, et data licentia omni captivorum multitudini, ut redirent in sua, glomeratos omnes et iam castra Thartarica exeuntes, crudelissime velut oves perimunt. Bela Rex ab exploratoribus certior factus, Thartaros ex Hungaria discessisse, Hungariam [2]) cum suis reversus est. Sed cladem [3]) Thartaricam biennalem mox fames horrida in annum tertium, famem vero luporum rabies catervatim discurrentium et obvios quosque etiam armatos et repugnantes invadentium et devorantium secuta: qui cadaverum, quae Thartarica immanitas occiderat, sollicitati illecebra, esuriem suam, cadaveribus non extantibus, per vivos homines explebant. Sicque integro triennio Hungarorum regio [4]) ferro, fame et luporum rictu vehementissime attrita est [5]) et in eam necessitatem adducta [6]), ut bobus, equis, caeterisque pecoribus deficientibus, aratri iugo se homines subiicerent et sic agriculturam exercerent.

Paulus Posnaniensis episcopus moritur, cui Boguphalus succedit.

Pridie Calendas Aprilis Paulus primus, episcopus Posnaniensis, annis tribus et triginta sede Posnaniensi administrata, moritur et in Posnaniensi ecclesia sepelitur. Post cuius obitum Boguphalus cantor Posnaniensis et canonicus Cracoviensis, nobilis Polonus de domo Rosze [7]), per electionem canonicam substituitur Calendis Maii. Cuius electio Idus Iunii per Fulconem archiepiscopum Gnesnensem fuit confirmata, et ipse Boguphalus electus et confirmatus in crastino in presbyterum promotus, in die vero Sancti Lau-

---

[1]) Sclavoniam *Ed. Lips.* [2]) in Hungariam *Cod. Rozr.* [3]) Cladem autem *Cod. Rozr.* [4]) regiones *Cod. Rozr.* [5]) attritae sunt *Cod. Rozr.* [6]) adductae *Cod. Rozr.* [7]) Rosae *Cod. Rozr.* Rosarum *Ed. Lips.*

rentii per Fulconem archiepiscopum ad pontificii ordinem in Gnesnensi ecclesia consecratus.

Fundatio monasterii sanctimonialium in Owyensko per Przemislaum Posnaniensem Ducem facta.

Przemislaus primus, Maioris Poloniae et Posnaniensis Dux cultum divinum in suis Principatibus aucturus, in villa sua ducali Owyenska [1]) prope fluvium Wartha sita, monasterium sanctimonialium ordinis Cisterciensis fundat, et lateribus coctis tam ecclesiam, quam monasterium et habitationes pro sanctimonialibus fabricat, ecclesiamque monasterii in honorem Virginis benedictae Mariae et Sancti Iohannis Baptistae dedicari procurat, monasteriumque praedictum villis et introitibus ducalibus dotat. Fluvius autem qui vocatur Struga Owyenska, per medium monasterii decurrit, fluens ad coquinam et alias monasterii officinas, in quo sunt duo molendina, unum intra septa monasterii, aliud in parte superiori ante monasterium. Cuius nunc abbatissa est Catherina de Oborniky, filia Nicolai Skora castellani olim Calissiensis, nobilis de domo Habdank.

ANNUS DOMINI 1243.

Cunradus Dux Masoviae Polonos Boleslaum Pudicum expectare praesentiens, conventione indicta, barones Minoris Poloniae captivat; Clemens tamen palatinus Cracoviensis effugit. Post duos tandem menses et captivi e captivitate diffugientes et Clemens palatinus Cracoviam veniunt, ac Boleslaum Pudicum advenientem alacres suscipiunt. Quo irritatus Cunradus cum exercitu advenit: cum quo Boleslaus Pudicus primum congredi renuens, tandem congressus, eum fundit et superat apud Suchdol.

Omnium Cracoviensium et Sandomiriensium baronum atque militum Cunradus Masoviae Dux dinoscens alienatos esse animos a se, et in Ducis Boleslai Pudici nepotis sui obedientiam et subiectionem, tum propter sui oppressionem et tyrannidem, tum propter Boleslai Pudici, quod verus et legitimus haeres esset, affectionem et charitatem, gliscentem defectionem (intellexerat siquidem Boleslaum Pudicum cum nonnullis Hungarorum militibus reversurum esse) satagens rescindere, in mense Iunio [2]) Cracoviam advenit: ubi honeste

[1]) Owanska *Cod. Aut.* [2]) Iulio *Cod. Rosr.*

et obedienter susceptus, primos et praecipuos Cracoviensium et Sandomiriensium [1]) barones, et signanter Clementem palatinum Cracoviensem de domo et familia Griffonum, captivare instituit [2]). Conventum apud Scarbimiriense oppidum, quasi rebus publicis provisurus, commenta doli in pectore versans, quomodo militibus Cracoviensibus exterminatis, Cracoviam possit iure perpetuo sine scrupulo retractationis possidere, Tertio Calendas Iulii indicit [3]). Ubi cum omnes convenissent, secundum occultam malitiae diffinitionem, dat suis signum milites Cracovienses captivandi. Nec mora, Przibislaus Wawrzinczowicz, Witek Byenyowicz, Andreas Sulkonis de Myedzwyedz [4]), Nicolaus Iassztko, Sandek de Chodcza et alii simplices cum eis captivantur, et vinculis constricti Masoviam [5]) deducuntur et in arctam custodiam retruduntur; Clemens vero palatinus Cracoviensis cum fratribus Sulkone, Theodoro et aliis de medio captivantium in Hungariam aufugerunt, a Rege protegendi. Captivi autem et diris inclusi ergastulis in Masovia, cum mensibus duobus captivitatem praefatam perpessi fuissent, compedibus ferreis confractis, sub noctis intempestae caligine illam singuli evadunt. Et Clemens palatinus Cracoviensis ex Hungaria revertitur, captivorum solutione audita. Divina enim miseratio non deserens praesumentes de se praedictos viros captivos, prima die Augusti a vinculis absolutos, illaesos fecit abire: qui omnes cum Clemente palatino ad Cracoviam venientes, tam arcem quam civitatem, expulsis et eiectis inde Cunradi praesidibus, in suam redigunt potestatem. Advenienti quoque Boleslao Pudico Duci suo cum consorte sua Kinga ex Hungaria et Moravia, cum magno plausu et iucunditate occurrunt, et consentiente atque rogante Prandotha Cracoviensi episcopo, ipsum in Ducem et dominum, iureiurando illi praestito, assumunt. Quorum exemplum caeteri nobiles et armigeri Cracovienses, quibus castra et munitiones Cunradus Dux Masoviae commiserat, secuti, sibi castra et munitiones, pacti vitam et veniam, reddunt. Quo rumore Cunradus Masoviae Dux excitus, versus Cracoviam, stipatus gentibus multis, Masovitis, Lithuanis, Iaczwingis [6]) et caeteris barbaris, processit. Et dum pugnandi copiam Boleslaus Pudicus non faceret, moenia defendere contentus, Cunradus Dux Masoviae ecclesiam Sancti Andreae [7]) extra muros Cracovienses sitam, et Sancti Georgii in castra incastellat, et fossatis vallisque dispositis, valido imposito praesidio castello Sancti Andreae, Boguthae militi Cracoviensi (hic armiger erat) commendato, in Masoviam, cum potentiori mox exercitu rediturus, discedit. Post cuius discessum castellum Sancti Andreae per Bogutham eius praesidem Boleslao Pudico redditum est,

---

[1]) Cracovienses et Sandomirienses *Ed. Lips.* [2]) captivare instituit. *deest in Cod. Aut.* [3]) indixit. *Cod. Rosr.* [4]) Sułkowicz de Niedzwiedz *Ed. Lips.* [5]) in Masoviam *Ed. Lips.* [6]) Iattwingis *Cod. Aut.* [7]) B. Andreae Apostoli ecclesiam *Ed. Lips.*

et omnis hostilitas, quae Cracoviensi urbi superimpendebat [1]), amota. Vocato itaque Duce Myeczslao [2]) Opoliensi, qui Henricum Wratislaviensem Ducem in praelio Thartarico deseruerat, vocato Przemislao Posnaniensi Duce, vocatis Lithuanis et Iaczwingis in sui solatium [3]), Cunradus praefatus Masoviae Dux et filius suus Kazimirus terram Sandomiriensem hostiliter ingrediuntur. Quibus Dux Boleslaus Pudicus Cracoviensis cum militibus suis Cracoviensibus et Sandomiriensibus, et signanter Clemente palatino Cracoviensi iam ex Hungaria reverso, et Floriano palatino Sandomiriensi, et nonnullis Hungarorum militibus, in Suchdol [4]) occurrit et Octavo Calendas Iunii praelium committit. In quo etsi Cunradus Masoviae Dux tam numero quam robore militum multo superior esset, Boleslaus tamen Pudicus, qui iustius arma induerat, et pro quo sine intermissione sacrificia et supplicationes fiebant ad Deum, Cunradum Ducem et suum exercitum Divinitate propitia confregit et debellavit, et pluribus occisis, pluribusque vulneratis, ipsum etiam Ducem Cunradum ecclesiae Cracoviensi et suo antistiti Prandothae, quod eius consilio et industria Ducatum Cracoviensem sibi querebatur ademptum, severa et crudelia minitantem [5]), et filium suum Kazimirum, item Myeczslaum [6]) Ducem Opoliensem, Przemislaum Posnaniensem Ducem, in turpem fugam egit. Boleslaus Pudicus [7]) obtenta victoria modeste usus, plures captivos solvit, caeteris munificum se gessit [8]). Exercitus suus magna praeda variarum nationum ditatus, victor reversus, residuas munitiones, quae pro Cunrado Duce Masoviae in Cracoviensi et Sandomiriensi Ducatibus tenebantur, aut deditione accepit, aut vi expugnavit. Videsne, qualis fuerit fides in pectore Cunradi Masoviae Principis, qui priori crudelitate, tyrannideque olim in Cristino palatino Ploczensi coecato et iugulato, item in Arnoldo milite occiso, item in Iohanne cancellario suo et scholastico Ploczensi et Wladislaviensi crudeliter suspenso, parum contentus, nullas exhorrebat carnificationes, dummodo pupillum et nepotem [9]) germanum ex sua sorte et haereditate deiiceret. Turpis haec et pestifera lues et pernities exempli: ut unde mansuetudo disciplinae debuerat prodire, et fidei puritas elucescere, ibi fides et aequitas naufragium patiebantur. Discant itaque posteri abstinere a Principe, cuius fides sorduit tot signis, totque indiciis evidentibus prodita suppliciorum, sibi et posteris suis inurens ignominiam et labem sempiternam. Secuto huiusmodi victorioso triumpho, milites Cracovienses priori assumptione Boleslai filii Lestkonis [10]) non contenti, iterum illum in Ducem suum assumunt, et Prandotha Craco-

[1]) imminebat *Cod. Rosr.* [2]) Myeczszlavo *Cod. Aut.* [3]) auxilium *Cod. Rosr.* [4]) Suchodol *Cod. Rosr.* [5]) minitanti *Cod. Aut.* [6]) Myeczszlaum *Cod. Aut.* [7]) Boleslaus Pudicus Dux *Cod. Rosr.* [8]) praestitit. *Cod. Rosr.* [9]) nepotem suum *Cod. Rosr.* [10]) Boleslai Pudici Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis *Cod. Rosr.*

viensi episcopo cooperante, eum in ecclesia Cracoviensi, solenniter re divina expleta, argento circumfusum, introvisant.

Cruciferorum ordo Swantopelkonem ulturus, castrum illius Zartawiczam clam noctu capit. Tum Kazimirus Cuyaviae et Przemislaus Maioris Poloniae Duces Cruciferis auxiliantes Wischegrod et Nakel capiunt, ac castrum novum Sbanszin erigunt. Opera tandem Legati apostolici, obsidibus datis, Swantopelkus Cruciferis reconciliatur.

Theodricus Cruciferorum de Prussia marsalcus, considerans potentiam Swantopelkonis Pomeraniae Ducis ex assistentia Pruthenorum roboratam, et connexione mutua se et ordinem suum fractum et pene exterminatum fore, vocatis Senioribus de ordine, quid facto opus sit, consultat. Et nemini quidem placebat aperta vi, cum multam gentem haberet, cum illo in dimicationem venire, periculumque evidens incidere. Itaque consensu omnium decretum est, ut particularibus praeliis et invasionibus vexaretur, primumque castri sui, quod Zartawicza vocabatur, clandestina et nocturnalis tentaretur interceptio. Itaque iuxta eam deliberationem praefatus Theodricus in vigilia Sanctae Barbarae, cum viginti quatuor tantummodo viris, ad castrum Zartawicza perveniens, scalis appositis, cum negligentius custodiretur, illud conscendit, et firmioribus locis atque turribus occupatis, captis vigilibus, cum caeteris quinquaginta numero viris erat illis a noctis medio usque ad solis ortum certamen. Quos cum partim occidissent, partim in deditionem accepissent, reliquo etiam omni quod illic Swantopelkus servabat deposito, sed et corpore quodam sancto, quod quidem Sanctae Barbarae ferunt, potiti sunt. Quam etsi nonnulli astruant eam fuisse, quae in Antiochia martyrio consummata est, nonnulli [1]) tradunt aliam [2]) in Pomerania eiusdem nominis fuisse, et tam virginitate quam caeteris virtuosis operibus sanctitatem meruisse: quae res, ut caeterae, scriptorum penuria in caliginem vel potius oblivionem versa, quid veritatis contineat, parum constat. Swantopelkus etsi tam suorum quam Pruthenorum fultus suffragio, castrum Zartawicza obsidione cinxisset, sub ipso tamen obsidionis tempore, dum expugnatio illius non procederet, in Chelmensem terram cum medietate exercitus descendens, medietate apud Zartawiczam relicta, per Theodricum marsalcum et Kazimirum Cuyaviae Ducem, filium Cunradi Masoviae Ducis, victus et castris utrisque exutus est. Dux insuper Maioris Poloniae Przemislaus a Theodrico marsalco et Kazimiro Cuyaviae Duce rogatus, cum potentia gentium suarum advenit, et

[1]) alii *Cod. Rozr.* [2]) alteram *Cod. Rozr.*

potentiis unitis, primum ad castrum Wischegrod in terra Pomeraniae situm, processum est. Quo expugnato, etiam omnis terra Pomeraniae vastata atque flammis exusta est, et magna multitudo virorum et feminarum in captivitatem ducta. Exinde et ad castrum Nakel [1]), quod Swantopelk sub Ducibus Maioris Poloniae Przemislao et Boleslao interceperat, ventum: quod illico Pomerani, vitam tantummodo cum paucis rebus pacti, Przemislao et Boleslao Ducibus tradiderunt; a quibus quidem [2]) Ducibus castrum Sbanszin [3]) eo anno erectum et constructum est. Swantopelk autem et Polonorum et Cruciferorum potentiam veritus, ne potentiis unitis sua sequeretur ex Pomerania expulsio, cum Theodrico marsalco et Cruciferis per operam Guilhelmi Legati apostolici in concordiam rediit, filiumque suum Mestwinum [4]), item Weyat Comitem et Vimarum burgrabium obsides dedit. Qua celebrata, Cruciferi omnibus captivis Swantopelko redditis, castrum Zartawicza nullatenus reddere voluerunt, propter cuius restitutionem concordia per Swantopelkonem fuit principaliter acceptata.

Hospitale Sancti Iohannis in Gnesna monasterio Myechoviensi commendatur et subiicitur.

Przemislaus Maioris Poloniae Dux cum fratre suo iuniore Boleslao et genitrice eorum Helinga, Myechoviensi praeposito et monasterio ac ordini Sancti Sepulchri Dominici Hierosolymitani hospitale Sancti Iohannis in Gnesna, de consensu Fulconis archiepiscopi et sui Capituli Gnesnensis, subiiciunt et conferunt, curam et administrationem egenorum, et regimen temporalium eiusdem hospitalis committendo, quarta die mensis Maii ordinando et statuendo, ut in praefata hospitalis domo cunctae languidae et miserabiles foveantur personae et aliqui scholares pauperes, et quod singulis magister praefatae domus teneatur providere de necessariis et expensis.

Pruthoni terram Ploczensem iterum populantur.

Ploczensis civitas altera vice per Pruthenos, civibus in castrum Ploczense evadentibus, una cum monasterio et domo fratrum Praedicatorum, sed et terra Masoviae in circuitu civitatis Ploczensis, in magna parte per eosdem Pruthenos depopulatur et vastatur.

---

[1]) Nakieł *Ed. Lips.* [2]) tandem *Ed. Lips.* [3]) Zbąszin *Ed. Lips.* [4]) Msczugium *Cod. Rosr.*

Divae Hedvigis Ducissae mors et vitae eius commendatio.

Femina nobilissima et illustris Hedvigis Ducissa Wratislaviensis Henrici cum barba relicta, magna et evidenti in vita pollens sanctitate, Septimo Idus Octobris moritur et in Trzebniczensi monasterio a se et viro suo fundato et dotato sepelitur. Cuius corpus, quod in vita croceum et exsangue abstinentiis et ieiuniis confectum erat, in morte splendidum apparuit, speciem habens corporis glorificati. Quae beati Stanislai martyris canonisationem in spiritu praevidens futuram, et in loco monasterii Trzebniczensis, in parte laeva [1]) chori altare illi dicandum fore praedixerat, monens sorores, ut locum illum magna devotione incolerent, asserens maximo Sanctorum illum consecrari oportere. Quae omnia prout praedixerat evenerunt. Haec per annos octo et viginti caelibem vitam ducens, ab omni illecebra carnem et spiritum custodivit: et quod humanis stupendum est sensibus, inter spinas thori maritalis, una cum eodem illustrissimo suo marito Henrico, sicuti lilium germinavit, et tanquam aurum in medio incendiorum probata, voluptatum ignibus per totum tempus praedictum aestuata non est.

ANNUS DOMINI 1244.

Cunradus Masoviae Dux rursus cum exercitu Poloniam invadit, et terras Lublinensem et Szeczechoviensem, item praedia episcopatus Cracoviensis crudeliter vastat et incendit. Hunc Prandotha episcopus Cracoviensis publice excommunicatum pronuntiat.

Cladem suam apud Suchdol [2]) acceptam Cunradus Masoviae Dux ulturus, Lithuanos, Pruthenos et Iaczwingos contra nepotem suum Boleslaum Pudicum Cracoviensem Ducem, a quo conflictus fuerat, et contra terras suas prece et pretio subornat. Qui terram Lublinensem in copiosa multitudine equitum et peditum ingressi, ipsam usque ad flumen Wisla, nullo ferente opem, barbarico more crudeliter, omnes catholicas inflammando ecclesias, item Szeczechoviensem [3]) et Lukoviensem districtus [4]) vastarunt, et praedam ingentem tam hominum utriusque sexus variae conditionis, quam pecorum et rerum in terras suas transportarunt et abegerunt. Ab eo quoque tempore terra

[1]) sinistra *Cod. Rozr.* [2]) Suchodoł *Cod. Rozr.* [3]) Siecziechoviensem *Cod. Rozr.* [4]) districtum *Cod. Rozr.*

Lublinensis, tam nobilibus et militibus, quam agrestibus et colonis optime locata et possessa, coepit redigi in solitudinem et desertationem. Sed et in caeteras vicinas regiones, ne similem vastationem barbaricam experirentur, tantus pavor iniectus est, tantaque trepidatio Sandomirienses milites cepit, ut Boleslao Pudico Cracoviensi Duce, suo proprio domino et naturali haerede deserto, deditionem universi [1]) Duci Masoviae Cunrado, quem noverant barbaros in Lublinensem terram subduxisse, ultro facerent. In Prandotham vero Cracoviensem episcopum, quod cum caeteris Sandomiriensibus militibus sentire noluit [2]) et Duci Cracoviensi Boleslao Pudico puro, fideli et uniformi tenore adhaesit, Cunradique Ducis conatibus perseveranti constantia restitit, Cunradus ipse furorem vehementem evomens, missis armigeris, curias episcopales in terra Sandomiriensi consistentes, videlicet Tharszensem, quae nunc Bodzanczinensis [3]) appellatur, Kelciensem [4]) et Kunowiensem primum spoliatas incendit, et villas praefatorum trium districtuum multiplici spolio afflixit, et omnem praedam ex curiis et villis episcopalibus congestam in Masoviam abegit. Prandotha autem Cracoviensis episcopus, vir pectoris heroici, nihil huiusmodi incendiis et spoliis consternatus, a fide et subiectione Boleslai Pudici avelli non potuit, quin etiam Ducem Masoviae Cunradum praedictum censuris ecclesiasticis et anathemate, sua auctoritate, suoque processu excommunicari et anathematisari ab universa Polonorum ecclesia mandavit. Cuius processus [5]) et censuras Fulco, qui et Pelka, Gnesnensis archiepiscopus, indicta ob id apud Lanciciam Synodo, confirmans, mandavit Ducem Masoviae Cunradum, velut violentum bonorum Cracoviensis ecclesiae raptorem et incendiarium atque iniustum invasorem, omnibus provincialibus episcopis consentientibus et laudantibus, anathematisatum in singulis ecclesiis denuntiari, et pro excommunicato et anathemisato haberi.

Fundatio monasterii ordinis Praedicatorum extra muros Ploczenses per Cunradum Ducem Masoviae.

Ordinem Praedicatorum Cunradus Masoviae Dux in dominiis et terris Masoviae plantaturus, fratribus ordinis eiusdem ex conventu et domo Cracoviensi Sanctae [6]) Trinitatis petitis et acceptis, ecclesiam et monasterium sub titulo Sanctae Trinitatis, in suburbanis civitatis Ploczensis Fundat, illicque fratres Praedicatores locat.

---

[1]) universorum voluntate accedente *Cod. Roer.* [2]) noluerit *Ed. Lips.* [3]) Bodząncinensis *Ed. Lips.* [4]) Kielcensem *Ed. Lips.* [5]) processum *Cod. Roer.* [6]) Sanctissimae *Ed. Lips.*

Daniel Ruthenorum Princeps, opportunitate temporis nacta, afflictam civitatem Lublinensem et arcem illius capit.

Ruthenorum et Kyoviensis Princeps Daniel, terrae Lublinensis solitudine et desertatione comperta, exercitualiter in Lublin adveniens, tam arcem[1]) quam civitatem capit, et universam terram Lublinensem sibi appropriat et usurpat. Et quo sibi et suis posteris diuturnior sit illius occupatio, turrim rotundam ex coctis lateribus in castri medio, habentem in summitate circuitum et propugnacula, mira celeritate aedificat, castrumque et civitatem fossis et vallis profundis fortificat, et omnes Lublinensis terrae militares[2]) et inhabitatores sibi parere cogit.

Fratres Praedicatores de Srzodka Posnaniam Przemislaus Dux transtulit et Slesiae Ducis filiam in uxorem accipit.

Przemislaus Maioris Poloniae Dux cum fratre suo Duce Boleslao et matre Hedvigi[3]), monasterium fratrum Praedicatorum transfert de Srzodka in civitatem Posnaniensem ad ecclesiam parochialem Sancti Gothardi, de consensu Boguphali episcopi Posnaniensis. In cuius recompensam, ecclesiam beati Adalberti contulit episcopo Posnaniensi cum iure patronatus. Qui etiam Przemislaus Dux filiam Ducis Slesiae...... [4]) sibi iungit matrimonio.

Cunradus rursum terram Cracoviensem ingressus, eam turbat, affligitque.

Cunradus Masoviae Dux vastatione terrae Lublinensis parum satiatus, in Cracoviensem terram forti iterum deducto exercitu, nova castra, novasque munitiones erigit[5]), illisque praesidia imponit[6]). Quae dum eo discendente per Cracovienses milites fuissent, expulsis praesidiis aut sponte se dedentibus, occupata, Cunradus Masoviae Dux iterum rediens nonnulla expugnavit et diruit expugnata, Cracoviensem Ducem Boleslaum Pudicum nepotem suum et terras suas tam per se, quam per barbaras gentes multifarie conquassando. Miserabilisque tunc erat terrarum Cracoviensis, Sandomiriensis et Lublinensis conditio, et externo a barbaris et domestico a propriis bello vexatis[7]).

---

[1]) castrum *Cod. Rozr.* [2]) milites *Cod. Rozr.* [3]) Helinga *Cod. Rozr.* [4]) *Nomen* (Elisabeth) *filiae* (Henrici II) *Ducis Slesiae deest in omnibus Codd.* [5]) erigendo *Cod. Rozr.* [6]) imponendo affligit. *Cod. Rozr.* [7]) vexatarum. *Cod. Rozr.*

Prutheni terras Masoviae Cunrado absente invadunt; sed dum onusti praeda redeunt, a Masoviensibus opprimuntur.

Ad indignationem et apertam hostilitatem Prutheni barbari contra Cunradum Masoviae Ducem versi, quasi illis pro eorum assistentia et labore, quibus illum in devastatione terrae Lublinensis contra nepotem suum Boleslaum Pudicum Cracoviensem et Sandomiriensem Ducem adiuverant, parum iusta retributione respondisset, equestri exercitu comparato, terras suas Masoviae (Swantopelkone praefecto [1]) Pomeraniae ad id illos perliciente) [2]) scientes Cunradum Ducem cum praestantioribus militibus in terrae Cracoviensis conquisitione occupatum esse, invadunt, et caedibus spoliisque agrestes affectos, etiam oppida et rura incendunt et usque ad Czechonow [3]) grassantur. Cumque iam multiplicem praedam hominum pecorumque secum vehentes, regredi disponerent, a militibus Masoviensibus et Lanciciensibus circa Czechonow Tertio Idus Iulii invasi, et praelio conserto, licet acriter restitissent, conflicti et oppressi sunt, et noningentis cadentibus, ducentis captis, caeteri effugerunt. Praeda omnis hosti excussa, agrestibus, qui et ipsi ad vincendum suas operas navaverant [4]), reddita est.

Quatuor filii Henrici Ducis Wratislaviensis a Thartaris occisi, haereditatem paternam inter se partiuntur.

Beata Hedvigi relicta olim Henrici cum barba Ducis Wratislaviensis in coelestes mansiones migrante, nepotes eius, filii Henrici a Thartaris occisi, cum essent quatuor numero, et duo militiae, duo literis intenderent, Wratislaviensem Ducatum [5]) in duas tantummodo sortes dividunt, Wratislaviensem videlicet et Legniczensem, ea spe et conditione: ut quoniam Cunradus et Wladislaus [6]) natu minores in sortem clericalem (iam enim Cunrado in subdiaconum promoto episcopatus Bambergensis, Wladislao archiepiscopatus Salczburgensis destinati fuerant) credebantur transituri, Cunradus in sorte et portione quae Boleslao, Wladislaus in sorte quae Henrico obveniret, includerentur, ex morte aut resignatione ipsorum sortes praefatas perpetuo possessuri. Missis itaque sortibus, Boleslao Wratislaviensis, Henrico Legniczensis portio contigit. Qua quidem divisione celebrata et tandem literis firmata, Ducissa Anna praefatorum Ducum genitrix, Thoma Wratislaviensi epi-

---

[1]) Duce *Cod. Rozr.* [2]) pellicente *Ed. Lips.* [3]) Ciechanow *Ed. Lips.* [4]) navarunt *Cod. Rozr.* [5]) Principatum *Cod. Rozr.* [6]) Boleslaus *Cod. Aut.*

scopo assumpto, Boleslaum in Wratislaviensem sortem [1]), Henricum in Legniczensem, induxit. Sed Boleslaus vocatus Calvus illico divisionis taliter celebratae poenitere coepit, et Legniczensem sortem existimans praestantiorem, certusque iam existens Cunradum fratrem suae portionis consortem, velut subdiaconum et in Bambergensem episcopum brevi promovendum, nusquam esse repetiturum, sortes cum fratre Henrico commutat, et Legniczensi sorte accepta, cedit de Wratislaviensi Henrico: de quo iterum prioribus literis irritatis, novae confectae sunt. Verum Cunradus filius Henrici occisi a Thartaris, sortem clericalem fastidiens, studio et episcopatu deserto, in patriam rediit [2]), et de sorte Legniczensi alteram cum Boleslao expetebat divisionem celebrari. Cui etsi Boleslaus Calvus blanda primum dederit responsa, sperans illius animum temporis processu consilio meliori sanari, Cunrado tamen perseverante in proposito, illum a se negata portione exclusit: qui ad alterum fratrem Henricum se contulit, a quo benigne et habitus et tractatus est. Wladislaus vero, qui in consortem Henrico cesserat, in Salczburgensem archiepiscopum promotus, Ducatum Wratislaviensem Henrico fratri integrum et immutilatum reliquit.

Templariorum ordinis, annis centum octuaginta quatuor durantis, destructio.

Ordo Templariorum subito in variis regionibus Christianorum destruitur, mirantibus universis, quomodo tam magni domini sic insperate poterant opprimi et extingui. Qui ordo annis centum octuaginta quatuor duraverat.

Swantopelkus Pomeraniae Dux, rupta concordia, terram Culmensem Cruciferorum ingreditur, et insequentes se Cruciferos proelio fudit, marsalco quoque eorum occiso.

Temerata concordia et iureiurando, quod Swantopelkus Pomeraniae Dux cum Fratribus Cruciferis pepigerat, violato, venit Swantopelkus cum Lithuanis, Iaczwingis et Pruthenis, magno exercitu glomeratus in Culmensem terram, illamque affecit caede, incendio et praeda horribili, et animas innumeras pecorum more, in Culmensi [3]) terra captas, perpetuam servitutem experturas, secum duxit. Cruciferi vero deliberabant, qualiter possent et praedam de hostium manibus excutere et victoria potiri. Et Theodrico quidem antiquo marsalco suas et hostium metiente vires, placebat, certamen ex iniquo loco

[1]) Principatus *Cod. Rosr.* [2]) rediit *deest in Cod. Aut.* [3]) Chelmensi *Cod. Aut.*

et callide agi, et nonnisi medietate hostium paludem transgressa, reliquam medietatem a tergo, ne primi extremis adiutorio esse possint, invadi: in quam sententiam omnes prudentiores ibant. Verum novus marsalcus Berlwinus non probabat id, asserens barbaros, si adorti in fronte non fuerint, omnes captivos, omnemque praedam facile abducturos. Quod consilium a maiori parte approbatum, caeteris tamen renitentibus, dum exequi pergunt, barbarosque iam flumen Ossa transgressos consequuntur, ad quorum conspectum plerique barbari in arces et munitiones cum captivis et praedis se recipiunt, Swantopelkus vero [1]) cum caeteris, Cruciferorum paucitate conspecta, pugna inita Cruciferos ad paludem, quae Revszin [2]) dicitur, confligunt [3]), marsalcoque interempto, vix viginti effugientibus, caeteros omnes trucidant. Sed et exercitum, qui Cruciferis in auxilium ex Thorun post venerat, prima victoria potiti, aggressi, vincunt et prosternunt [4]), magnaque hilaritate et tripudio ovantes [5]), praedis et spoliis interfectorum onusti [6]), in propria victores redeunt [7]).

Swantopelkus per cives Culmenses corruptos, obsides datos et praecipue filium liberare conatur: quod cum non succedit, vi id extorquere tentat, Cruciferos varie affligit, utque omnia commoda illorum impediat, castra duo ad fluvium Wislam locat et Cuyaviam populatur.

Non secus barbarorum victoria ex Cruciferis relata, quam propria Swantopelkus Pomeraniae Dux exhilaratus, ad Remkam advocatum, nonnullosque Culmenses cives nuntios mittit, literasque scribit, rogans, praemiumque promittens, ut castro Chelmensi irrupto, ad quod illis pro beneplacito patebat introitus, filium suum Msczugium, caeterosque obsides solverent, sibique redderent. Quod cum se facturos Remka advocatus caeterique cives Chelmenses spopondissent, unus ex servitoribus Cruciferorum Iohannes vulneribus in praelio confectus, proditionem intelligens, Crucifero castrum Chelm tenenti indicat. Quo avisamento capitaneus sumpto, Remkam advocatum et cives castrum ingredi volentes excludit, et in castrum Zartawicza nocte Msczugium filium Swantopelkonis et alios obsides vinctos, omnibus si mutire auderent interminatus mortem, transportat. Intelligens autem Swantopelkus dolos suos, quos in liberationem filii et obsidum machinatus fuerat, detectos esse, Culmensem civitatem et Zartawiczam [8]), missis clandestine quibusdam suis satellitibus,

---

[1]) verum *Ed. Lips.* [2]) Reusin *Ed. Lips.* [3]) confligit *Cod. Rozr.* [4]) potitus, aggressus vincit et prosternit *Cod. Rozr.* [5]) ovans *Cod. Rozr.* [6]) onustus *Cod. Rozr.* [7]) victor redit. *Cod. Rozr.* [8]) Zartawiam *Cod. Aut.*

procuravit igne immisso conflagrari. Vallatus quoque Pruthenorum, Lithuanorum et Iaczwingorum multitudine, in Cuyaviensem terram venit et eam, fidelesque Christianos, suo et barbarorum brachio (quibus aeque [1]) ac Polonis propterea magis quam Cruciferis infestus erat, quod Kazimirum Ducem Cuyaviae [2]), filium Cunradi Masoviae Ducis, omnes expeditiones contra se et suos cum Cruciferis frequentare noverat) vastat et opprimit, pluribusque interfectis, plures etiam in miserabilem captivitatem deduxit, et universam terram Cuyaviae per incendia et stragem barbaricam perdidit et vastavit. Cumque apostolicus Legatus Guilhelmus [3]) Mutinensis episcopus et scriptis et nuntiis Swantopelkonem super his corriperet, ille stomachando respondit, se a persecutione hostium suorum, et praesertim Cuyaviae Ducis et Polonorum, nedum propter apostolicum Legatum, sed nec propter solum Papam cessaturum: et nisi sibi filius obses cum caeteris reddatur, comminatus est, se omnibus conatibus tam Polonos quam Cruciferos bello vexaturum. Et continuo in Culmensi [4]) terra aedificavit castrum Zantir ad ripas Wislae, et nullam navem inspoliatam reliquit. Cruciferi tot malis angustiati, Samborio fratri germano Swantopelkonis castrum Zartawiczam per eos interceptum (si Swantopelkus cum eis inita [5]) se servaturum et barbaris se suffragia non ministraturum assecuraret) offerebant resignaturos. Sed dum Swantopelkus et castri Zartawiczae et filii restitutionem requireret, Cruciferi filium Swantopelkonis in Austriam per triginta armigeros, quos illis Dux Austriae Fridericus in solatium [6]) miserat, transmittunt. Swantopelk liberationem filii effecturus, quiescere non valens, in terra Pomeraniae castrum novum Swyecze [7]), ad fluenta Wislae, ubi Wisla fortissimos et rabidos edit vortices, ut navigationem omnem impediret, construere coepit. Kazimirus vero Dux Cuyaviae, et Poppo Magister alias Pipinus cum Cruciferis et gentibus non paucis, Swantopelkonem ab operis novi constructione repulsuri, in navibus adveniunt, et multa in destructionem novorum aedificiorum, aedificando insuper aliud castrum Putirbork [8]) e regione Swyecze, moliti, coepto irrito discendunt; Swantopelkus et Swyecze [9]) consummat et Zantir militibus et victualibus implet.

---

[1]) et sibi *Cod. Aut.* [2]) illius *Cod. Aut.* [3]) Wilhelmus *Cod. Rozr.* [4]) Chelmensi *Cod. Rozr.* [5]) pacta cum eis inita *Cod. Rozr.* [6]) auxilium *Cod. Rozr.* [7]) Swieczie *Cod. Rozr.* [8]) Puthirborgk *Cod. Rozr.* (Butterburg) [9]) et castrum Swieczie *Cod. Rozr.*

ANNUS DOMINI 1245.

Privilegia libertatum ecclesiarum Gnesnensis et Posnaniensis, maxime quod haec ius etiam cudendi monetam haberet, barones Poloniae tollere aut saltem imminuere frustra contendunt, Ducibus eo magis has ipsas libertates ecclesiae confirmantibus.

Ad libertatem ecclesiis Gnesnensi et Posnaniensi per Wladislaum Ottonis ducali munificentia largitam, rescindendam, barones et militares Maioris Poloniae universi solo livore acti, conspirant, magnisque illam studiis et interpellationibus apud Przemislaum et Boleslaum Maioris Poloniae Duces precantur cassari. Quae etsi nulli eorum afferebat praeiudicium vel gravamen, offendebantur tamen quam maxime, ecclesiasticas sortes, villas et praedia liberas esse, suis consistentibus sub gravi servitute et tributis. Altius tamen Posnaniensis ecclesiae libertati erant infesti, in quam nonnulla iura ducalia de moneta iure suo et imagine fabricanda, erant transfusa. Przemislaus vero et Boleslaus Maioris Poloniae Duces, baronum et militarium suorum nullis precationibus, nullis instantiis frangi et ad propositum eorum molliri poterant: turpe rati, Principis et parentis sui privilegium in Dei honorem et ecclesiasticam libertatem emanatum [1]), violatum iri, cum violatio ipsa et Divinitati contumeliam et ipsis inureret dedecus sempiternum. Confutatis itaque et reiectis eorum frivolis instantiis, libertatem ecclesiis a genitore eorum Wladislao Ottonis donatam, ne a quoquam posset in posterum revocari in ambiguum, suis specialibus literis et innovant et corroborant, et in foris civitatum et castellorum praeconum voce iubent illam firmam et illibatam censeri, ab omnibusque suis subditis intemerate custodiri. Conventu deinde generali et curia solenni apud Gnesnam indicta, Przemislaus Dux natu maior fratrem suum Boleslaum iuniorem in crastino beati Adalberti, in Gnesnensi ecclesia, Fulcone archiepiscopo missam solenniter decantante, sub praesentia Boguphali Posnaniensis episcopi et multorum Poloniae Maioris procerum, militari cinxit balteo, et variis ludis atque choreis celebratis, athletis ducalia largitus est munera.

---

[1]) donatum *Cod. Rozr.*

Kazimirus Cuyaviae Dux novem diebus Pomeraniam libere vastat, quem praedam referentem Swantopelkus Dux sed infeliciter consequitur.

Kazimirus Cuyaviae et Lanciciae Dux, filius Cunradi Masoviae Ducis, copiis maioribus, quibus poterat, contractis, in terram Culmensem advenit, et cum Fratre Poppone Crucifero, nonnullisque aliis Cruciferis, item cum Henrico Lichtersteyn, item Druseliff [1]) (pincerna hic Ducis Austriae Friderici erat) et paucis quibusdam aliis peregrinis, qui ex Austria, Cruciferis opem laturi [2]), gratia praedicatae Crucis venerant, ordinatis aciebus Pomeraniam [3]) ingrediuntur, vastationem de Chelmensi et Cuyaviensi terris Swantopelkoni digna vicissitudine refusuri. Et Swantopelk quidem cum suis Pomeranis, cum Kazimiro et Cruciferis decernere non ausus, Pruthenos, quos in sui solatium [4]) acciverat, praestolabatur. Interim Kazimirus Dux cum Cruciferis et peregrinis militibus plurima oppida et vicos [5]) novem diebus in Pomerania exurens, praedam magnam ex Pomerania [6]) ducebat. Quem Swantopelkus, Pruthenis advenientibus, consecutus, et a fronte et a tergo invadit. Henricus Lichtersteyn [7]) et Druseliff pincerna, praeda in Pomerania capta praecedente, ante signa ibant, quos Pomerani et Prutheni facili negotio fundunt, fugantque. Swantopelkus cum tribus cohortibus in Kazimirum et Cruciferos adeo animose et constanter invectus est, ut nonnulli desertis ordinibus, in praecipitem se darent fugam. Erat Duci Kazimiro miles quidam signifer Martinus Kruszwiczensis [8]), hic sua adhortatione milites in locis continuit. Conserta itaque pugna, acerrime pugnatum [9]), et neutra parte pedem referente, Henricus Lichtersteyn cum nonnullis de Austria supervenit (Druseliff enim pincerna nonnisi in Thorun fugam sistere potuit) et [10]) Swantopelkonis exercitum a tergo invasit. Itaque in momento Swantopelkus cum suis contritus est, et mille quingentis occisis, caeteri aut capti, aut fuga dilapsi sunt. Sub eo quoque tempore monasterium de Oliwa cum suis grangiis spoliatum et vastatum est et a Pomeranis et a Pruthenis [11]).

---

[1]) Druszeliff *Ed. Lips.* [2]) opem laturi *deest in Cod. Aut.* [3]) in Pomeraniam *Ed. Lips.* [4]) auxilium *Cod. Rozr.* [5]) oppida et vicos *deest in Cod. Aut.* [6]) ea *Ed. Lips.* [7]) Lichtersten *Cod. Aut.* [8]) Cruszviciensis *Cod. Rozr.* [9]) pugnatum est *Ed. Lips.* [10]) et *deest in Cod. Aut.* [11]) Pruthenis barbaris. *Cod. Rozr.*

Innocentius quartus Concilium Lugduni celebrat, in quo et Fridericum Imperatorem et Regem Portugalliae Regno et dignitate regia privavit.

Innocentius Papa quartus Lugduni Concilium celebrat, quod dum in festo beati Iohannis Baptistae inceptum esset [1]), ad Octavam Nativitatis Mariae Virginis, quae tum primum illic instituta est, duravit: in quo multa utilia condita sunt. In processu autem Concilii, hoc est Sedecimo Calendas Augusti, Innocentius Papa, approbante Concilio, Fridericum Romanorum Imperatorem velut hostem Ecclesiae condemnavit, ipsumque tam ab Imperio, quam a Regno Siciliae, Apuliae [2]) et Calabriae deposuit et privavit, et omnes vasallos a iuramento fidelitatis absolvit, sicut apparet in Sexto [3]) Extra. De sententia et re iudicata. c. Sacro praesente, et 1. Ad Apostolicae etc. Depositionis autem suae [4]) quatuor assignantur causae. Una fuit periurii, quia non servavit iuramentum, quod Ecclesiae fecerat, tam de Imperio, quam de Regno Siciliae, ratione feudi. Secunda causa fuit sacrilegii, quia procuravit capi Cardinales et Praelatos venientes ad Concilium. Tertia, quia notatus fuit de haeresi. Quarta, quia sex annis non solvit censum Ecclesiae de Regno Siciliae. Idem etiam Papa Innocentius Regem Portugalliae, baronibus petentibus, ab administratione deposuit, quia negligens erat in iustitia facienda, unde Regnum peribat; et substitutus est loco eius frater suus Alphonsus, qui erat Comes Boloniensis, sicut patet in Sexto Extra. De supplenda negligentia Praelatorum. c. Grandi.

Cristiano episcopo Culmensi succedit Henricus.

Cristianus [5]) Chelmensis episcopus, cum annis quinque et viginti Chelmensem rexisset ecclesiam, moritur et in Culmensi ecclesia sepelitur, nobilis de domo et familia...... [6]). Cui Innocentius Papa quartus tunc in Lugduno agens, nuntiis et literis Cunradi Masoviae Ducis rogatus et sollicitatus, Henricum episcopum Armacensem [7]) titularem, fratrem ordinis Praedicatorum, virtute illius et probitate delectatus, Quinto Idus Ianuarii, Pontificatus sui anno tertio, substituit.

---

[1]) est *Cod. Roz r.* [2]) Apulegiae *Cod. Rozr.* [3]) *scilicet* Libro Decretalium Bonifacii VIII Papae. [4]) istius *Ed. Lips.* [5]) Christinus *Ed. Lips.* [6]) *Nomen familiae deest in Codd. Aut. et Calv.; Codd. Rozr. et Lis. atque Edit. Lips. habent:* Rawa. [7]) Armatensem *Ed. Lips.*

ANNUS DOMINI 1246.

Cunradus Masoviae Dux rursum Cracoviensem terram invadit: cum quo congressus Boleslaus Dux vincitur; Cunradus victor castra quaedam exstruit ac firmat, quae tandem, ipso in Masoviam discedente, Boleslaus Dux expugnat et capit.

Gravem et iratum animum Cunradus Masoviae Dux contra nepotem suum Boleslaum Pudicum Cracoviensem Ducem gerens, tum quod ab eo in Suchdol [1]) conflictus et fugatus fuerit, tum quod illum a Cracoviensis Ducatus possessione detraxerit, magnis aestibus in [2]) vindictam et vicissitudinem rependendam [3]) aspirabat. Exulceratum quoque suapte animum consors sua Ducissa Agasia muliebribus provocabat exacerbationibus, suadens et instigans, ut opprobrium cladis in Suchdol acceptae, propter quam authoritas sua elanguerat, excuteret et non sineret esse inultam [4]). Lithuanis itaque barbaris sibi solatia praebentibus, terras et Principatus nepotis sui Boleslai Pudici Cracoviensis Ducis, a suarum terrarum et Lithuanicarum stipatus auxilio, invadit. Cui Boleslaus Pudicus nepos suus resistentiam facturus, cum Cracoviensibus et Sandomiriensibus militibus in Zarziszow alias Iaroschin occurrit. Et licet copias suas inferiores quam hostiles adverteret, pugnam [5]) conserit; et forti ac diro inter utrosque durante praelio, Cunradus Boleslaum superat et confligit: multisque de Cracoviensibus et Sandomiriensibus militibus adverso pectore cadentibus, multi a Cunrado capti sunt. Boleslaus Dux Pudicus cum paucis, ne vivus in potestatem patrui sui Ducis Cunradi, a quo se extrema passurum non ignorabat, incideret, fuga elapsus est. Et Cunradus vastata vicina regione, opprobrium acceptum resarcire contentus, in Masoviam cum praeda rediit. Pauco [6]) quoque tempore transacto, cum gentibus tantummodo suis, sciens vires Ducis Boleslai a se fractas esse, in Cracoviensem terram, habens in comitatu suo filium suum Kazimirum Cuyaviae et Lanciciae Ducem, item generum suum Myeczslaum Opoliensem Ducem, advenit et tantum loca (nolens expugnationi [7]) castrorum et civitatum vacare), [8]) civibus Cracoviensibus sibi deditionem facere aspernantibus, incastellat. Et primum quidem castrum in loco contra Cracoviensem arcem et civitatem, ubi Rudawa Wislam ingreditur, aliud prope monasterium Thincziense supra ripam [9]), et haec duo suis militibus praesidio commendat; tertium in Lelow aedificat

[1]) Suchodoł *Cod. Rozr.* [2]) et *Cod. Rozr.* [3]) rependere *Cod. Rozr.* [4]) inultum. *Ed. Lips.* [5]) pugnam tamen *Cod. Rozr.* [6]) Parvo *Cod. Rozr.* [7]) expugnationem *Ed. Lips.* [8]) vocare *Ed. Lips.* [9]) Thinecense supra ripam Vistulae *Ed. Lips.*

et illud Duci Myeczslao [1]) Opoliensi genero suo dat in tenutam. Sed Cunrado ex Cracoviensibus oris in Masovienses [2]) divertente, Boleslaus Pudicus Cracoviensis Dux cum militibus castrum in Thinczie nsi [3]) rupe expugnat et conquirit. Aliud vero quod in faucibus Rudawae et Wislae erectum erat, per deditionem accepit, militibus qui in praesidio eius erant verentibus, ne iuxta ac illi de Thincziensi [4]) rupe vivi in potestatem Boleslai Ducis venirent. Contigit non longe post Myeczslaum Opoliensem Ducem generum Cunradi, liberis non relictis, mori. Cuius morte vulgata, castrum Leloviense, quod Myeczslai [5]) nomine tenebatur, Boleslao Pudico Cracoviensi Duci illico redditum, et omnes Cunradi Masoviae Ducis labores et machinamenta reciderunt in irritum. In sortem autem Myeczslai Ducis Opoliensis Wladislaus germanus suus successit, Ducatumque Opoliensem ex integro possidere coepit. Pruthenis barbaris Masoviam ingredientibus et hostiliter suo more terram circa Czechonow [6]) vastantibus occurrunt Masovienses et Lancicienses milites, et congressu inito confligunt Pruthenos; et noningentis occisis, caeteri aut evasere per fugam, aut venere in captivitatem. Ad suggestionem insuper [7]) et petitionem Cunradi Ducis Masoviae Lithuani terram Sandomiriensem silenti agmine ingressi, oppidum Opathow et vicinia eius praedantur.

Opizo Legatus Innocentii quarti Papae Swantopelkonem Pomeraniae Ducem a censuris liberat, Denarium Sancti Petri in Polonia exigit. Edmundum confessorem Papa Lugduni canonisat, Imperatorisque alterius electionem apud Electores conficit.

Opizo abbas de Mezano [8]) Innocentii Papae quarti in Poloniam et Prussiam Nuntius ex Lugdunensi Concilio missus, pluribus apostolicis fultus facultatibus, Cracoviam advenit, et exinde Prussiam, Pomeraniamque transiit. Swantopelkonem Pomeraniae Ducem Kazimiro Cuyaviensi Duci et Cruciferis Fratribus iureiurando pollicentem cum Pruthenis et barbaris contra Christianos non sentire, neque ulla publica vel occulta inire commercia, a censuris, quibus erat per episcopum Madensem etiam apostolicum Nuntium ligatus per annos aliquot, absolvit, et pecunias Denarii Sancti Petri in singulis dioecesibus ecclesiae Polonicae per annos aliquot recollectas accipiens, ad Papam Innocentium rediit: qui anno eodem Lugduni Sanctum Edmundum [9]) confessorem, Cantuariensem archiepiscopum de Anglia canonisat. Ipsius insuper Innocentii Papae Electores Imperii parentes mandato, Henricum Lantgravium

---

[1]) Myeczlavo *Cod. Aut.* [2]) Masoviam *Cod. Rozr.* [3]) Thinecensi *Ed. Lips.* [4]) Thinecensi *Ed. Lips.* [5]) Myeczszlavi *Cod. Aut.* [6]) Czyechanow *Cod. Lis.* [7]) autem *Cod. Rozr.* [8]) Meszano *Cod. Aut.* Messano *Cod. Rozr.* [9]) Edimundum *Cod. Rozr.*

Ducem Thuringiae, cognominatum Raspe [1]), filium beatae Elisabeth in Imperatorem eligunt. Cui electioni obviat et adversatur Cunradus filius Friderici [2]) Imperatoris depositi, quem pater ante in Almania Regem ordinaverat.

Daniel Ruthenorum Dux in Regem ab Opizone Legato Innocentii quarti coronatur, episcopis Regni Poloniae frustra id dissuadentibus.

Claritatem et praeeminentiam regalis nominis atque fastigii Daniel Ruthenorum Kyoviensis et Drohicziensis Dux atque Monarcha et qui pro ea tempestate divitiis, terris, gentibus, factivitate et industria pollens, inter Ruthenorum Principes celebrior habebatur, adepturus, intelligens Opizonem abbatem de Mezano Apostolicae Sedis Legatum [3]) Poloniam advenisse, largisque facultatibus apostolicis praeditum esse, missis ad illum notabilibus nuntiis, etiam munera magnae importantiae per illos sibi transmittit, rogans: ut ipsum in Ruthenorum Regem auctoritate apostolica evehat, coronet atque inungat; offerens se cum omnibus Russorum terris suae ditioni subiectis, Graecorum ritu derelicto, in obedientiam et communionem universalis Ecclesiae Romanae et sui Summi Pontificis transiturum, et tam Ruthenorum quam aliorum Catholicorum terras a Thartarorum invasione potenter et animose protecturum. Exhilaratus admodum his nuntiis, eaque legatione Opizo Legatus apostolicus, et credens vehementer rebus fidei et religionis Christianae conducere, se quoque beate et feliciter legationis suae officium obiturum fore, si Daniele Drohiczensi Duce [4]) in Ruthenorum Regem evecto, plures et insignes provinciae atque regiones, innumerabiles quoque animae, ex caligine Ruthenica ereptae, in catholicae fidei reducerentur puritatem: nuntiis [5]) Danielis Ducis benigne appellatis et bene de negotio suae legationis sperare iussis, illos ad Danielem Ducem remittit, pollicens se propediem venturum et illum, si erroribus Graecorum desertis, veram Catholicorum [6]) religionem cum terris et populis suis complexus fuerit, in Ruthenorum Regem coronaturum. Et licet pontifices Poloniae, et signanter Prandotha Cracoviensium antistes, promissum tam temerarium Danieli Duci et suis nuntiis factum, rescindere Opizonem Legatum apostolicum multifariis [7]) argumentis persuaderent (quippe qui probe naturam et mores Danielis Ducis, et eius fluxam, vaframque fidem optime dinoscentes, certo certius sciebant, Danielem Ducem suis

---

[1]) Aspe *Cod. Rozr.* [2]) Fridericus filius Cunradi *Cod. Aut.* [3]) Opisonem Legatum apostolicum in *Cod. Rozr.* [4]) Daniele Ruthenorum Principe *Cod. Rozr.* [5]) Itaque nuntiis *Cod. Rozr.* [6]) catholicam *Cod. Rozr.* [7]) multis *Ed. Lips.*

promissionibus temeratis [1]), et religioni nostrae et Summo Pontifici ac ipsi Legato Opizoni fallaciter [2]) illusurum): Legatus tamen apostolicus Opizo, sive fidei et religioni christianae optime consulturus, sive legationem suam ex coronatione huiusmodi illustraturus, sive quod pontifices Poloniae parum fideliter et magis ex invidia existimabat dissuasionem ingessisse, a sententia dimoveri non potuit; sed in Drohiczin, quae tunc Ducis Danielis principalis sedes erat, perveniens, Ducem praefatum Danielem, astante Principum et baronum Russiae ad id specialiter invitata et accersita multitudine, in castro Drohiczin Regem super Russiam coronat et inungit, praefato Duce Daniele solenniter promittente et se iureiurando in manibus praefati Opizonis Legati astringente, se cum omnibus Principibus et baronibus, terris et dominiis suis, fidem, ritum et caerimonias Romanae ecclesiae de caetero fideliter et sincere sectaturum, et Innocentio quarto Summo Pontifici Romano, eiusque successoribus pariturum.

Misit sub iisdem temporibus praefatus Summus Pontifex Innocentius quartus ad gentem et Imperatorem Thartarorum convertendam et a sua furia mitigandam, fratres Praedicatores et Minores, zelum Dei habentes, inter quos duo erant principales: ex Praedicatoribus frater Azelinus Lombardus, ex Minoribus frater Iohannes de Plano. Iam siquidem praefati Thartari totam Persidem et Assyriam, item totam Turchiam, quae ante dicta est Armenia maior, ubi et Asia minor, armis et crudeli tyrannide occupaverant, antiquis tyrannis et habitatoribus partim necatis, partim eiectis, aut in suum ritum et linguagium [3]) traditis et traductis.

Miles Cracoviensis Wydzga in gravi fame Cruciferos magnifice sublevavit, ac se ordini eorum addixit.

Fame miserabili Culmensem, Pomeraniae et Prussiae terras premente, adeo, ut plerique Cruciferi inedia extinguerentur, miles Wydzga Czyorstin [4]) ex Cracoviensi terra, de domo et nobilitate, quae Ianina dicitur, ortum ducens, ordinem Cruciferorum ingressurus, tres magnas naves, vino, medone, tritico, lardo, frumento, butyro, caeterisque victualibus oneratas, per aquas Wislae, tricenta vero pecora, videlicet boves, vaccas, item armenta, item equos, per terram usque in Thorun transmisit, gratissimum laborantibus fame munus. Solus posthaec adveniens, in ordinem comiter et benigne susceptus, laudabiliter in illo perseverans, defunctus est. Attulit etiam tunc secum

[1]) suis illusionibus temeratis et promissionibus *Ed. Lips.* [2]) faciliter *Cod. Rosr.* [3]) linguarium *Cod. Aut.* [4]) Gzyorsthin *Ed. Lips.*

magnum pondus auri in montibus Polonicis versus Hungariam sitis et supra villam Lanczsko positis, quaesitum, et totum in ordinem contulit.

ANNUS DOMINI 1247.

Maioris Poloniae Duces haereditates inter se partiuntur.

Maioris Poloniae Duces Przemislaus et Boleslaus, conventu apud Posnaniam suorum consiliariorum [1]) indicto, terrarum Maioris Poloniae celebrant aequam [2]) divisionem. Cessit autem iuniori natu Boleslao Calissiensis Ducatus a fluvio Przoszna [3]) usque ad Przemanth [4]), castro etiam Przemanth incluso, et abinde usque ad fluvium Wartham et Moszinam et paludem quae Sepno vocatur, et Obra [5]) termino flumine. Przemislao vero natu maiori Gnesnensis et Posnaniensis cesserunt terrae cum suis castris et appendiis, divisioque ipsa, etiam iureiurando interposito et anathemate per Boguphalum Posnaniensem episcopum in violatorem, Duce utroque petente et se submittente, lato, quasi quodam duplici funiculo difficulter rumpendo, firmata est.

Boleslaus Legniczensis Dux Maioris Poloniae imperium repetit; sed castris certis a Ducibus Poloniae sibi datis, tandem quiescit.

Boleslaus Legniczensis Dux Maioris Poloniae Ducatus, quos pater suus Henricus tenuerat, velut sui iuris essent, repetiturus, super Obram [6]) novum castrum Kopaniczam aedificat; contra quem Przemislaus et Boleslaus Maioris Poloniae Duces exercitualiter, aedificationem castri Kopanicza prohibituri, egressi, per communes barones, ne inter fratres et affines propinquos horrendum interveniret certamen, pacificantur, castris Santhok, Myedzyrzecz [7]) et Sbanszin [8]) datis Boleslao Legniczensi [9]), nova munitione castri Kopanicza demolita.

---

[1]) suis consiliariis *Cod. Rozr.* [2]) ex aequo *Cod. Lis.* [3]) Proszna *Ed. Lips.* [4]) Przemąndt *Cod. Rozr.* [5]) quae Sempno vocatur, et fluvium Odra *Cod. Rozr.* [6]) Odram *Cod. Aut.* [7]) Miedzirzec *Ed. Lips.* [8]) Czbąszin *Cod. Aut.* [9]) Legnicensi Duci *Cod. Rozr.*

Barwin Dux Kaszubitarum castrum Santhok oppugnat, a quo facile repulsus est; castrum tamen praedictum Przemislao Duci Gnesnensi per Boleslaum Ducem Legniczensem donatur.

Barwin Slavorum seu Kaszubitarum [1]) Dux castrum Santhok, quod tunc a Boleslao Legniczensi Calvo Duce tenebatur, praetendens sui iuris esse, collecto exercitu obsidet et vehementer oppugnat. Successisset quoque illius expugnatio propter paucitatem defendentium et victualium defectum, nisi Przemislaus Gnesnensis et Posnaniensis Dux, qui Boleslai [2]) Legniczensis sororem germanam habebat pro consorte, festinus cum gentibus accurrisset, tulissetque laborantibus et iam in deditionem castri proclivis, opem. Acceleravit et Boleslaus [3]) Legniczensis Dux [4]), cuius castrum erat, adventare cum copiis; et Barwin Dux Kaszubitarum utriusque veritus potentiam, obsidione soluta discessit, nec apposuit amplius redire. Boleslaus autem Legniczensis [5]), Ducis Przemislai Posnaniensis et Gnesnensis commendata fide et probitate, etiam sibi castrum Santhok perpetua largitione donavit, vel potius reddidit.

Boleslaus Calissiensis Dux monasterium Landense per Kazimirum Cuyaviae Ducem incastellatum recuperat.

Non tulit et Boleslaus Calissiensis Dux, frater Przemislai, iniuriam et ignominiam suae sortis, quam illi Kazimirus Cuyaviensis et Lanciciensis Dux, filius Cunradi Masoviae Ducis, monasterium Landense ad flumen Wartha situm incastellando, occupaverat [6]), sed cum militia sua illud aggressus, conquirit, praesidioque quod Kazimirus imposuerat depulso, et vallis fossatisque, et [7]) universis propugnaculis disiectis et demolitis, locum monachis restituit.

Cunradus Masoviae Dux moritur.

Matura aetate et continua frequentatione bellorum Cunradus Masoviae, Cuyaviensis, Lanciciensis et Siradiensis Dux confectus (qui in omni vita sua ad consequendam Poloniae Monarchiam aspiraverat et ob id nepoti suo Boleslao Pudico Duci Cracoviensi iniusta bella moverat) moritur et in Ploczensi

---

[1]) Cassubitarum *Ed. Lips.* [2]) Boleslai Ducis *Ed. Lips.* [3]) Boleslaus Calvus *Cod. Roz*r. [4]) Dux *deest in Cod. Aut.* [5]) Dux Legnicensis *Ed. Lips.* [6]) intulerat *Cod. Rozr.* [7]) ac *Cod. Rozr.*

maiori ecclesia sepelitur, duos filios Kazimirum et Semovitum relinquens: inter quos subita concertatio super relictis paternis Principatibus exoritur. Vix enim patris corpore sepulturae mandato, dum adhuc funeri suo relicta sua Agasia et filius natu iunior Semovitus iusta persolverent, Kazimirus natu maior Siradiense castrum, item Spiczmerz [1]) et Roszprzam ex improviso occupavit et occupata detinuit, moleste ferens, quod Cunradus pater propensiori charitate Semovito affectus, Ploczensem illum sedem et Masoviae Ducatum obtinere vivens iusserat.

Swantopelkus Pomeraniae Dux bis per Cruciferos profligatur.

Secundo Magistro Cruciferorum Pipino alias Poppone absumpto, tertius Henricus de Vida succedit [2]): qui in Pomeraniae terra castrum Cristburg construens, illud Fratribus et militibus communit, conatus temerarios Swantopelkonis Pomeraniae Ducis facilius repressurus. Verum Swantopelk tempore opportuno explorato, castrum Cristburg [3]) per insidias nocte intercipit, et Cruciferorum partim necato, partim captivato praesidio, suum illi imponit; violatis insuper pacis sufferentiis, plurimos ex Cruciferis circa Golub cepit aut extinxit. Suo deinde [4]) et barbarorum exercitu congregato, terram Cuyaviensem Kazimiri Ducis hostiliter ingressus, neque impuberibus, neque feminis miserendum [5]) duxit: sed ferro et incendio omnia devastans, magna praeda onustus in castrum suum Swyecze [6]) se recepit. Eo autem Cuyaviam vastante, aliud castrum a Magistro Henrico et Fratribus e regione castri Cristburg extructum est: ad quod oppugnandum, conquirendumque exercitus suus cum curribus et propugnaculis accedens, certamine inito superatus et in fugam versus, Cruciferi curribus et commeatibus, rebusque plurimis potiti. Eam cladem ultum iri Swantopelkus satagens, novo exercitu congregato, nonnullas copias ad lacessendum Cruciferos, qui erant in castro Cristburg, transmittit. Quae certamine cum Cruciferis inito, a Cruciferis ex castro Cristburg victi, dum ad Swantopelkonis stativa [7]) refugerent, clamore incondito, quem fugiendo edebant, adeo Swantopelkonis perterruerunt exercitum, ut tabernaculis relictis, trans alteram ripam Wislae, absorbentibus nonnullos undis, diffugeret. Exercitus vero Cruciferorum in terram Pomeraniae descendens, gravem vastationem per caedes et ignes infert. Sub qua vastatione, omnibus horreis et

---

[1]) Spiczimierz *Cod. Rozr.* [2]) successit *Cod. Rozr.* [3]) Cristborg *Cod. Aut.* [4]) denique *Cod. Rozr.* [5]) miserandum *Cod. Calv.* [6]) Szwiecie *Ed. Lips.* [7]) castra *Cod. Rozr.*

grangiis [1]) monasterii de Oliwa concrematis, et tam equis quam pecoribus abductis, monasterium praedictum extrema egestate damnatum est.

ANNUS DOMINI 1248.

Mortuo Cunrado Masoviae Duce ac filio ipsius Boleslao, Dux Polonorum Boleslaus Pudicus tranquille regnat in Monarchia.

Magna tranquillitas, certaque pax, Cunrado Masoviae Duce excedente e vita, terris Cracoviensi, Sandomiriensi et Lublinensi, qui illas et per se et per barbaricas gentes, Lithuanos atque Pruthenos, infestare solitus erat, reddita est, Ducis quoque Boleslai Pudici, praecipuo hoste et adversario sublato, thronus firmatus. Coepitque extunc Boleslaus Pudicus Cracoviensis Dux collapsa et deformata erigere, et instaurare diruta, et tam apud Polonorum Duces, quam vicinas nationes et Regna, propter probitatem suam, morum elegantiam et virtutum praestantiam, magnus et celebris haberi. Secutus autem est parentem suum Cunradum Masoviae Ducem filius eius Boleslaus, et rebus absumitur humanis.

Boleslaus Calvus Dux Legniczensis germano suo bellum iniuste infert.

Cracoviensibus et Sandomiriensibus oris quietatis, atrox et civile bellum in Slesiana ora erupit. Boleslaus enim Calvus Legniczensis Dux, magno furore actus, quod et de portione meliori Ducatus Wratislaviensis, quae sibi ex sorte debebatur, Legniczensem ratus meliorem, Henrico fratri sponte cesserat, et quod Cunradus alter frater suae portionis consors, subdiaconatu, ad quem promotus, et Bambergensi episcopatu, ad quem promovendus erat, desertis, militari statu induto, portionis Legniczensis dimidium repetebat, Henrico qui Wladislaum archiepiscopum Salczburgensem habebat consortem, ex integro sortem [2]) retinente, bellum Henrico Wratislaviensi et Cunrado fratri apud Henricum hospitato, Ducibus [3]) movit. Et Saxonibus stipendio conductis, in solatium [4]) accersitis, Wratislaviensem Ducatum (Henrico Wratislaviensi Duce, quod vires illi ad decernendum tenues erant, vitante conflictum) spoliis et incendiis et qualibet hostilitate vastat et invadit [5]), apud Novum quoque forum plebe promiscua ad ecclesiam confugiente, quingentos homines

---

[1]) bonis *Cod. Rozr.* [2]) sortem *deest in Cod. Aut.* [3]) Ducibus *deest in Cod. Aut.* [4]) auxiliumque *Cod. Rozr.* [5]) incendit *Ed. Lips.*

edaci flamma consumit. Deinde ad civitatem Wratislaviensem, quae tum primum Henrici Ducis industria a Teutonicis disponi et iure Teutonico locari coeperat, accedens, eam tribus mensibus continua obsidione premebat. Quae etsi tunc in civibus et propugnaculis languida atque novella exstitisset, obsidionem tamen Boleslai Calvi Legniczensis Ducis non solum fortiter tulit, sed etiam per frequentes eruptiones exercitum suum [1]) multifariis damnis molestavit, adeo, ut Boleslaus ab illius obsidione, coepto irrito, recedere cogeretur.

Clerus Poloniae concedit quintam partem omnium redituum Sedi Apostolicae ad triennium; et tunc primum incipit ieiunium quadragesimale a die Cinerum, quod prius a Dominica Septuagesimae sumebat initium.

Iacobus Leodiensis archidiaconus ex Lugduno a Papa Innocentio quarto in Poloniam, Pomeraniam et Prussiam Nuntius missus, Poloniam advenit et negotia sibi a Sede Apostolica commissa [2]) effecturus [3]), Synodum apud Wratislaviam agit. Ad quam cum Fulco Gnesnensis archiepiscopus, Prandotha Cracoviensis, Boguphalus Posnaniensis, Thomas Wratislaviensis, Michael Wladislaviensis, Andreas Ploczensis, Nankerus Lubuczensis, Henricus Culmensis, Polonicae ecclesiae et Gnesnensis provinciae episcopi cum suarum ecclesiarum Capitulis convenissent, Iacobus Leodiensis archidiaconus Nuntius apostolicus, quantis Sedes Apostolica et eius Praesul Innocentius quartus ex diuturna guerra inter ipsum et Fridericum Imperatorem, pro defensione libertatis ecclesiasticae, afflicta sit calamitatibus, in quantas difficultates et debita prolapsa, quantis circumdata angustiis, longo sermone edicit, nomineque Romanae Ecclesiae et Innocentii quarti medietatem omnium redituum per tres annos continuos pro subventione ab ecclesia Polonica magno studio flagitare coepit, asserens impium et crudelem fore filium, qui in tam evidenti necessitate afflictae et angustiatae matri subvenire detractet. Pontifices autem Polonicae ecclesiae, variis consultationibus habitis, ad subveniendum Ecclesiae Romanae et Innocentio quarto de quinta parte suarum ecclesiarum et beneficiorum sui cleri per triennium (medietas enim onerosa videbatur) se submittunt. Et quo subventio ipsa in Summi Pontificis conspectu gratior fieret [4]) atque commendabilior, pro universo triennio subventionem ipsam quintae partis in constituto die celerrime conferunt et Summo Pontifici per Gothfridum poenitentiarium apostolicum collectam pecuniam et in aurum redactam trans-

---

[1]) ipsius *Cod. Rozr.* [2]) commissa *deest in Cod. Aut.* [3]) confecturus *Cod. Rozr.* [4]) foret *Cod. Rozr.*

mittunt. Pro quo pontificibus et clero Poloniae ab Innocentio quarto gratiae in publico sunt actae. Habebatur autem in universo Poloniae Regno observantia vetus et consuetudo ab exordio susceptae fidei in eam usque diem, in morem primitivae Ecclesiae et ritum, quem Orientalis Ecclesia observare non desiit, pro legitima sanctione custodita [1]), ieiunium quadragesimale a Dominica Septuagesimae incipere et in diem Paschae continuare: quae a pluribus saepenumero praevaricata personis, multarum discordiarum inter clerum et laicalem populum afferebat seminarium et fomentum, sacerdotibus et ecclesiarum parochialium rectoribus transgressores aut publica aut gravi poenitentia, aut censura mulctantibus, aut ecclesiae ingressum denegantibus; laicis e contrario opponentibus, consuetudinem et observantiam praefatam ab Ecclesia Romana contraria consuetudine et observantia in singulis Regnis, terris et provinciis Romanae Ecclesiae subiectis abolitam fore, et se ad illam more aliorum Catholicorum non teneri. Pluribus itaque diebus in praefata Wratislaviensi dieta per Iacobum apostolicum Nuntium et pontifices Poloniae, eorumque clerum, nodo rei huiusmodi rei ventilato, Iacobus apostolicus Nuntius praedictus, de consilio et assensu pontificum et cleri ecclesiae Polonicae, consuetudinem et observantiam praedictas multas difficultates et scandala parientem, auctoritate apostolica sustulit, et tam ecclesiasticis quam saecularibus personis usum carnium ad Cinerum diem exclusive, contraria consuetudine Polonicae ecclesiae et [2]) institutione primitivae Ecclesiae non obstante, concessit. Ab eo quoque tempore Septuagesimae Dominica a Polonis vetus Carnisprivium denominationem, quam et hactenus retinet, accepit.

Premislaus Bohemiae Regis filius patrem Regno exuit: qui tandem a patre captus ac carcere punitus, Moraviae Principatum, patri reconciliatus accipit.

Wenceslaus Bohemiae Rex, qui ob sinistri oculi defluxum et carentiam Monoculus appellatus est, grandaevus senio et aevo, tam hostili odio et livore (procurantibus et serentibus huiusmodi odia baronibus Bohemiae, et signanter Stiborio, cognominato ob singularem industriam Mudrahlowa, id est, Sapiens testa) insectatus est, a filio suo [3]) Premislao angustiatus et constrictus, ut Regnum illi resignaret, tribus sibi tantummodo castris, videlicet Swyekow, Loketh [4]) et Ponte, sibi reservatis. Verum dum nec sic furor filii Premislai et consulentium sibi quiesceret, sed Premislaus ipse Borszonem de Ossek alias Rizemburg [5]) (eo quod cum patre contra illum sensisset) capitali

[1]) custoditum *Cod. Rozr.* [2]) neque *Cod. Rozr.* [3]) suo *deest in Cod. Aut.* [4]) Szwiekow, Łokieth *Cod. Rozr.* [5]) Barszonem de Oszick alias Kiremburg *Cod. Rozr.*

persequens [1]) odio, etiam Pontem castrum, quod Borszo a patre tenebat, obsidione vallaret: Borszo cum baronibus de Swamberk [2]) et Lemberg et aliquibus de Miszna, castra Premislai nocte invadens, percussit, pluribusque interfectis, Premislaum et omnes suos in turpem fugam egit. Rex interim [3]) Wenceslaus et Bohemorum et Australium adiutus assistentia, occupatum a filio Regnum recuperat, et filium ad se in Tirszow venientem captivat et carceri includit; suorum vero consiliariorum capita in monte Petrino trabe iussit decuti. Inter quos etiam caput Stiborii Mudrahlowa de Schumbork [4]) et Thowaczow (qui in sua sapientia adeo confidentiam habuisse asseritur, ut Deum posse se in consilium suum assumere [5]) gloriaretur) trabe decussum est. Premislaus vero filius post humiliatus et per barones patri reconciliatus, calcitrare erubuit, et patre concedente, in Moravia ad patris mortem gessit Principatum.

ANNUS DOMINI 1249.

Przemislaus et Boleslaus iterum Maiorem Poloniam inter se dividunt: et peior pars cessit Boleslao Duci resistere dubitanti atque timenti.

Divisionem terrarum et Ducatuum [6]) Przemislaus Gnesnensis et Posnaniensis Dux, inter se et Boleslaum germanum suum Ducem Calissiensem, superiori tempore celebratam infecturus, castrum et civitatem Posnaniensem, iuxta ecclesiam maiorem Posnaniensem, multa [7]) diligentia atque impensa [8]), variisque aedificiis, fossatis et propugnaculis exstruxit et consummavit. Et fratre suo Boleslao Duce Calissiensi accersito, consignato ei Gnesnensi Ducatu ac castris oppidisque Bnyn, Gredecz seu Gedcz [9]), Byechow, Ostrow, Nakel, Uscze, Czarnkow et Srzem, castrum et Ducatum Calissiensem ab illo in perpetuam possessionem accepit, novamque divisionem inter se et Boleslaum fratrem non ex aequo aut consiliariorum arbitrio, sed ex sensu proprio, priori irritata (Boleslao natu minore adversari non audente) multis viris improbantibus, celebravit, meliora quaeque in suam sortem approprians et infoecunda et quaque deteriora Boleslao fratri relinquens. Coniecit et in vincula praefatus Przemislaus Posnaniensis Dux Thomam castellanum Posnaniensem et Thomislaum pincernam, filiumque eius Sandivogium [10]) nobiles de domo Nalancz [11]): astruens illos ad se et fratrem suum Boleslaum de Maio-

---

[1]) persequeretur *Cod. Rozr.* [2]) Szwemberg *Ed. Lips.* [3]) autem *Ed. Lips.* [4]) Szumberg *Cod. Rozr.* [5]) vocare *Cod. Rozr.* [6]) Ducatuum Maioris Poloniae *Cod. Rozr.* [7]) magna *Cod. Rozr.* [8]) expensa *Cod. Rozr.* [9]) Grodecz seu Giecz *Cod. Rozr.* [10]) Sandziuogium *Cod. Rozr.* [11]) Nałencz *Cod. Rozr.*

ris Poloniae Ducatibus eiiciendum, et ad tradendum Ducatus [1]) praefatos Boleslao Legniczensi [2]) conspirasse: quos in castro Gnesnensi aliquanto tempore ferreis catenis tenuit constrictos.

Boleslaus Calvus Legniczensis Dux iterum fratrem suum Henricum oppugnat, sed suo malo.

Boleslaus Calvus Legniczensis Dux sortem, quae sibi primum obtigerat, et de qua sponte sua Henrico germano suo cesserat, Ducatum videlicet Wratislaviensem repetiturus, Saxonibus et Teutonicis, caeterisque peregrinis militibus, quos pretio in sui solatium [3]) conduxerat, adiutus, alteram in Wratislaviensem terram agit expeditionem. Et fratre suo Henrico detrectanto certamen et castra tantummodo ac munitiones tueri contento, Boleslaus Legniczensis [4]), fortem et numerosum ducens exercitum, oppida et rura vastat et incendit, et praedam magnam pecorum et captivorum in terram Legniczensem abducit. Terra autem pervastata, etiam civitatem Wratislaviensem secunda obsidione constringit. Aliquanto autem tempore in eius obsidione demoratus [5]), pluribus damnis per eruptiones et invasiones eorum, qui pabulatum se conferebant, exceptis, in Legniczensem Ducatum fremens et tristis, quod duabus expeditionibus nihil prospere gessisset [6]), rediit. Quem in Legniczam redeuntem barones sui et milites captivant et incarcerant; posthaec de sinceritate facienda sponsionem faciens, dimissus in libertatem, castra Teutonicis tradit, ut liberius proprios vastaret, suam captivitatem satagens ultum iri. Donat insuper castrum Lubusch archiepiscopo Maydburgensi ea conditione, ut sibi in gentibus transmittat solatia [7]). Quibus cognitis, Przemislaus Posnaniensis Dux gener suus, qui sororem suam germanam habebat in consortem, ipsum velut delirantem detinuit et sub honesta custodia servavit captivatum.

Nicolaus Pragensis episcopus apud Wenceslaum Monoculum Bohemiae Regem per aemulos famae et nominis sui accusatus, quod et ipse cum filio Regis Premislao sensisset et ipsum ad rebellandum patri subornasset [8]), iussu Wenceslai Regis captus est. Propter quod interdictum ecclesiasticum in universa Pragensi diocesi, quousque in libertatem rediit, fuit observatum.

Bruno Olomunczensis episcopus [9]), dignitate sacerdotii neglecta, oppidum Rathiboriense, ob quasdam simultates et inimicitias cum Wladislao Duce Ra-

---

[1]) Ducatus suos *Ed. Lips.* [2]) Duci Legnicensi *Cod. Rozr.* [3]) auxilium *Cod. Rozr.* [4]) Legnicensis Dux *Cod. Rozr.* [5]) commoratus *Cod. Rozr.* [6]) egisset *Cod. Rozr.* [7]) auxilia. *Cod. Rozr.* [8]) subordinasset *Cod. Rozr.* [9]) episcopus *deest in Cod. Aut.*

thiboriensi [1]) obsidione cingens, expugnat et tam ecclesias, quam monasteria et oppidum incendio conflagrat [2]). Ad castrum etiam Rathiboriense machinas admovet; sed inde repulsus, turpiter abiit. Post tractatus autem varios pro pace [3]) hinc inde habitos, Wladislaus Dux oppidum Rathiboriense tribus millibus marcarum a Brunone episcopo redemit.

Expeditio per Ludovicum Regem Franciae contra Saracenos male gesta.

Francorum Rex Ludovicus [4]), pro liberatione Terrae Sanctae sumpta [5]) Cruce, cum suis episcopis, baronibus et Principibus transfretaturus iter transmarinum, et in die Ascensionis Domini ex Cypro, ubi integra hieme hibernaverat, navem conscendens, navigansque, portum et civitatem Damiatae capit. Ultra vero ad expugnandum Saracenos procedens, obviam habuit multitudinem Saracenorum in passibus strictis: ubi multi de suis occiduntur, inter quos fuit frater suus Robertus, cuius nimia celeritate clades ipsa acciderat. Ludovicus vero Franciae Rex cum pluribus suis capitur, et cum captivitatem annis quinque pertulisset, data pecunia se ipsum et omnes in libertatem vendicavit.

Andreae Ploczensi episcopo succedit Petrus.

Andreas Ploczensis episcopus, dictus Cracoviensis, cum annis undecim sedisset, febribus maceratus, die decima septima Ianuarii moritur et in Ploczensi ecclesia sepelitur. Cui Petrus cognominatus brevis, canonicus Ploczensis, per electionem canonicam via compromissi celebratam, succedit, a Fulcone Gnesnensi archiepiscopo apud Kalisch, Kazimiro et Semovito Ducibus Masoviae illum promoventibus, confirmatus et consecratus.

Occisio beati Petri ordinis Praedicatorum.

Claruit sub hoc tempore in Lombardia, vita, doctrina atque miraculis beatus Petrus de ordine Praedicatorum, natione Veronensis, sed in territorio Mediolanensi ab haereticis, Deum tantummodo visibilium, daemonem vero invisibilium creatorem astruentibus, velut sectae eorum damnator, occisus, magnis coepit coruscare miraculis.

---

[1]) Duce Rathiboriensi susceptas *Cod. Rozr.* [2]) absumit. *Cod. Rozr.* [3]) pro pace componenda *Cod. Rozr.* [4]) Ludowigus *Cod. Aut.* [5]) sumpta *deest in Cod. Aut.*

Innocentius Papa quartus Albertum episcopum olim Armacanum [1]), tunc vero in archiepiscopum Russiae promotum, ad Danielem Russiae Regem [2]), obedientiam sibi et Ecclesiae Romanae ab eo praestitum iri requirens, mittit [3]). Sed Rex callidus et rebellis neque requisitioni apostolicae paruit, neque se fidum, sed hostem Ecclesiae Romanae egit, Legatumque apostolicum [4]) sine honore dimisit.

Henricus Imperator electus moritur, cui Guilhelmus succedit.

Henricus Lantgravius et Dux Thuringiae, cognominatus Raspe [5]), filius beatae Elisabeth, mandato Innocentii Papae ab Electoribus Imperii post Friderici depositionem in Regem Romanorum electus, moritur, et ex mandato eiusdem Summi Pontificis Innocentii Electores ad electionem alterius Regis procedentes, Guilhelmum alias Wilkinum comitem Hollandiae in Regem Romanorum et Imperatorem futurum eligunt.

Cruciferos Prutheni caedunt.

Adunato Cruciferi, qui Balgam et Elbing castra et oppida in Prussia observabant, non mediocri ex propriis militibus et forensibus exercitu, Pruthenorum regionem Nactaga [6]) hostiliter ingressi, tam flammis quam caedibus gravissime [7]) vexaverunt. Vastatione autem peracta, dum redirent, a Pruthenis iniquorum locorum opportunitate circumsepti, dum neque effugiendi, neque acie iusta dimicandi spatium foret, barbaris qui et ipsi plures numero erant, instantibus, se hostibus (marsalco duce exercitus et Henrico Crucifero necquicquam improbantibus) dedunt: a quibus omnes ad unum trucidati atque deleti sunt circa villam vocatam Witke, ubi etiam non mediocris alia caesa est a barbaris Christianorum multitudo.

---

[1]) Armanacum *Ed. Lips.* [2]) Ducem *Cod. Aut.* [3]) mittit *deest in Cod. Aut.* [4]) Legatumque apostolicum Albertum *Cod. Rozr.* [5]) Aspe *Cod. Rozr.* [6]) Nactaga sive Magna *Cod. Rozr.* [7]) crudeliter *Ed. Lips.*

ANNUS DOMINI 1250.

Nuntii Romam missi pro sollicitanda canonisatione Sancti Stanislai: et Papa proprium commissarium ad examen mittit.

Crebrescentibus [1]) stupendis et magnificis miraculis, quae clementia Salvatoris per beati Stanislai pontificis Cracoviensis gloriosa merita Polonorum genti in earum cladium et afflictionum, quibus et a Thartaris et a civilibus bellis attrita est, levamen operari dignata est, Boleslaus Pudicus Dux et Prandotha episcopus, Cracovienses, ferventis ambo devotionis viri, nuntios, Magistrum Iacobum Decretorum Doctorem, decanum Cracoviensem, ortum de Skarzeszow, humilis quidem sortis et staturae infimae et exiguae, sed magnae et rarae doctrinae, prudentiae et factivitatis virum, et Magistrum Gerardum [2]) canonicum Cracoviensem et fratrem Boguslaum ordinis Praedicatorum subpriorem domus Cracoviensis in Lugdunum ad Innocentium Papam, miracula ipsa expondituros, transmittunt. Quae etsi Summo Pontifici Innocentio in facie consistorii publici per Magistri Iacobi de Skarzeszow decani Cracoviensis organum graviter et diserte fuissent [3]) enarrata, Summus tamen Pontifex, gravitatem in rebus similibus a Sede Apostolica custodiri solitam observans, archiepiscopo Gnesnensi, Wratislaviensi episcopo et abbati de Lubens, examen miraculorum beati Stanislai per literas speciales mandat et committit, iubens illis singulariter et iniungens, quatenus propter diuturnam et longaevam earum rerum, quae de passione et martyrio beati Stanislai episcopi Cracoviensis ferebantur, protelationem, militem quendam centenarium (Gedko [4]) hic erat) cum omni diligentia et sollicitudine examinent: qui etsi Sanctum Stanislaum non noverit, eos tamen qui illum noverant, pro comperto habebatur novisse, et illis referentibus, vitae beati viri puritatem et conversationem innocenter et religiose per omne aevum traductam, ordinem [5]) et causam martyrii, et miracula quae in vita et morte operatus est, plenarie didicisse. Cuius commissionis tale exstat exemplar:

„Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilecto filio fratri Iacobo „Velletrensi ordinis Fratrum minorum, Salutem et apostolicam benedictio„nem. Licet venerabili olim fratri nostro episcopo Cracoviensi et dilectis fi„liis Capitulo et clero Cracoviensis civitatis et diocesis, suis nobis literis in„timantibus, quod mirabilis Deus in Sanctis suis, piae memoriae Stanislao

[1]) Crescentibus *Cod. Rozr.* [2]) Gebhardum *Cod. Rozr.* [3]) forent *Cod. Rozr.* [4]) Gethko *Cod. Rozr.* [5]) ordinem denique *Cod. Rozr.*

„Cracoviensi episcopo tot et tantis dat coruscare miraculis, ut illius sancti-„tas apertis indiciis comprobetur, et ipsius inter alios Sanctos non invocari „suffragia est indignum; venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Gnesnen-„si, episcopo Wratislaviensi, dilecto filio abbati de Lubens Cisterciensis or-„dinis, Wratislaviensis diocesis, dederimus nostris literis in mandatis, ut as-„sumptis sibi viris religiosis et Deum timentibus, de virtute morum et ve-„ritate signorum, operibus videlicet et miraculis, diligentissime inquirentes, „quae invenirent, Nobis suis literis fideliter intimarent; ipsisque in negotio „huiusmodi procedentibus et rescribentibus Nobis, Nos fidem adhibeamus, ut „convenit, propositi eorundem: quia tamen in tanto negotio est gravitate et „maturitate praevia procedendum, te ad partes transmittentes, easdem discre-„tioni tuae auctoritate praesentium, in virtute obedientiae districte iniungi-„mus, ut a dictis inquisitoribus, si superstites et praesentes in provincia „fuerint, an sic processerint, sicut sub ipsorum sigillis recepimus, perscrute-„ris, et ipsorum actorum exempla ad maiorem certitudinem tecum portes, „faciens praesentari tibi eos, qui dicuntur fuisse a diversis infirmitatibus li-„berati, quos et quot potueris, ac illos duos centenarios, si superstites fue-„rint, de quibus mentio est in actis, quae dicuntur ab aliquibus accepisse, „vel eorum alterum, quod Sanctum noverunt eundem, et de ipsius clara et „honesta conversatione, dum viverent [1]), audierunt: inquisiturus ab ipsis „an ita sit, et inspecturus. Nihilominus devotionem populi et famam com-„munem super martyrio et causa martyrii, nec non et sanctitate ipsius „inquiras. Insuper utrum Cracoviensis diocesis paganis et Ruthenis Schi-„smaticis sit confinis, ut per hoc ex ipsorum confinio lucrum provenire va-„leat animarum. Adhoc librum Cronicarum [2]), quo ad Capitulum pertinens „ad negotium memoratum, ex archivo Ducis Poloniae editum, et etiam li-„brum Annalium et epitaphium considera diligenter. Et his summatim sub „obtestatione iuramenti, ubi tibi visum fuerit, coram prioribus inquisitoribus „praestiti, plenius intellectis, si aliqui testes super prioribus vel novis arti-„culis tibi fuerint praesentati, eos iuratos secundum formam recipiendorum „testium prudentum recipias et diligenter examinare procures. Et sic in-„structus ad Nos, ut per te super his instruamur plene, revertaris. Datum „Perusii, Septimo Calendas Iunii, Pontificatus Nostri Anno Nono."

Henricus Rex Dacorum a germano suo Abel vita et Regno privatur.

Dacorum [3]) Rex Henricus illustris, cum velut natu maior patre mortuo

[1]) viveret *Ed. Lips.* [2]) Chronicorum *Ed. Lips.* [3]) Danorum *Ed. Lips.*

in Regnum et solium paternum suffectus, annis aliquot illud iuste, pie et religiose administrasset, a fratre iuniore Abel nomine, Regnum et dominationem ambiente, tam Regno privatur, quam vita. Cum nonnullis siquidem scelestis viris in necem Regis et fratris sui, tenerrimo illum diligentis affectu, conspirans, ipsum capit, captumque marinis suffocat undis, Regnumque illico invadit. Facinus tamen tam detestandum ulciscente Deo, neque Principatus, neque vita fuere illi diuturna. Frisonibus enim, sub iugum illos iri [1]) satagens, bellum anno insequenti inferens, praelio inito, ab illis occisus, et vitam et Regnum amisit.

Legniczensis Dux Boleslaus Henricum fratrem Ducem Wratislaviensem tertio ut temere ita infelicissime impetit et castrum Lubuczense a Regno Poloniae alienat.

Duabus expeditionibus contra Ducem Henricum Wratislaviensem germanum, suumque Ducatum, superioribus annis indictis, Boleslaus Calvus Legniczensis Dux tertiam adiecit, et aestate anni huius stipendio conductis militibus, tertio et Ducatum Wratislaviensem vastavit et civitatem obsedit, pluribusque conatibus ad eius oppugnationem curam et cogitationem impendit. Sed tam militum Ducis Henrici, quam civium forti resistentia, tertio repulsus dum in Legnicz fremens rediret [2]), singula igne vastavit. A militibus autem Teuthonicis, quos conduxerat, pro mercede promissa vexatus, omnibus equis, armis, fortunis et clenodiis se exuit, et mercenariis militibus semiplene stipendium persolvit. Propter quod et in suo Legniczensi et Wratislaviensi Ducatibus plura fuerunt nova loca per praedones et eos, quibus solutio facta non fuerat, incastellata. Multis autem Boleslaus Legniczensis Dux pressus incommodis, castrum suum Lubuczense [3]) Iohanni et Ottoni Marchionibus Brandeburgensibus in levi pecuniarum quantitate (ea etiam spe illectus, quod Brandeburgenses Marchiones illum suis gentibus contra fratres Henricum et Cunradum adiuvare se astrinxerant) obligat. Ab eoque tempore castrum et districtus ipse a Polonorum Regno iniuste alienatus, ad Marchionatum Brandeburgensem transiit. Verum dum nec sic longo bello rebus suis, debitis et aere alieno involutus, providisset, a propriis militibus desertus et contemptus, a mercenariis vero, quos [4]) non exsolverat, caeterisque praedonibus castra nova occupantibus, adeo exinanitus et in egestatem pene extremam detrusus est, quod frequentius pedibus, quam equo vectus, omnibus destitutus familiaribus, uno tantummodo Surriano figellatore miserrime associa-

[1]) cogi *Cod. Rozr.* [2]) rediit et *Ed. Lips.* [3]) Lubecense *Ed. Lips.* [4]) quibus *Cod. Rozr.*

tus et stipe aliena nutritus, passim vagaretur. Ab Henrici quoque fratris sui militibus captus et in vincula apud Wratislaviense castrum coniectus, iubente Henrico fratre, et calamitatem ignominiamque fraternam, non secus quam propriam, piis abhorrente praecordiis, dimissus, in Legnicz se recepit et contra fratres suos Henricum et Cunradum machinari non destitit. Et pro excutienda egestate, qua tenebatur, oppida Zithaviam et Gerliczam in sua sorte consistentia, in summis gravibus, baronibus et subditis suis tradidit et inscripsit, Ducatumque suum truncatione decerpsit [1]) enormi. Quae omnia beata Hedvigis avia sua, dum viveret, nonnullis timoratis personis praedixerat, Ducatibus Slesiae et fratribus per Boleslaum Legniczensem Ducem fore inferenda.

Fridericus Imperator moritur. Is cancellarium suum ex coniuratione falso accusatum caecavit.

Fridericus quartus Romanorum Imperator, ab Imperio et Siciliae Regno per Innocentium quartum sententialiter depositus, ex Italia, ubi plures clades et infortunia pertulerat [2]), Napuliam [3]) veniens, gravi aegritudine apud Feremsolem pressus, sine poenitentia et in anathematis vinculo moritur. Quem fertur Manfredus filius eius naturalis (Regnum Siciliae et thesauros paternos ambiens) uno secretario Imperatoris conscio, ne ex infirmitate, qua detinebatur, convalesceret, cussino super faciem eius posito, suffocasse. Qui etiam Manfredus, morte Friderici secuta, dominium Regni Siciliae [4]) usurpare et occupare coepit, a quo illum Cunradus Rex, filius legitimus Friderici de filia Iohannis Regis Hierosolymitani susceptus, et quem Siciliae barones singulari prosequebantur favore, deiecit. Hic Fridericus Petrum de Vineis cancellarium suum et omnium rerum suarum fidelem et solertissimum curatorem, viginti notabilibus curiensibus, coniuratione contra illum ex livore facta, Imperatori Friderico illum de certis et enormibus criminibus pari relatione, unoque tenore separatim accusantibus, fidem praestans, utroque lumine excaecavit; accusatione tandem discussa, cum illum innocentem comperisset, vehementer doluit. Petrus vero de Vineis privationem luminum impatientius ferens, caput ad petram allidens, miserabiliter expiravit. Qui post caecationem [5]) Imperatori reconciliatus in dolo consuluit, ut ad rescindendam egestatem, qua laborabat extreme, omnium clenodiorum in Imperio et Regno Siciliae consistentium ecclesiarum acciperet medietatem: qui cum id consilium fuisset

[1]) discerpsit *Cod. Rozr.* [2]) pertulerat *deest in Cod. Aut.* [3]) in Neapuliam *Ed. Lips.* [4]) Siciliae *deest in Cod. Aut.* [5]) caecitatem *Ed. Lips.*

executus, exprobravit illi in faciem Petrus de Vineis, quod non sincere sed livorose et vafre illud sibi praestitisset consilium, praecipitaturus illum ad Dei indignationem et furorem, et supplicium suae caecationis de eo sumpturus.

ANNUS DOMINI 1251.

Przemislaus Posnaniensis Dux castrum Rudam, quod nunc Welun dicitur, recuperat.

Opoliensis Dux Wladislaus, glotem suam germanam Ducissam Iuditham, relictam olim fratris sui Myeczslai [1]) Rathiboriensis Ducis et filiam Cunradi Masoviae Ducis, orbam et sterilem, pro quingentis marcis argenti, quas in Rathiboriensem Ducatum pro dote a Cunrado Masoviae Duce patre suo intulerat, soluturus, quatenus villas et possessiones in Rathiboriensi Ducatu, occasione dotis et dotalitii eidem Iudithae Ducissae inscriptas, ab obligatione et eiusdem Ducissae tenuta absolveret, terram Rudensem, a principali castro et civitate Ruda denominatam (quae nunc Weluniensis [2]), ad amoenos, irriguos et perennes fontes in basso et foecundo solo translocata, cum Ruda in editiori loco consistens sterilis et inaquosa esset, appellatur) quam Kazimirus Dux Opoliensis, tempore [3]) quo Przemislaus et Boleslaus filii Wladislai Ottonis ab Henrico cum barba Slesiae Duce de terris Maioris Poloniae pulsi erant [4]), de conniventia [5]) eiusdem Ducis Henrici cum barba occupaverat [6]), intelligens sibi possessionem eius fieri non posse diuturnam, praefatae Ducissae Iudithae gloti suae (fratre Ducissae relictae Myeczslai [7]), Kazimiro Cuyaviensi et Lanciciensi Duce rem gratificante) tradere disponit in dotis suae possessionem. Cum autem dies, de quo inter Wladislaum Opoliensem et Kazimirum Cuyaviensem et Lanciciensem, fratrem relictae Myeczslai Rathiboriensis [8]), convenerat, advenisset, Przemislaus Posnaniensis et Calissiensis Dux de his certior per amicorum avisamenta factus, ne notabilis portio haereditatis suae ex contractu huiusmodi ampliorem alienationem contraheret, cum expedita militum manu versus Rudam castrum advenit, et tardantibus nuntiis et gentibus Ducis Cuyaviensis et Lanciciensis Kazimiri ad possesionem illius apprehendendam tempestive venire, Przemislaus Posnaniensis et Calissiensis Dux castrum Rudense vacuum reperiens (gentes enim Ducis Opoliensis Wladislai iam de illo discesserant, solo tenutario cum paucis, ad tra-

---

[1]) Myeczszlavi *Cod. Aut.* [2]) Wielunensis *Ed. Lips.* [3]) tempore exilii *Cod. Rozr.* [4]) cum patre pulsi *Cod. Rozr.* [5]) convenientia *Cod. Rozr.* [6]) occupaverant *Cod. Aut.* [7]) Myeczszlavi *Cod. Aut.* [8]) Mieczslai Duces *Ed. Lips.*

dendum illud Kazimiro Cuyaviensi et Lanciciensi Duci, relicto) in possessionem illius intravit, et in obedientiam ac subiectionem eius singulis militibus terrae Rudensis sponte ruentibus, terram Rudensem extunc pacifice, velut sortem sui patrimonii legitimam, possidere coepit. Quo cognito, gentes Kazimiri Cuyaviensis et Lanciciensis Ducis, qui tardiuscule pro castro Rudensi possidendo advenerant, abierunt retrorsum concito cursu, veriti, ne Przemislaus Posnaniensis et Calissiensis Dux illos invaderet. Dux etiam Wladislaus Opoliensis ademptum sibi Rudensem Ducatum aequo animo tulit, nec illum iure aut iniuria a Przemislao (sciens se illum violenter et praeter aequitatem possedisse) repetiit. Gloti autem suae Ducissae Iudithae Myeczslai [1]) relictae, dotis summam argento parato Henrico Wratislaviensi Duci, qui illam in consortem acceperat et filium Henricum, filiamque Hedvigim ex ea susceperat, exsolvit. Sed et cum Przemislao Posnaniensi et Calissiensi Duce affinitatem iunxit, et sororem eius Eufemiam accepit in consortem, nuptiis cum magna subditorum hilaritate in Posnania celebratis.

Iterum nuntii cum testium depositionibus super miraculis pro canonisatione Sancti Stanislai Romam mittuntur.

Miraculis beatissimi Stanislai Cracoviensis episcopi et martyris per commissarios apostolicos, Gnesnensem videlicet archiepiscopum, Wratislaviensem episcopum et abbatem de Lubens, cum magna et exacta gravitate examinatis et in publicum scriptum redactis, priores huius negotii nuntii, videlicet Magister Iacobus de Skarzeszow [2]) Decretorum Doctor, decanus, et Magister Gerardus canonicus Cracoviensis, canonisationem beati viri apud Innocentium quartum Papam sollicitaturi, ad Curiam Romanam per Prandotham episcopum et Capitulum Cracoviense sumptibus datis provisi, altera vice transmittuntur: et ut res ipsa facilius transigi et obtineri posset, nuntiis praefatis nonnulli fratres Praedicatores et Minores de monasteriis et domibus Cracoviensibus, in literis divinis eruditi et zelum Dei habentes, adiuncti sunt.

Sal in rure Bochnya invenitur.

In villagio et rure Bochnya, quinque a Cracovia milliaribus distante, sal durum et compactum, quod extrahitur in peciebus grossis, in plerisque locis adeo candidum, ut cristallini [3]) speciem visentibus praebeat, cuius et

[1]) Myeczszlavi *Cod. Aut.* [2]) Skarzeszewo *Cod. Rosr.* [3]) cristalli *Cod. Rosr.*

hactenus habetur uberrimus usus, repertum est, et oppidum locatum, ecclesia quoque parochialis in honorem Sancti Nicolai confessoris erecta et a Boleslao Pudico liberaliter dotata est. Quae quidem salis repertio, beatae feminae Kunegundis Ducissae, Boleslai Pudici Cracoviensis consortis, meritis, iam tunc fulgentis virtutum iubare, ascripta est.

A Boleslao Calvo subditi ad fratrem illius Cunradum deficiunt.

Boleslaus Calvus Legniczensis Dux, filius Henrici a Thartaris occisi, bellum sibi a Cunrado fratre germano, ob non praestitam contingentem eum portionem [1]), ratus quandoque imminere, Hinkonem filium Mirzonis castellani Krosnensis, quamvis sibi inter paucos charum [2]), spe exigendae pecuniae, in Almanos et forenses [3]), cum quibus omnia sua agenda communicare consueverat, distribuendae, qua parentem suum Mirzonem abundare speraverat, capit et captum Almanis, quibus pecuniam debebat, pecunia mulctandum tradit. Qua re adeo omnium Poloniae baronum in suo Legniczensi Ducatu animi ab eo alienati et sibi infensi facti [4]) sunt, ut castrum Krosnam et oppidum, caeterasque, quae in eorum potestate erant, munitiones Cunrado fratri et adversario suo traderent, et in illius se conferrent, Boleslao Calvo deserto (tyrannidem suam in dies amplius grassantem perosi) ditionem.

Viola genere et natione Bulgara, Ducissa de Opol, moritur.

Castrum Sbanszin a latronibus occupatum Przemislaus Dux Posnaniensis subito recuperat.

Spoliaturi fines Polonorum quidam ex castro Lubusch latrunculi, in campestria castri Sbanszin [5]) perveniunt, et gregem pecorum haud mediocrem nacti, etiam pastorem, ne facinus fugiens denuntiaret, simul cum pecore apprehendunt. At ille tam se quam pecus a se custoditum in libertatem vindicaturus: Si huc, inquit, praedatum venistis, ampla potest vobis praeda, si pecus meum inviolatum fuerit, meo iudicio contingere. Laetis illis et incolumitatem tam sibi quam pecori pollicentibus, castrum, ait, Sbanszin, gentibus ad illius excubias pro sua vice (per vices enim custodiri solitum) tarde venientibus, a tribus tantummodo et his pavidis et inertibus, custoditur; illo si quid audaciae vobis est, facile fungi [6]) poteritis. Qui capta praeda omissa,

---

[1]) comportionem *Cod. Rozr.* [2]) eorum *Ed. Lips.* [3]) externos *Cod. Rozr.* [4]) facti deest in *Cod. Aut.* [5]) Dzbąszin *Cod. Aut.* Zbąschin *Ed. Lips.* [6]) potiri *Cod. Rozr.*

e vestigio ad castrum perveniunt, et pro custodia castri se venisse, quemadmodum a pastore docti fuerant, mentiti, ad castrum cum favore intromissi, castrum occupant et eos, quos illic [1]) reperierant, vinciunt. Cuius facti noctu novitas cum ad Przemislaum Posnaniensem et Calissiensem Ducem, altero ex quo contigerat die, festinantissime delata fuisset, nihil rei atrocitate, quae alium pavore perculisset, motus [2]), festinus et ipse cum pauca suorum curiensium tantummodo [3]) manu, tam nobilibus quam agrestibus se celerrime sequi iussis, ad Sbanszin pervenit et speciem obsidionis occupatoribus monstravit. Qua illi exterriti, cum et castrum victualium inops esset, et nemo obsessis opem laturus speraretur, vita tantummodo a Principe impetrata, castrum dedunt. Prius quoque deditio ipsa facta est, quam illum milites veram obsidionem effecturi, consequerentur. Sed et gratiae illi a latrunculis ingentes actae sunt, quod illis vitam scelere eorum demeritam sua propitatione donaverit.

Cruciferorum cladem pii Principes in Prussia ulciscuntur.

In maxima egestate et pene desperatione Cruciferis, ex clade apud Nactagam regionem suscepta, constitutis, Marchio Brandeburgensis, item episcopus Mersburgensis, item Comes Henricus de Swarczburg, cum gentium armatarum solatiis [4]) adveniunt et Pruthenos superiori victoria exultantes, strage frequentius edita adeo atterunt, domantque, ut quinque Pruthenicae regiones armis subactae, etiam fidem Christi profiteri et idola relinquere coactae sunt, videlicet Pomezani [5]), Erminii, Pogezani, Barthini et Nactangini. Sub quo tempore quarto Magistro Prussiae Hermano de Zalcza obeunte, Frater Cunradus Lantgravius Thuringiae in Magistrum suffectus est.

Culmensis ecclesia de saeculari in regularem transfertur.

Henricus alias Heydenricus, qui et Albertus, olim Armacanus, tunc vero Culmensis episcopus, ecclesiae Chelmensis suae bonum regimen et residentiam canonicorum assiduam ordinaturus, cum esset frater ordinis Praedicatorum, ecclesiam praedictam Culmensem in die beatae Mariae Magdalenae de saeculari in regularem transfert, et canonicis, praelatisque saecularibus amotis et consentientibus, collegium canonicorum regularium in illa instituit, qui

---

[1]) ibi *Cod. Rozr.* [2]) territus *Cod. Rozr.* [3]) tantum *Cod. Rozr.* [4]) auxiliis *Cod. Rozr.* [5]) Pomerani *Ed. Lips.*

bona temporalia habentes in communi, etiam domicilium haberent unum et mensam communem.

ANNUS DOMINI 1252.

Cunradus per fratrem Boleslaum expulsus, ad Przemislaum Ducem Posnaniensem fugit: a quo in castro Bythom reponitur, ipsique sororem suam Salomeam iungit in matrimonium.

Secessione [1]) militarium et subditorum suorum Boleslaus Calvus Legniczensis Dux, quod se deserto, fratri et adversario suo Cunrado adhaeserant, Krosnamque et alias munitiones tradiderant, vehementer furore irritatus, non a desertoribus tantummodo suis, sed etiam a Cunrado fratre, poenas secessionis huiusmodi et contemptus exigere [2]), Cunradumque fratrem, nihil aliud quam sortem suam ab eo repetentem, primum captivare, deinde occidere (pacificus enim erat Princeps [3]) et tum ob mansuetudinem tum ob paupertatem iniuriae opportunus) destinat, carnificesque, quibus id munus delegat, prece et promisso [4]) subordinat. Cunradus autem Dux insidias sibi a fratre Boleslao Legniczensi [5]) comparatas declinaturus, ad Przemislaum Posnaniensem et Calissiensem Ducem (neque enim in altero germano Henrico Duce Wratislaviensi plus quam in Boleslao reponebat spei) divertit, petens sui misereri et se in patrimonii sui sortem eius [6]) brachio reponi. A quo non solum benigne exceptus [7]), sed etiam comiter et honeste habitus est, et bene de restitutione sua in portionem [8]) suam sperare iussus. Primum itaque Przemislaus Posnaniensis et Calissiensis Dux ad Boleslaum Calvum Legniczensem, et Henricum Wratislaviensem, Duces, nuntios mittit, qui rogarent, ut iustam germano eorum Cunrado ex paternis Principatibus sortem tribuerent, ipsumque de caetero in commune omnium ludibrium, exulem et stipe aliena victum quaeritantem, non sinerent. Henricus autem Wratislaviensis Dux, etsi de sorte Cunradum contingente nihil se habere respondit, obtulit tamen se apud Boleslaum Calvum Legniczensem Ducem, qui et suam et Cunradi portionem occupavit, enixius quo posset, de reddenda Cunrado portione intercessurum. Boleslaus vero Legniczensis Dux, cum huiusmodi Przemislai [9]) legationi asperum et iniquum dedisset responsum, asserens Cunradum fratrem suum, quod tonsura clericali et officio subdiaconatus relictis, episcopatu

---

[1]) Accessione *Cod. Calv.* [2]) exigere cogitat *Cod. Rozr.* [3]) Princeps Conradus *Cod. Rozr.* [4]) promissis *Cod. Rozr.* [5]) Legnicensi Duce *Ed. Lips.* [6]) suo *Cod. Rozr.* [7]) susceptus *Ed. Lips.* [8]) sortem et portionem *Cod. Rozr.* [9]) Przemislonis *Cod. Aut.*

etiam Bambergensi neglecto [1]), in saecularem militiam migraverit, indignum, cui sors paterna debeatur: Przemislaus Posnaniensis et Calissiensis Dux, tam de suo quam fratris sui Boleslai Gnesnensis Ducis dominio [2]), collecto pedestri et equestri exercitu, in Ducatum Legniczensem et terras a Boleslao Calvo possessas, habens secum Cunradum Ducem, venit et castrum Bythom supra flumen Odram prope Glogoviam construxit, illudque praesidio forti militum suorum imposito, fossatis quoque vallis et turribus muniens, Duci Cunrado tradidit, non prius a vexatione totius Ducatus Legniczensis, donec sibi aequa per fratrem Boleslaum reddatur portio, quieturus. Sub ipsius autem castri constructionis tempore, Boleslaus Calvus Legniczensis Dux incautius speculatum, quid Przemislai Ducis exercitus ageret, progressus, a militibus Przemislai [3]) excubias agentibus captus et Duci Przemislao praesentatus, in vincula coniectus est, quae postea custodibus corruptis, evasit. Consummato autem castro Bythom, Przemislaus Dux incolumis Posnaniam reversus, sororem suam Salomeam Cunrado Duci praefato desponsat in uxorem et magnificas, Fulcone archiepiscopo Gnesnensi, Boguphalo Posnaniensi episcopo et baronibus terrarum suarum praesentibus, celebrat nuptias: ubi Thomam castellanum Posnaniensem, Thomislaum pincernam, filiumque eius Sandiwogium, accepta cautione, quod dolo quolibet circumscripto, sibi et fratri suo Duci Boleslao Gnesnensi sinceros fidelesque se praestabunt, a captivitate absolvit. In die autem beati Stephani protomartyris anni eiusdem, praefatus Przemislaus Dux generum suum Cunradum in Posnaniensi ecclesia, Boguphalo episcopo agente divina, baltheo insignivit militari, et plura illi in clenodiis aureis et deauratis contulit decora.

Alia commissio data nuntiis Regni Poloniae super examine testium in facto canonisationis Sancti Stanislai.

Nuntii Cracoviensis ecclesiae, videlicet Magister Iacobus de Skarzeszow decanus, et Magister Gerardus canonicus, Cracovienses, ad procurandam canonisationem beati Stanislai Cracoviensis episcopi in Lugdunum (illic enim Innocentius quartus tenebat sedem) missi, etsi grandia miracula stupendaque opera viri Dei Stanislai coram Papa Innocentio et in consistorio publico, organis propriis diserte et splendide enuntiassent, examen insuper testium per commissarios apostolicos factum et in scriptis redactum ostendissent, cura quoque et sollicitudine ingenti, et Iohannem Gayethani [4]) tituli Sancti Nicolai

[1]) relicto *Cod. Roxr.* [2]) dominio *deest in Cod. Aut.* [3]) Przemislonis *Cod. Aut.* [4]) Gaietanum *Ed. Lips.*

in Carcere Tulliano diaconum Cardinalem, ad videndum examen testium deputatum, et Innocentium Papam de consummando canonisationis munere vexarent, pluribus tamen [1] Cardinalibus propter vetustatem et longinquitatem temporis de veritate miraculorum haesitantibus, maiora quoque sanctitatis beati Stanislai experimenta poscentibus, nuntii negotio infecto, Poloniam [2] redire ab Innocentio iussi, nova mandata commissariis apostolicis afferunt: quibus mandabatur, ut scrupulosius vitam, genus, martyrium et meritum beati Stanislai, eius quoque miracula, et ab his, quos iam examinaverant, et ab aliis investigarent, et per nova scripta Sedem Apostolicam certiorem facerent [3]. Non intulit huiuscemodi dilatio viro excellenti et optimo Prandothae Cracoviensi episcopo, quae alium desperare coegisset, fastidium, sed plenus fervore et zelo, et priores [4] testes et plures alios novos, Gedkam [5] tamen praecipue militem centenarium, apud [6] commissarios apostolicos induxit, et altiori indagine [7] illos examinari, dictaque illorum in scriptum redigi procuravit, et dimidium fere anni in conficiendo huiusmodi examinationis negotio, singula per se curans et adiens, absumpsit. Discedit etiam Innocentius Papa ex Lugduno, ubi annis novem fuerat commoratus, et in Italiam veniens, apud Perusium consedit, et beatum Petrum novum martyrem ab haereticis in Lombardia occisum, illic canonisavit, et ad intrandum Regnum Napuliae [8] contra Manfredum [9] eius occupatorem magnum exercitum comparabat.

Swantopelkus clade suorum accepta, cum Cruciferis perpetuam firmat pacem.

Fratribus Cruciferis terram Pomeraniae vastantibus, dum illis Pomeranorum exercitus suas depopulationes prohibiturus, occurrisset, praelio conserto victus ab illis est, et monasterium Oliwa gravibus spoliis affectum; cogebaturque Dux Pomeraniae Swantopelkus per pacis sufferentiam bellum suspendere. Expost [10] vero idem Swantopelkus videns se et aetate et bellis attritum fore, per medium Iacobi Leodiensis archidiaconi apostolici Nuntii, pacem perpetuam cum Cruciferis de Prussia firmavit.

---

[1] tamen *deest in Cod. Aut.* [2] in Poloniam *Cod. Rozr.* [3] redderent. *Ed. Lips.* [4] proprios *Cod. Rozr.* [5] Gethkam *Cod. Aut.* [6] ad *Cod. Rozr.* [7] indagatione *Cod. Rozr.* [8] Neapolitanum *Cod. Rozr.* [9] Naufredum *Cod. Rozr.* [10] Postea *Cod. Rozr.*

Castrum Drdzen a Pomeranis occupatum, Przemislaus recuperat.

Slesiano bello, Barwin Dux inferioris Pomeraniae, cognoscens Przemislaum Posnaniensem et Calissiensem Ducem occupatum, castrum Drdzen, quod in sorte Przemislai tenebatur, invadit, et sopitis nocte vigilibus, comprehendit. Sed Przemislaus rebus Slesiae ordinatis et compositis, post unius mensis spatium cum exercitu forti adveniens, illud oppugnat et favore divino conquirit, milites quoque pro eius defensione et custodia relictos, rebus omnibus quae habebant, in praedam militibus suis datis, captivat.

Bela Rex Hungariae Moraviam, Austriam et Styriam vastat. Ducum Oppaviensium et Rathiboriensium ex concubina origo.

Hungariae Rex Bela, valido ex Hungaris et Cumanis (qui genus a Thartaris ducunt, quique Thartaris in regiones suas ex Hungaria abeuntibus in Pannoniis consederant) collecto exercitu, Moraviam, Austriam et Styriam, sui illas asserens iuris esse, vastat. Et multa strage in populo edita, etiam maximam multitudinem utriusque sexus hominum ex terris praedictis in perpetuam abducit servitutem, Bohemiae Rege Wenceslao Moravis non ferente opem. Cuius filius Premislaus Margaretham filiam Leupoldi Ducis Austriae, relictam Henrici filii [1]) Friderici Imperatoris, ducit uxorem: quae cum sterilis esset, unam de virginibus eius sequacibus, filiam baronis de Kunring, nomine...... [2]) accipit in concubinam. Ex qua filium generans, nomen illi Nicolaus imposuit, et illi Oppaviensem [3]) Ducatum (quem Myeczslao [4]) Rathiboriensi Duce mortuo, violenter occupavit) dat in sortem: ex quo Oppavienses [5]) et Rathiborienses moderni Duces traxerunt suum ortum.

Lithuaniae Dux Mendog, Christianum se simulans, in Regem coronatur.

Mendog Lithuaniae Dux consilio Fratrum ordinis Cruciferorum Domus Teutonicae inductus, et qui praefatis Fratribus Cruciferis de Prussia aliquot terras Lithuanicas donatione perpetua inscripserat, fidem simulate recipit christianam, et nuntios ad Innocentium Papam quartum mittit, nuntiis Ma-

---

[1]) filius *Cod. Aut.* [2]) *Nomen deest in omnibus Codd.*; *ast constat illam* Agnethem *nominatam fuisse.* [3]) Opaliensem *Ed. Lips.* [4]) Meszlao *Cod. Aut.* [5]) Opalienses *Ed. Lips.*

gistri et Cruciferorum de Prussia adiunctis, petens coronam et profitens se catholicam accepisse puritatem. In cuius favorem Papa Innocentius fratrem Heydenricum [1]) quondam provincialem Poloniae et officialem Armacanum, tunc vero episcopum Culmensem mittit in Lithuaniam. Qui veniens cum aliis episcopis de Riga, Mendogonem in Regem consecraverat [2]).

ANNUS DOMINI 1253.

Missi nuntii pro canonisatione Sancti Stanislai denuo, cum res esset bene digesta; et dum Cardinalis Regnaldus resisteret, miraculose aeger factus, demum sanatus mox consentit in canonisationem.

Secundario examine super vita, causa et ordine martyrii, et magnificis ac famosis miraculis, aliisque omnibus, quae ad consummationem canonisationis viri beati Stanislai Cracoviensis episcopi conducere videbantur, rite et iuste expeditis, priores nuntii, Magister Iacobus de Skarzeszow decanus et Magister Gostwinus [3]) canonicus [4]), per Prandotham episcopum et Capitulum Cracoviense, ad Summum Pontificem Innocentium quartum iam ex Galliis egressum et in Italia consistentem, suis et totius cleri diocesis Cracoviensis (qui in id opus gratuito quoties requirebantur conferebant) sumptibus, qui negotio ipsi sufficerent, abunde provisi, tertio revertuntur. Qui cum Innocentium Papam in Perusio [5]) invenissent, novum illi de vita, martyrio et miraculis beati Stanislai suorum commissariorum exhibent examen, nova omnium praelatorum Polonicae ecclesiae offerunt [6]) scripta et testimonia, et pro illorum ampliori firmitate etiam testes vivos et praesentes viros insignes inducunt, in quos aut per merita beati Stanislai collata fuere miracula, aut qui eos, quibus conferebantur, viderant et noverant a pluribus languoribus illos detinentibus sanatos. Iam plures dies nuntii Cracoviensis ecclesiae in sollicitando negotio exegerant, et veluti omnibus difficultatibus et impedimentis functi, alacres laborum suorum fructum gloriosum propediem, de quo illos Iohannes Gayethanus Cardinalis commissarius certos faciebat, percepturi, degebant: cum subito, eodem Iohanne Gayethano Cardinali referente, audiunt, rem certam et claram, nullaque fuscam caligine (de quo Cardinalis ipse grandi commovebatur admiratione et indignatione) ad infectum et pene ad desperationem recidisse, Regnaldo [7]) episcopo Cardinali Ostiensi [8]), viro [9])

---

[1]) Henricum alias Heidenricum *Cod. Rozr.* [2]) consecraverunt. *Cod. Aut.* [3]) Gerhardus *Cod. Rozr.* [4]) canonicus, Cracovienses *Cod. Rozr.* [5]) Perusiis *Cod. Rozr.* [6]) afferunt *Cod. Rozr.* [7]) Reginaldo *Cod. Rozr.* [8]) Hostiensi *Ed. Lips.* [9]) vitae *Ed. Lips.*

magnae gravitatis et prudentiae, cui et nonnulli Cardinales, auctoritatem illius, non suum iudicium secuti, assentiebantur, canonisationi [1]) viri Dei Stanislai, propter diuturnitatem et moram temporis a die martyrii sui transfluxi, perseveranter obsistente et indignum atque incredibile iudicante, ut claritas tam illustris martyrii et tam insignis sanctitatis, si vera et non simulata existeret, tanto tempore Sedem Apostolicam et Ecclesiam universalem latuisset. Commissarium itaque suum Iohannem Gayethanum Cardinalem nuntiis Cracoviensis ecclesiae, quid facto opus esset, consultantibus, inspiratus ipse (licet, ut postea referre solebat, fortuito se loqui credens) respondit: Necessarium habet Sanctus vester Stanislaus, post tot quae eum egisse compertum est, unum finale, si canonisationem suam perfici velit, operari miraculum, ut discordes in unam et concordem impellat sententiam. Hi enim qui obsistunt, nonnisi novo signo (cum singula alia, quasi vetustate obsolevissent, in dubium revocent) ad consensum poterint induci. Quid agerent nuntii Cracoviensis ecclesiae et procuratores canonisationis viri Dei Stanislai? quo gradum verterent? quem patronum et suffragatorem sui negotii adirent? quid ad consummationem operis adderent? quo Summus Pontifex et Cardinales moveri in canonisationem possent? nesciebant. Restabat unum, ut deseri se a Christo et viro beato Stanislao pro illius Ecclesia et veritate passo, non posse, tenacissime confiderent: qui ideo gloriosi martyris sui Stanislai canonisationis gloriam indifficultari permisit, ut illam illustriorem novis prodigiis declaratam efficeret. Re itaque canonisationis viri Dei Stanislai languidata, et pene ab omni cura excidente et dilapsa [2]), Regnaldus Cardinalis episcopus Ostiensis praedictus, canonisationis viri Dei Stanislai praecipuus hostis et adversarius, cuius etiam sententiis et consiliis, propter notam hominis in utraque scientia solertiam et probitatem [3]), Papa Innocentius deferebat [4]), gravi adeo morbo correptus est, ut tam suo, quam physicorum iudicio propinquam sibi mortem imminere speraret. In qua cum dies aliquot laboraret, vigilanti illi et in camera privata existenti solitario, beatus Stanislaus in pontificali amictu cum magno splendore apparuit, et in grabato iacenti, de visioneque et ignotae personae et insoliti fulgoris stupenti, vir Dei Stanislaus ait: Agnoscisne me? Qui tremens ac stupens et verba vix formans: Non agnosco, respondit; quaeso tamen quis sis, qui cum tanta luce, clausis etiam ianuis, cubile meum intraveris, edicas? Cui ille: Ego sum, ait, Stanislaus Cracoviensis episcopus, pro nomine Iesu Christi, eiusque ecclesia et veritate glorioso martyrio a Boleslao Polonorum Rege damnatus: cui tu te adversarium, non recte de vita, martyrio et miraculis meis, propitia Divinitate

---

[1]) canonisationem *Ed. Lips.* [2]) elapsa *Ed. Lips.* [3]) providentiam, probitatemque *Cod. Rozr.* [4]) differebat *Cod. Rozr.*

a me patratis, sentiendo, constituisti. Ad quem Regnaldus Cardinalis spiritu resumpto: Ignosce, ait, mihi et ignorantiae meae, Praesul Sanctissime, et veniam praestare digneris meo errori, fortiorem promotorem canonisationis tuae, quam impeditorem pertuleras, habiturus. Cui vir Dei Stanislaus: Ut me, inquit, in conspectu Dei et Sanctorum, glorificationem et sanctificationem, martyrio quod excepi [1]), consecutum esse agnoscas [2]), a grabato et aegritudine, quibus detineris, valens et incolumis illico consurge. Caveque ne canonisationi meae de caetero adverseris, quam non in meam amplitudinem et gloriam tantummodo, qua ego iam plenissime in videndo Deum [3]) perfruor, sed in omnium fidelium salutem et profectum, divina decrevit consummare clementia. Cardinali Regnaldo omnia quae iubebantur expleturum se pollicente, visio disparuit. Qui accersitis servis [4]), sterni sibi equum, quo ad Palatium papale vehatur, imperat: qui etsi illum primum delirare credidissent, eo tamen sine adiutore [5]) et de lecto consurgente et equum conscendente, in magnam et ipsi extasim, de subita sui domini convalescentia, versi, illum usque [6]) papale Palatium iucundi comitantur. Innocentius denique Papa, Regnaldum Cardinalem venisse, et plene sanum, quem prope horam moriturum speraverat, intelligens, etiam adventanti [7]) occurrit, et quo modo ad bonam valetudinem tam subito redierit, sollicite inquirit. Cui Regnaldus Cardinalis: Beatissimus, inquit, martyr Dei Stanislaus Cracoviensis episcopus, cuius ego canonisationis apud Tuam Sanctitatem fui impeditor, hac eadem hora mihi cum claritate vix ferenda apparuit, et ignorantiae meae facinore benigne correpto, etiam mihi in evidentissimum suae Sanctitatis signum, sanitatem, qua me, ex homine paulo ante infirmo et ad mortem iudicato, pollere vides, restituit et beneficium pro iniuria rependit: interminatus etiam ultionem, si illius canonisationi obstitero. Scelere itaque ignorantiae meae apud Te recognito, et in viri beatissimi Stanislai canonisationem pronus eo, et pro canonisatione illius supplex ad pedes Tuos, ne diutius illam differras, procumbo. Intercessionem etiam suam prolapsu in terram testatus. Id miraculum dum in Perusinorum [8]) urbe grandi et celebri sermone vulgatum esset, et omnium mentes et pectora, Polonorum praecipue et nuntiorum atque procuratorum canonisationis viri Dei, gaudio immenso opplesset [9]), omnes virum Dei Stanislaum certatim canonisatione dignissimum depromebant. Sed et Papa Innocentius, coetus quoque Cardinalium, miraculi, quod in Regnaldo Cardinali acciderat, prodigio permoti, omnibus impedimentis quae interponebantur, circumscriptis et quasi quodam sole siccatis, virum Dei Stanislaum in

---

[1]) accepi *Cod. Roer.* [2]) cognoscas *Cod. Roer.* [3]) Deo *Cod. Roer.* [4]) servis suis *Cod. Roer.* [5]) adiutorio *Cod. Roer.* [6]) usque ad *Cod. Roer.* [7]) advenienti *Cod. Roer.* [8]) Perusiorum *Cod. Roer.* [9]) replevisset *Cod. Roer.*

sua sanctitate gloriosum et magnificum, canonisandum decernunt, et diem Nativitatis Beatae Mariae Virginis, quae tempori quo ea agebantur vicinior erat, in Assisio (illuc enim Innocentius Papa versus Napuliam exercitum deducens venturus erat) constituunt. Ita verbum Iohannis Gayethani Cardinalis ad nuntios Cracoviensis ecclesiae fortuito prolatum, in effectum prodiit. Verificari autem et defendi ea res potest, si quis illam fabulosam aut commentitiam putet, per literam originalem [1]), per praefatum Iohannem Gayethanum Cardinalem Prandothae episcopo et Capitulo Cracoviensi in pargameno scriptam [2]), per nos frequentius visam et contrectatam [3]), in scriniis ecclesiae Cracoviensis repositam [4]), cuius [5]) tale est exemplar:

„Venerabili in Christo patri et amico charissimo episcopo Cracoviensi, „et eiusdem ecclesiae Capitulo, frater Iohannes miseratione divina tituli „Sancti Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis, Salutem, et Polonorum „Regem glorioso laudum venerari praeconio, qui finitimum gregem ovilis do-„minici de insigni decoravit martyre Stanislao. O iucundum divinae pietatis „indicium, quod Boleslaus vincendo vincitur, dum ex eius crudeli ministerio „protomartyr Polonis egregius mirifice ministratur. Gratuletur Cracovia [6]) se „tantis prodigiorum feliciter illustratam splendoribus, et ita coruscantibus „insignitam undique miraculis, quorum multitudinis sufficiens est acervus. „Laetetur ecclesia cathedralis [7]), cui iustus titulus et bona fides glebam „Sancti pretiosam totaliter appropriavit cum praescriptione longi temporis: „ex cuius felici praesentia non solum accrescit loco sanctitas, sed [8]) ex cre-„bra populi confluentia [9]), famae foecunditas et honoris. Gaudete vos et exul-„tate specialiter, qui quadriennio iam elapso pro tanti patris canonisatione „totis viribus laborastis, ut asscriberetur Sanctorum catalogo: constituentes [10]) „procuratorem ad hoc ecclesiae vestrae praepositum, virum oculatae discre-„tionis et omni circumscriptione providum, qui constanter laboravit, et fide-„liter in Curia prosequens negotium, nisu toto, sed quot afflictionibus et an-„gustiis affectus exstiterit, in ipsa prosecutione cum collega sibi deputato, „non est nobis facultas praesentibus exprimere, quoniam lingua deficeret, „nec sufficeret calamus, nec Algorius [11]) inventor Algorismi [12]), cum suis ra-„dicum extractionibus adversitates, quas passi sunt, posset efficaciter exarare. „Nam si liceret, obviantium negotio per acutos [13]) obices et dentatas obiec-„tiones seriatim [14]) per ordinem, prout se habet veritas, distinguendo, descri-„bere, vix haberetur numerus in millenario: tantas difficultates audientium,

[1]) per literas originales *Cod. Rozr.* [2]) scriptas *Cod. Rozr.* [3]) visas et tractatas *Cod. Rozr.* [4]) repositas *Cod. Rozr.* [5]) quarum *Cod. Rozr.* [6]) Ecclesia *Cod. Rozr.* [7]) cathedralis Cracoviensis *Cod. Rozr.* [8]) sed etiam *Cod. Rozr.* [9]) frequentia et confluentia *Ed. Lips.* [10]) consistentes *Ed. Lips.* [11]) Aelgorithmus *Ed. Lips.* [12]) Algorithmi *Cod. Rozr.* [13]) aculeos *Ed. Lips.* [14]) seminatim et *Cod. Rozr.*

„qui pro monstruosis rerum perplexitatibus, vellet fiduciam narratibus [1]) ad-„hibere. Frequenter enim contigit, quod consummatum, vel quasi coniecturis „probabilibus aestimabatur negotium, et tunc ex abrupto [2]) invenit tempestas „impeditiva processus habiti, quae de facto consumpsit, quod ratio praedi-„xerat consummatum. Sic Saturni motus experti sunt per effectum, qui Pla-„neta dicitur malivolus, procedens et recedens ordine retrogrado. Et sic lon-„ganimiter exercuerunt Curiae studium [3]), quod multum [4]) profecti sunt, et „parum profecerunt infra terminum, non habente bravium cursu suo. Tan-„dem vero cum rediisset frater Iacobus Legatus fidelis, et negotii firma sa-„nitas, vix obtenta fuit ad referendum particularis audientia: quamvis ipse „vidisset curatos et examinasset inquisitores primarios, qui processerant in „omnibus fide bona. Nos vero finaliter stupefacti de tanta congerie probatio-„num non admissa, praeposito procuratori diximus quasi parabolice: Neces-„sarium habet Sanctus vester unum finaliter operari miraculum, quod dis-„cordantes in miraculis mirabiliter faciat concordare. Et factum est ita, quod „ubi pestis gravior, ibi salus est suborta propinquior, et subito prius dis-„cordes conversi sunt unanimiter ad concorditatem concordiae, decernentes „uniformiter talem virum canonisatione [5]) dignissimum, et per ea quae fecit „miracula, quorum extat luculenta probatio, veraciter esse Sanctum. Sane „praefatum procuratorem et collegam ipsius, pro sua multiplici diligentia, „vestrae dilectioni recommendamus multipliciter [6]). Nam nostra interest, quod „honorentur qui nobis astiterunt in agone certaminis, et quod tractentur per „vos tanquam bene meriti, saltem pro nostro nomine reverentur. Quicquid „enim honoris, favoris vel gratiae dilectis amicis nostris, tum pro sua pro-„bitate, tum pro nostro precamine, per vos exhibitum fuerit, nobis impen-„sum esse generaliter aestimabimus, et ad Ecclesiae vestrae defensionem et „conservationem in suis iuribus, nostram vobis exilem potentiam, ad diligen-„tem ipsorum instantiam, liberaliter praesentamus. Valete in Domino Iesu „Christo."

Canonisatur Sanctus Stanislaus in ecclesia Assisiensi: et in ea canonisatione mortuus resuscitatus est.

Natali Dominae nostrae excellentissimae Virginis Mariae adveniente die, Summus Pontifex Innocentius cum collegio Cardinalium et multitudine prae-

[1]) narrantibus *Ed. Lips.* [2]) ex obrupto *Cod. Aut.* [3]) stadium *Cod. Rozr.* [4]) multi *Ed. Lips.* [5]) canonisationis munere *Cod. Rozr.* [6]) diligenter. *Cod. Rozr.*

latorum in [1]) Basilicam Sancti Francisci in Assisio, in qua suum et suorum sociorum corpora recondita sunt, ex Palatio, canonisationem beati viri Stanislai Cracoviensis episcopi expleturus, descendit, illamque multitudine plebis, quae, futura viri Dei canonisatione vulgata, pene ex omni Italia confluxerat, refertam reperit. Quo in ecclesia praefata Missarum agente solenniter divina, etiam pietas Agni coelestis ipsi Summo Pontifici Innocentio, quanti meriti Sanctus canonisandus apud se esset, innotuit [2]). Adolescens enim quidam ex Assisio, in ipso articulo canonisationis praefatae defunctus, ad ecclesiam Sancti Francisci, parentibus, fratribus et necessariis magno eiulatu mortuum illum lugentibus, inferebatur aut tumulandus, aut meritis Sancti canonisandi vivificandus. Propinquis itaque et cognatis pro eius resuscitatione obsecrationes et voces assiduas emittentibus, Innocentius Papa ante altare, cui insistebat prostratus, fudit cum fiducia orationem suam in haec verba: O Pater et clementissime Domine! si ea, quae de viro beato Stanislao Cracoviensi pontifice [3]), martyre tuo, in nostro conspectu enarrata sunt, vera per omnia, quemadmodum humana habet credulitas, probantur, declara, quaeso, hodierna die novum Sanctum a me canonisandum novo signo. Vix Pontifex Summus orandi finem fecerat, et mortuus nuntiatur illi surrexisse. Tunc itaque mirum in modum, omnibus et stupentibus et gaudentibus, ardentesque cereos et luminaria accensa, ut ecclesiam arsisse putares, gestantibus, Summus Pontifex Missarum solennia prosequitur. Quibus expletis, sermone in longum de vita, martyrio et miraculis beati Stanislai recitato, ambone conscenso [4]), virum beatissimum Stanislaum martyrem et gloriosum Cracoviensium pontificem canonisat et Sanctorum catalogo ascribit: mandans eius festum Octavo Idus Maii ab universa catholica Ecclesia inter praeclaras martyrum festivitates cum debita veneratione venerari. Praesentibus autem omnibus unum annum et dies quadraginta de Indulgentia [5]) largitus est, et orationem de Sancto Stanislao, tangens in ea ipsius sanctitatis merita, edidit et per se publice pronuntiavit, quae incipit: Populum tuum, quaesumus Domine, intercedente beato Stanislao etc. Fabricata insuper est et in Sancti Stanislai honorem, et in illius canonisationis memoriam, in latere Sancti Francisci ecclesiae in edito loco capella, a nobis aliquoties visa, in qua martyrium suum gloriosum desculptum est. Literae canonisationis [6]) tales et habentur et leguntur:

„Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus „patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, „decanis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum praelatis, ad quos

---

[1]) ad *Ed. Lips.* [2]) declaravit. *Cod. Rozr.* [3]) episcopo *Cod. Rozr.* [4]) ambona conscensa *Cod. Rozr.* [5]) indulgentiis *Cod. Rozr.* [6]) Literae canonisationis Sancti Stanislai Episcopi Cracoviensis *Cod. Rozr.*

„literae istae pervenerint, Salutem et apostolicam benedictionem. Olim a gen„tilium oculis tenebrarum detersa caligine, et ab eorum cordibus infidelitatis „gelidae [1]) hieme secedente, vernalis ex eo successit amoenitas, redolentium „florum venustate decora: quod Ecclesiae prius desertae ac sterili, filii de„votione praecipui, valloque constantiae praemuniti nascuntur, qui ut flores „primaevi, et diffusam spirant suavitatem odoris, et uberioris, per Dei gra„tiam, fructum sibi proferunt honestatis. Sicque filiorum sibi multitudine „proveniente innumera, suique loco a mari usque ad mare tentorii dilata„tio [2]) infra ipsius invaluit terminos, vox turturis, gemitus ac doloris, dum „saeva mitescens tyrannorum crudelitas, idolis exterminio traditis, ad lamen„ta poenitentiae, suffragante illo, cuius stupenda sunt opera, mirifice se con„vertit. Gaudeat itaque ob hoc ipsa Ecclesia, quae probrosae detrimenta ste„rilitatis abiiciens, salubris incrementa fertilitatis suscepit, ac nuptiali foe„dere nunc illi gratiosa coniungitur, a quo priusquam esset assumpta de „gentibus, invenerat se desertam. Laetetur igitur, aemulaeque suae de terre„stri eiectae Hierusalem, Synagogae videlicet, dudum sibi huiusmodi sterili„tatis incommoda impingenti, secura respondeat [3]), quod iam suae prolis foe„cunditate coelestis muri Hierusalem cicatrix obducitur, et quae antiqui ha„bitatores vacua domicilia reliquerunt, ipsa suae universitatis illustrabit prae„sentia, felici postmodum refectione sui atque integritate gaudente. Porro ne „huiusmodi exuberante laetitia, quispiam in valle miseriae, morientium ter„ra, requiem posset sibi polliceri continuam, cuius vita est adversus inimi„corum ingruentia bella, exterorum castra, militia super terram; ac ne prae„dicta Ecclesia, quae mater est cunctorum fidelium, maternae conditionis ex„pers existeret, si solitas, praesertim in partu quorundam filiorum suorum, „matrum parientium molestias non subiret, interdum instauratur quodammodo „sibi adversitas opportuna: sicut in passione piae memoriae beati Stanislai „Cracoviensis episcopi, cuius meritis praefata refulget Ecclesia, patuit eviden„ter. Cum enim idem in sortem pontificalis ministerii digne vocatus a Do„mino, super gregis sibi commissi [4]) prudenter custodiam vigilaret [5]), hostium „sagaciter exploravit insidias, malignantium anticipavit consilia; aemulique „nostri deprehendens laqueos, ipsius caute retiacula dissolvebat. Hic nempe „pro suis ovibus cor suum tradiderat ad vigilandum diluculo, ut si quem „gravi forte deprehenderet tempore concussum, mox ubere consolationis ad„hibito, eum erigeret desolatum: et quem in bono proficientem adverteret, „eum gratulationis ubere protinus confortaret, ut non minus per hoc defi„cientibus quam proficientibus subditis, se claris indiciis ostenderet esse mar-

[1]) gelida *Cod. Rozr.* [2]) dilatato *Cod. Rozr.* [3]) res pendeat *Cod. Rozr.* [4]) gregem sibi commissum *Ed. Lips.* [5]) prudenter custodiret *Cod. Rozr.*

„tyrem. Verum cum non sine internae mentis angustia, Regem Polonorum „nomine Boleslaum in tantum [1]) horrendis voluptatibus subiici, carnisque ne„fandis illecebris cerneret enervari, ut in passiones ignominiae traditus, et „in humanis contumeliis afficiens corpus suum, mulierum mamillis, avulsis „propriis exinde liberis, catullos apponeret miserabiliter educandos: ne exe„crandam fovere malitiam, et iniquitati eiusdem videretur praefatus pontifex „per dissimulationem favere, postquam ipsum a praemissis flagitiis sedula et „paterna correctione avocare non potuit, in ipsum consulte medicinalem Pe„tri gladium exercuit [2]) in spiritu lenitatis [3]), sperans, ut percussus dolens „ad percutientem se in humilitate rediret [4]) Dominum exercituum suppliciter „requirendo [5]). Sed ipse indurato corde medicinam exhorrens, et increpatio„nem abominans disciplinae, immo malleum velut stipulam reputans, non so„lum nulla poenitudine se [6]) correxit, verum etiam ad peiora, in suae dam„nationis cumulum, provocatus, iuxta aram, non ordini, non loco, nec tem„pori deferens, iussit pontificalibus indutum antistitem per suos satellites „diris corporis cruciatibus deputari. Sed ipsi, quoties in eum irruere tentant, „toties compuncti, toties mansuescunt prostrati. Et tunc idem Rex suae in„serviens impetuosus tyrannidi, manus in eum convertit sacrilegas, sponsum „e gremio sponsae, pastorem abstrahit ab ovili, patrem inter filiae amplexus, „et filium in visceribus pene obtruncavit maternis, faciens [7]) irritatus atro„citate ferali, ipsius, proh dolor! corpus inhumaniter in frusta concidi, ve„lut singulis membrorum partibus poenae inflictio deberetur. Sed ille, apud „quem patientia pauperum non peribit in finem, non solum rutilantibus hu„ius [8]) sanctissimi corporis partes splendoribus illustravit, verum etiam ipsum, „nullo in eo cicatricis apparente vestigio, integritati restituens, aquilarum „suarum praesidio miraculose a ferarum morsibus praeservavit. Gustato de„nique acerrimo ob zelum iustitiae calice passionis, cum ab eodem tyranno „totaliter putaretur consumptus, ecce ut lucifer oritur, et quasi meridianus „fulgor in firmamento consurgit: propter quod [9]) eius faciem in suis non„nulli necessitatibus devotissime deprecantur. Ipse quidem defossus securus „dormit, requiescit, et non est, qui iam ipsum exterreat. Nec mirum, quia „civitatem illam, honoris et gloriae corona insignitus, inhabitat, ubi est man„sio secura, populus sine murmure, ac patria totum id continens, quod de„lectat. Verum ne militans Ecclesia de tali ac tanto patrono sic atrociter „sibi subtracto inconsolabiliter quasi gemitus singultuosos emitteret, si bene„ficiorum ipsius affluentia eam non contingeret saepius delectabiliter irrigari:

---

[1]) intentum *Cod. Rozr.* [2]) exeruit *Cod. Rozr.* [3]) leuitatis *Ed. Lips.* [4]) converteret *Cod. Rozr.* [5]) requirendo percussit. *Cod. Rozr.* [6]) se ipsum *Cod. Rozr.* [7]) iubens *Cod. Rozr.* [8]) huiusmodi *Cod. Rozr.* [9]) Propterea *Ed. Lips.*

„ecce gloriosus in Sanctis suis Dominus, volens eiusdem Patris plenitudinem „gloriae indiciis exprimere manifestis, et praestolanti Ecclesiae grata confer- „re super hoc recreationis remedia, tot et tantis fecit ipsum famosis mira- „culis coruscare, de quibus facta nobis et fratribus nostris, prout debuit, per „testes idoneos plena fides exstitit, quod eius inter Sanctos caeteros implo- „rare subsidium [1]) reputavimus merito non indignum. Nam mortuis vita, lu- „men caecis, auditus surdis, verbum mutis, claudis gressus, epilepticis cere- „bri robur, et daemoniacis, immundis ab eis eiectis spiritibus, corporum re- „quies, ad eius invocationem nominis, coelesti dextra subito conferuntur. „Propter quod ne huiusmodi rutilantem lucernam sub modio periculose abs- „condi contingeret, quam idem Dominus tot mirficis signis recte disposuit „super Ecclesiae candelabrum honorifice collocari, praesertim cum ex hoc igno- „rantium Deum propellantur tenebrae, confundatur perversum haereticorum „dogma et fidelium beata credulitas augeatur: nostrorum [2]) fratrum, nec non „et praelatorum tunc apud Sedem Apostolicam existentium communicato con- „silio, praedictum Sanctum Stanislaum episcopum digne Sanctorum catalogo „duximus ascribendum. Quocirca universitati vestrae per apostolica scripta „districte praecipiendo mandamus, quatenus Octavo Idus Maii, die videlicet, „quo mortis absolutus vinculo, victurus perenniter ad fontem supernae pro- „diit voluptatis, festum eiusdem, prout miranda ipsius meritorum magnitudo „exigit, celebretis et faciatis solenniter celebrari: ut id vobis de thesauris „coelestibus eius pia intercessione proveniat, quod ipse, praestante Christo, „percepisse dinoscitur et possidere perpetuo gloriatur. Caeterum ut universi- „tati fidelium invisibilis aulae consequendi delicias, ex concessa nobis pote- „state desuper, propitiante Domino, sit facultas, quinimo et ut nomen Do- „mini exaltetur altissimi, si sponte suam venerabilem sepulturam fidelium „procuremus accessibus frequentari: omnibus vere poenitentibus et confessis, „qui ad dictam sepulturam in memorato festo et usque ad Octavas ipsius „causa devotionis accesserint annuatim, ipsius suffragia petituri, de Omnipo- „tentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius aucto- „ritate confisi, unum annum et quadraginta dies; accedentibus vero annis „singulis ad praedictam sepulturam infra eiusdem festi quindenam, quadra- „ginta dies, de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus. Datum „Assisii, Quindecimo Calendas Octobris, Pontificatus nostri Anno undecimo."

[1]) fiduciam et subsidium *Cod. Rozr.* [2]) eorundem *Cod. Rozr.*

Przemislaus Dux Posnaniensis fratrem e carcere solvit, ac novam cum eo haereditatis divisionem conficit.

Przemislaus Posnaniensis et Calissiensis Dux, a Fulcone Gnesnensi archiepiscopo frequenti castigatione argutus, ne germanum suum Boleslaum, quem quasi vitae et Principatus sui insidiatorem captivaverat, diutius detineret, ipsum in die festo Paschae a captivitate absolvit [1]). Et reconciliatione plena per Fulconem archiepiscopum celebrata, nova etiam divisio Principatuum inter illos, per medium eiusdem archiepiscopi Fulconis et baronum, communi conventu apud Gedcz [2]) castrum habito, confecta est, per quam Gnesna, Kalisch, terra Rudensis alias Welunensis, Pisdry, Srzoda, Bnyn, Byechow, Gedcz et Pobyedziska [3]) Boleslao Duci largitis, Posnaniensem civitatem et terram cum caeteris eius appendiis solus ipse Przemislaus Dux possedit: ab eoque tempore in unione et concordia fraterna, unus alteri deferens, uterque vixit.

Confirmatio monasterii in Stanyantky.

Innocentius Papa quartus monasterium sanctimonialium in Stanyantky [4]) ordinis Sancti Benedicti, in diocesi Cracoviensi situm, quod Clemens de Klimyanthow [5]) Comes, de domo et familia Griffonum, castellanus Cracoviensis, ex facultatibus propriis muro coctili condiderat, fundaverat et dotaverat, confirmat. Cuius quidem Clementis Comitis castellani et suae consortis Raczslawae corpora in sacristia dicti monasterii, specialibus distincta mauseolis, sepulta requiescunt.

Bogufalus Posnaniensis episcopus moritur: cui Petrus decanus succedens, vix confirmationem obtinuit.

Quinto Idus Februarii Bogufalus Posnaniensis episcopus, vir doctus et literarum amator, libris insignibus, quorum multitudine abundabat, ecclesiae suae [6]) Posnaniensi largitis, in praedio episcopatus sui Solyecz, cum annis decem et hebdomadis sex, diebus quindecim [7]) vixisset in pontificali sede,

---

[1]) solvit. *Cod. Rozr.* [2]) Giecz *Cod. Rozr.* [3]) Bobiedziska *Ed. Lips.* [4]) Stanyantky *deest in Cod. Aut.* [5]) Klimuntow *Cod. Rozr.* [6]) suae praefatae *Cod. Rozr.* [7]) novem decem *Cod. Rozr.*

moritur et in Posnaniensi ecclesia sepelitur, cuius chorum [1]), priori propter varias rimas deposito, novo et pulcherrimo [2]) muro a fundamentis, largiori scemate [3]) secundo sui pontificatus anno erexerat [4]). Post cuius mortem capitulares congregatione pro die dominica Oculi indicta, facto in Petrum praepositum, Petrum decanum, Gerardum scholasticum Posnanienses compromisso, praedictum Petrum decanum, genere nobilem de domo Prawditarum, et virum pium et religione ac devotione rarum, per viam compromissi eligunt in pastorem. Cuius electionem Fulco Gnesnensis archiepiscopus confirmare negavit; erat enim sibi ab Hugone Cardinali et Apostolicae Sedis per universam Germaniam et Poloniam Legato, episcoporum confirmatio interdicta. Capitulum vero Posnaniense, nuntiis ad Hugonem Cardinalem etiam altera vice, dum primi capti et spoliati essent, missis, licet et mandatum ad Gnesnensem archiepiscopum [5]) de confirmando suo electo, et literas, quibus prohibitionem suam de non confirmandis episcopis Polonicae ecclesiae revocabat, retulissent, in termino tamen ad confirmandam eorum electionem eis in Slawno per Fulconem archiepiscopum Gnesnensem praefixo, Theophilo de Cuszaszk [6]) archidiacono Gnesnensi et canonico Posnaniensi, et Iohanne archidiacono Posnaniensi, electioni suae, quoniam spreti et non vocati essent, se opponentibus, confirmatio ipsa fuit tunc intermissa. Opizo [7]) tamen abbas de Mezano [8]) Apostolicae Sedis altera vice in Polonia Nuntius, partes dissidentes ad se in Wratislaviam evocans, pacem et concordiam inter illos composuit et Petrum decanum Posnaniensem, cuius electionem etiam adversarii praefati, agente Opizone Apostolico Nuntio, probaverant, Fulconi archiepiscopo confirmandum et consecrandum transmisit. Qui confirmatione illi impensa, etiam ipsum et Vitum Polonum fratrem ordinis Praedicatorum pro Lithuanis in episcopum nominatum, apud villam Koszlow [9]) consecrat.

Petrus dictus brevis Ploczensis episcopus moritur, cui Andreas Czyolek succedit.

Posnaniensem episcopum Bogufalum secutus Petrus Ploczensis episcopus morte absumptus, Andream praepositum Ploczensem Czyolek cognominatum habuit successorem, cum annis quinque in pontificatu sedisset. Praefatus autem Andreas genere nobilis erat de domo Taurorum, a Fulcone Gnesnensi

---

[1]) cuius opera chorus *Cod. Rozr.* [2]) novus et pulcherrimus *Cod. Rozr.* [3]) stemmate *Cod. Rozr.* [4]) erectus est. *Cod. Rozr.* [5]) Gnesnensi archiepiscopo *Cod. Rozr.* [6]) Kuszaszask *Cod. Rozr.* Kuszak *Ed. Lips.* [7]) Opiszo *Cod. Aut.* Opiso *Ed. Lips.* [8]) Meszano *Cod. Aut.* Messano *Ed. Lips.* [9]) Kozłow *Cod. Rozr.*

archiepiscopo, Ducibus Masoviae Semovito et Kazimiro illius electionem approbantibus, apud Gnesnam confirmatus et consecratus [1]).

Bela Rex Hungariae Moraviam secundo vastat, atque Bohemis magnum metum iniicit.

Bela Pannoniorum Rex alteram in Moravos cum Hungaris et Cumanis agens expeditionem, universam Moraviam, fortioribus castris et civitatibus exceptis, incendiis, caedibus et spoliis, nullo resistentiam opponente, vastavit, et pluribus Sanctorum ossibus, campanis, ornamentis et aliis ecclesiarum decoribus ipsas spolians, in Hungariam, opima secum ferens spolia, rediit. Quo quidem novo vulgato, tantus Wenceslaum Bohemiae Regem et universos Bohemos Cumanorum crudelitatem perhorrentes, metus invasit, ut in singulis castris et civitatibus munitis duplicarentur custodiae, et Pragensis civitas novis muris, novisque reficeretur munitionibus, suburbanis [2]) etiam, ne hosti adiumento essent, demolitis et suburbiorum [3]) habitatoribus in civitatem Pragensem translatis, et tam castrum Pragense quam civitas, ad tolerandum angustias obsidionis, victualium copia certatim fulcirentur.

Boleslaus Pudicus Poloniae Dux in gratiam Belae Regis Moraviam populatur.

Boleslaus Pudicus Cracoviensis Dux et Polonorum Monarcha, Bela Hungariae Rege socero suo sollicitante et deprecante, cum potentiis gentium equestrium et pedestrium, habens in suo comitatu Danielem Ducem [4]) Russiae et solatia [5]) Ruthenica, Moraviam ingressus, ipsam populatur spoliis et incendiis. Et magna multitudo captivorum utriusque sexus ex Moravia et regione Oppaviensi, quae amplius vastabatur, in Poloniam et Russiam deducta est.

Reliquiae divi Stanislai Bohemorum Regi donantur.

Decimo Calendas Octobris Wenceslaus Bohemiae Rex cognominatus Monoculus (alterum enim oculum, cum esset venandi cupidus, feram agitando,

---

[1]) *Rem de morte Petri Plocensis episcopi repetit Cod. Aut. denuo sub anno 1254.*
[2]) suburbiis *Cod. Rozr.* [3]) eorum *Cod. Rozr.* [4]) Regem *Cod. Rozr.* [5]) auxilia *Cod. Rozr.*

a ramo arboris evulsum, perdiderat) apud Pragam moritur, cum annis quatuor et viginti, mensibus octo regnasset, et in monasterio Sancti Francisci, quod vivens fundaverat, sepelitur. Cui quamvis [1]) unicus filius Premisl [2]) successisset, non tamen se Bohemiae Regem, sed Ducem aliquanto tempore nominavit. Hic magni ardoris et devotionis in Sanctum Dei martyrem Stanislaum Cracoviensem episcopum existens, cum illius canonisationem audisset, missis ad Prandotham Cracoviensem episcopum nuntiis, eius reliquias nondum ex tumulo levatas sibi donari magna precatione obtinuit, et Pragam allatas, solenni omnium ecclesiarum et ordinum processione, solus illis ad lapidem septimum obviam eundo, cum magna reverentia excepit, ac in maiori Pragensi ecclesia locatas argento vestivit.

Magna inundatio in Polonia.

Annus hic apud Polonos insignis et beatissimi martyris Stanislai Cracoviensis episcopi, quae septuaginta quinque et centum annis [3]) neglecta erat, canonisatione, et duorum sub uno pene [4]) tempore, Posnaniensis videlicet et Ploczensis pontificum morte, et nunquam alias apud Polonos visa alluvione. Nocte siquidem et interdiu, a festo Paschae usque ad diem vicesimam quintam Iulii, coelo imbres et continuas effundente in Polonorum regionibus pluvias, tanta aquarum moles et inundatio erupit, ut in quibuslibet bassis et humilibus locis, aut amnibus proximis, frumenta cooperiret, et agri atque campi iuxta atque amnes navigabiles forent: quaerebantur editiora loca, quae frumenta collecta susciperent. Ea quoque inundatione et Lithuanorum infestatione Visznensis terra in solitudinem et desolationem redacta est.

ANNUS DOMINI 1254.

Post reditum nuntiorum ex Assisio cum literis canonisationis Sancti Stanislai, octava die Maii corpus exhumatur et ossa pro reliquiis in veneratione habentur.

Cracoviensis ecclesiae nuntiis, videlicet Magistro Iacobo de Skarzeszow Decano et Gostwino [5]) canonico Cracoviensibus, fratribus etiam Praedicatoribus et Minoribus ex Curia Romana redeuntibus et literas canonisationis beatissimi Stanislai secum ferentibus [6]), Cracoviensem urbem ingressuris omnis

[1]) etsi *Cod. Rozr.* [2]) Przemislaus *Cod. Rozr.* [3]) quae ab annis multis *Cod. Rozr.* [4]) fere *Cod. Rozr.* [5]) Guielhelmo *Ed. Lips.* [6]) afferentibus *Cod. Rozr.*

plebs obviam effusa est: Prandotha quoque Cracoviensis episcopus et universus clerus processionis [1]) omnium urbis Cracoviensis ecclesiarum honore illos excepit. Digni prorsus, quibus honor ille, velut athlethis et triumphatoribus et longa peregrinatione fessis, publicumque commodum referentibus, impenderetur: felicissimi certe, quibus labor ille et praemiorum fructus, in eorum dies et tempora servatus, obtigit. Ad levandum autem ossa Sancti Stanislai de tumulo, octavam diem Maii, quo festum eiusdem a Pontifice Romano celebrari sancitum est, Prandotha Cracoviensis episcopus indixit et per universam Polonicam ecclesiam praedicari et divulgari ordinavit. Quo quidem die adveniente, ex omnibus Polonorum regionibus, sed et ex Hungariae Regno tanta multitudo plebis utriusque sexus in Cracoviensem convenit urbem, ut homines advenas urbs tanta non caperet, sed et in campis, quasi quidam greges, turbae consisterent. Convenerant insuper ad huiusmodi solennitatem elevationis ossium sanctorum explendam plures Polonicae ecclesiae sedium antistites, videlicet Fulco Gnesnensis archiepiscopus, Opizo abbas de Mezano [2]) apostolicus Nuntius, Prandotha Cracoviensis, Thomas Wratislaviensis, Wolmirus Wladislaviensis, Andreas Ploczensis, Gerardus Ruthenorum, Vitus Lithuanorum, episcopi, item abbates, praepositi, canonici, caeterique praelati et ecclesiarum parochialium rectores, et universi religiosi ex Cracoviensi civitate et diocesi, et aliarum Polonicae ecclesiae diocesum. Petrum Posnaniensem adversa valitudo, Chelmensem vero, Lubuczensem et Kamyenensem [3]) episcopos occupatio retraxerat. Convenerant et Principes Polonorum, videlicet Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux, qui tunc velut Monarcha Polonorum habebatur, Przemislaus Maioris Poloniae et Posnaniensis, Kazimirus Cuyaviae et Lanciciensis, Semovitus Masoviae et Wladislaus Opoliensis, Duces: sub quorum praesentia et populi [4]) multitudine infinita, ossa viri Sanctissimi Stanislai ex tumulo prope portam meridionalem in ecclesia Cracoviensi consistente, a pontificibus qui convenerant, vino lota, levata sunt et populo plaudente atque vociferante [5]), patrociniumque Sancti Stanislai implorante [6]), ostensa, et in ecclesias cathedrales et alias principaliores ecclesias collegiatas, conventuales et parochiales, portio illorum, capite, brachiis et aliis insignioribus apud Cracoviensem ecclesiam cum cineribus sacri corporis remanentibus, distributa.

---

[1]) processionem *Ed. Lips.* [2]) Opiszo abbas de Meszano *Cod. Aut.* [3]) Camenecensem *Cod. Rozr.* [4]) populorum *Ed. Lips.* [5]) plaudenti atque vociferanti et *Cod. Rozr.* [6]) imploranti *Cod. Rozr.*

Varia exorta bella inter Duces Polonorum.

Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis, et Wladislaus Opoliensis et Rathiboriensis Duces, moleste ferentes Oppaviense oppidum et districtum a Bohemis et Rege eorum Wenceslao mortuo occupatos esse, exercitu et de proprio milite et externo collecto, Ruthenorum etiam Principibus Boleslao Pudico ferentibus solatia [1]), terram Oppaviensem hostiliter ingressi, eam totam spoliis, flammis et caedibus vastaverunt; et omnibus oppidis atque villis exustis, cum praeda tam hominum utriusque sexus, quam pecorum et variarum rerum, in [2]) propria incolumes revertuntur.

Sed et inter caeteros Polonorum Duces aut odia, aut bella conserta erant. Nam et Kazimirus Cuyaviensis, Lanciciensis et Siradiensis Dux fratrem suum germanum Semovitum Masoviae Ducem et uxorem eius Gertrudim captivat, captosque in Siradia detinet. Et Przemislaus Posnaniensis, Boleslaus Calissiensis, germani, et Cunradus Slesiae Dux gener eorum [3]), terram Wratislaviensem Henrici Ducis hostiliter et cum exercitibus terrarum suarum (quod Henricus Dux Wratislaviensis mediam sortem Ducatuum olim Henrici a Thartaris occisi obtinens, Cunrado fratri suo neque illius portionem aliquam dabat, neque ut ab altero fratre Boleslao Calvo Legniczensi Duce daretur, instabat; item quia Przemislaum Ducem Posnaniensem de quinquaginta marcis argenti pro quodam Teutonico capto et dimisso obligatis [4]), non solverat) [5]) vastabant. Omnibus autem villis et oppidis circa Oleschniczam, Siczow, Trebniczam, Cireqwiczam [6]), et circa omnia montana usque ad flumen Widawa, uno a Wratislavia distante milliari, pervastatis et in praedam expositis, etiam vado in flumine Odra reperto, in alteram partem [7]) fluminis Odrae transgressi, magna vi et numero pecorum et spoliorum potiti, singula, nullo obsistente, in Maioris Poloniae terras deducunt. In hac autem vastatione omnibus ecclesiarum et monasteriorum villis et oppidis, Ducum severo mandato, suus honos, suaque libertas servata sunt; providerant quoque Duces adhibitis custodibus, ne quisquam de militibus villas ecclesiarum et monasteriorum, aut eorum homines et possessiones in aliquo vel offenderet, vel contingeret. Laesum se eo bello, eaque vastatione et expeditione Opizo abbas de Mezano [8]) apostolicus Nuntius vehementer queritans, quod eo in Wratislavia agente et demorante, spoliatio et vastatio terrae [9]) Wratislaviensis in sui et Apostolicae Sedis vituperium et contumeliam attentata fuerit, in Prze-

---

[1]) auxilia *Cod. Rozr.* [2]) ad *Ed. Lips.* [3]) eorum, Duces, *Cod. Rozr.* [4]) solvi obligatis *Cod. Rozr.* [5]) contentaverat *Cod. Rozr.* [6]) Czercquiczam *Cod. Rozr.* [7]) ripam *Cod. Rozr.* [8]) Opiszo abbas de Meszano *Cod. Aut.* [9]) terrae praedictae *Cod. Rozr.*

mislaum Posnaniensem Ducem excommunicationis sententiam promulgat. Nec ea contentus, etiam terram Posnaniensem Przemislai Ducis ecclesiastico, fines non solum [1]) iurisdictionis et potestatis suae, sed et modestiae transgressus, supponit interdicto: quod cum sex et viginti diebus continuatum fuisset, tandem Nuntius ipse apostolicus Opizo abbas a nuntiis Przemislai Ducis requisitus et eorum allegationibus convictus, et sententiam in Ducem latam sustulit, et interdictum, veritus ne res in notionem [2]) Summi Pontificis deduceretur per appellationem, quae sibi nomine Przemislai Ducis intimabatur, relaxavit.

Contagione quadam bellica nec Slesiae Duces quieti erant. Cunradus namque Slesiae Dux in castro Bythom per Przemislaum Posnaniensem Ducem sibi aedificato consistens, et portionem patrimonii sui neque a Boleslao Legniczensi, neque ab Henrico Wratislaviensi Ducibus exigere valens, Ducem Henricum Wratislaviensem fratrem germanum, per praedia et curias suas incautius deambulantem, captivat. Quem etsi honeste servaverit et magis se erga illum germanum quam hostem egerit, non tamen ab eo prius dimissus est, donec obsides dedit, quod aut portionem suam a Duce Boleslao Calvo Legniczensi repetet, aut si id efficere non poterit, sui Ducatus Wratislaviensis portionem sibi bona fide praestabit.

Fundatio monasterii sanctimonialium ordinis Praemonstratensis in Krzyszanowycze per Boleslaum Pudicum Ducem Cracoviensem.

Quarto Calendas Iunii Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux in villa sua ducali Krzyszanowycze supra Nidam sita, Cracoviensis diocesis, monasterium sanctimonialium ordinis Praemonstratensis fundat, ecclesiamque de petra alba fabricat, conferens eidem monasterio in dotem villas: Krzyszanowycze, Konari, Lyesznicza, Kowalye, Sarbkow, Klyczanow, Kobylnyky, Solnyk, Wolya, Grochowyska, Szwyeborowycze [3]), Kosztrz [4]), Byernathowycze et Iunowidz [5]), libertans haereditates praefatas ab omnibus datiis, expeditionibus et tributis.

Petrus Posnaniensis episcopus moritur; Bogufalus succedit.

Petrus Posnaniensis episcopus, vir religiosus et devotus, dum Octavo

---

[1]) solum *deest in Cod. Aut.* [2]) ne ad notitiam *Cod. Rozr.* [3]) Swieborowicze *Ed. Lips.* [4]) Kostrz *Ed. Lips.* [5]) Innowidz *Cod. Rozr.*

Calendarum Maii apoplexia gravi laborare coepisset, Quinto Idus eiusdem mensis moritur et in ecclesia Posnaniensi sepelitur [1]), cum anno uno, mensibus duobus sedisset. In cuius locum Bogufalus tertius de Czirnelin nobilis genere Polonus de domo Rosze [2]), per electionem canonicam via compromissi Sexto Idus Iunii celebratam, quam Fulco Gnesnensis in Kurzclow confirmavit archiepiscopus, suffectus est et anno sequenti in Landensi [3]) monasterio consecratus [4]).

Apud Posnaniam insuper Hedvigis [5]) Swantopelkonis Pomeraniae Ducis soror [6]) et Przemislai ac Boleslai Maioris Poloniae Ducum genitrix, diem obiit, et in ecclesia maiori Gnesnensi sepelitur. Consors vero Przemislai Ducis Posnaniensis Elisabeth, filia Henrici Slesiae Ducis a Thartaris occisi, geminas filias uno partu enixa est.

Innocentio Papa quarto mortuo Reginaldus succedit et Alexander quartus nominatur.

Papa Innocentius quartus cum ex Perusio Neapolim cum exercitu, Regnum Neapolitanum contra Manfredum, eius post mortem Cunradi filii Friderici persecutoris Ecclesiae, occupatorem [7]) defensurus advenisset et tempore aliquanto Neapoli constitisset, infirmatus, celeriter Sexto Idus Augusti moritur et in maiori ecclesia Sancti Laurentii honore debito sepelitur, cum annis undecim et sex mensibus Papatum gessisset. Post cuius mortem Reginaldus Cardinalis episcopus Ostiensis [8]), qui canonisationi beatissimi Stanislai Cracoviensis episcopi et martyris gloriosi adversatus fuerat, et quem idem Sanctus de languore gravissimo subito curaverat, natione Campanus de Anania, in Summum Pontificem assumitur et Alexander quartus nominatur.

ANNUS DOMINI 1255.

Boleslaus Calvus fratri Cunrado haereditatis eius sortem restituit.

Frequentes et insidiosas vexationes per Cunradum Ducem, Henrici Slesiae Ducis a Thartaris occisi filium, ob negatam portionem patrimonii, tum

---

[1]) iusto honore sepelitur *Cod. Rozr.* [2]) Rosae *Cod. Lis.* Russiae *Ed. Lips.* [3]) Lądensi *Cod. Rozr.* [4]) ab eodem archiepiscopo Gnesnensi consecratus. *Cod. Rozr.* [5]) Helinga *Cod. Rozr.* [6]) filia *Cod. Aut.* [7]) contra Manfredum Friderici persecutoris Ecclesiae filium naturalem, illud post mortem Conradi occupantem *Cod. Rozr.* [8]) Hostiensis *Cod. Rozr.*

per se ex castro Bythom, tum per Przemislaum et Boleslaum Maioris Poloniae Duces et eorum gentes pro Cunrado Duce, velut genero suo, interpositas, Boleslaus Calvus Legniczensis et Henricus Wratislaviensis Duces, cum et a propriis militibus saepenumero ob eam iniuriam carperentur, sedaturi, apud Glogoviam, vocato Cunrado Duce fratre, conventum [1]) agunt. Ubi post aliquot tractatus pro pace et concordia interpositos, cum causa Ducis Cunradi suapte iniustitia clara esset, Thomae Wratislaviensis episcopi et baronum communium arbitrio Dux Boleslaus Legniczensis, quamvis multipliciter detrectans et resistens, et Henricum Wratislaviensem iuxta ac se ad dandam aequam Cunrado sortem deberi astruens, convincitur, ut solus ipse Legniczensem Ducatum cum Cunrado, velut portionis suae consorte, dividat, Henricum vero Wratislaviensem Ducem, cum frater alius germanus Wladislaus Salczburgensis episcopus, cum quo illi consortium Principatus contigit, vivus exstet, ad largiendum aliquid Cunrado de sua sorte non teneri. Quo quidem decreto Boleslaus Legniczensis Dux adductus, Legniczensem Ducatum cum Cunrado, data Cunrado [2]) Glogovia, sibi vero Legnicza reservata, non sine anxietate et exacerbatione vehementi ex aequo dividit. Cunradus itaque Glogoviam sortitus, et tributa quae [3]) variis villis et oppidis in Legniczensi et Wratislaviensi Ducatibus imposuerat [4]), relaxat et obsides Duci Henrico restituit.

Mendog Rex Lithuaniae creatus, oppidum Lublin exurit.

Mendog Dux Lithuaniae in Regem Lithuaniae opera Fratrum Cruciferorum, authoritate Innocentii Papae quarti, eo anno evectus, oppido Lublin tunc ligneo exusto, factisque in eius circuitu multis praedis et spoliis, plurimos captivos ducens [5]), in Lithuaniam remeavit. Evectio autem sua in Lithuaniae Regem, dolo et astu Fratrum Cruciferorum ex radice avaritiae procurata, breviusculo durans tempore disperiit, postquam Magister Prussiae et Ordo terras Lithuaniae et Samagitiae ab eo sibi donatas et inscriptas dari expetebant.

Castrum Nakel Pomerani subita et inopinata irruptione capiunt.

Ora Slesitica vix quietata, rursum in Pomerania bellum refulsit: Swantopelkus siquidem Pomeraniae Dux pacem pati non valens, Msczugium filium

[1]) conventum *deest in Cod. Aut.* [2]) ei *Cod. Rozr.* [3]) tributa in *Cod. Rozr.* [4]) imposita *Cod. Rozr.* [5]) deducens *Cod. Rozr.*

suum, qui apud Cruciferos Fratres de Prussia annis aliquot obses erat, cum exercitu versus Maiorem Poloniam, terras nepotum ex sorore infestaturum transmittit. Qui in nocte diem Sancti Michaelis praecedente ad Nakel perveniens, castrum Nakel quod a Przemislaq Duce Posnaniensi in sua sorte pacifice tenebatur, et quod Swantopelkus astruebat intra terminos Pomeraniae consistere, minus probe (neque enim ab avunculo germano quicquam hostile Przemislaus aut sui verebantur) custoditum, aggressus comprehendit, uno ex balistariis et defensoribus castri, pecunia a Swantopelkone corrupto, tradimento et ingenio suo pro comprehensione castri praefati operam navante. Quod cum Przemislao Posnaniensi Duci nuntiatum est, paucis interpositis diebus, cum fratre Boleslao Duce [1]) Calissiensi et gentibus utriusque Ducatus illuc ire pergit et castrum Nakel obsidione cingit. Cui in subsidium Kazimirus Cuyaviensis, Lanciciensis et Siradiensis Dux cum gentibus terrarum suarum personaliter venit [2]), Boleslaus vero Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux mille milites et Semovitus Cunradi Masoviae Dux octingentos in solatium misit [3]). Verum cum castrum Nakel et situ et munitione difficilem sui expugnationem portenderet, Pomeranis ad defensionem illius a Msczugio in multiplicato numero relictis, strenue resistentibus, Przemislaus Dux Posnaniensis sano fretus consilio, aliud novum castrum e regione castri antiqui versus occiduum infra dies paucos aedificat, et vallis fossatisque ac victualium copia fulcitum, fortissimum de suis militibus, qui egressum et ingressum Pomeranorum ex castro antiquo arcerent, ratus, ut erat, facilius illius conquisitionem provenire, praesidium imponit, et soluta obsidione, etiam solatia [4]) remittit. Crebri itaque inter Polonos et Pomeranos agebantur conflictus et fere diebus singulis ab utrisque eruptiones facientibus certamina diverso Marte, nunc Polonis nunc Pomeranis cadentibus, inibantur. Poloni inter [5]) desideratos milites Pakoslaum Scedrici [6]) et Hermanum velut magis insignes, amiserant.

Bohemiae Dux Prussiam cum exercitu ingressus, multos ad Christianam adegit religionem: in cuius rei memoriam Mons Regius et Brunsberg construuntur.

Bohemiae Dux Premislaus alias Ottokarus, treugarum inducias cum Bela Hungariae Rege, sibi et terris suis hoste infesto nactus, exercitu de Bohemis et Moravis comparato, habens in comitatu suo Brunonem Pragensem episcopum, item Marchionem Brandeburgensem, item Marchionem de Merano,

---

[1]) Duce *deest in Cod. Aut.* [2]) venit *deest in Cod. Aut.* [3]) in auxilium miserunt. *Cod. Rozr.* [4]) auxilia *Cod. Rozr.* [5]) inter se duos *Cod. Rozr.* [6]) Friderici *Cod. Rozr.*

item Ducem Austriae, item Henricum Culmensem, Anselmum Ermeliensem [1]) et Olomunczensem episcopos, in Prussiam, quam veteres Ulmigiriam [2]) vocavere, contra barbaros militiam acturus, advenit: ad quam et Cruce, per Summi Pontificis mandatum, per Opizonem abbatem de Mezano [3]) apostolicum in Poloniae et Prussiae partibus Nuntium praedicata, et mensa, quam callido et vafro ingenio Fratres Cruciferi locando in illa Duces, Comites, proceres, milites, pro cuiusque praeeminentia, et illorum acta et stirpes per aroldos sub omni tempore, quo ad vescendum residebant, laudibus plus vero et iusto efferendo, provocatus erat [4]). Et barbaris in abditiora loca secedentibus et decernere non ausis, Dux ipse Premislaus Bohemiae Pruthenos in Szamensi regione propter vastationem igne et gladio illatam, deditionem facientes, per Pragensem episcopum Brunonem, suum illis nomen imponens, baptisat. In ipsius insuper praesentiae memoriam Cruciferi novam civitatem prope mare Balteum et in flumine Pregor, quam Regium Montem, in Premislai Ducis Bohemiae (quamvis tunc non Rex, sed filius Regis existeret), [5]) item aliam Brunsberg, in qua ecclesia Warmiensis cathedralis sita est, in memoriam Brunonis episcopi Pragensis constituunt. Premislao autem Bohemiae Duce cum sua comitiva ex Prussia discedente, reliquarum regionum Prutheni in Szamenses Pruthenos, quod iniussu eorum hostibus se dediderant, magno debacchantur furore, et terram Szamensem hostili et valido agmine ingressi, incendiis, caedibusque cuncta foedant, atque e regione castri Kinsberg novam munitionem, quae a Cruciferis Vilow vocata est, erigunt. Tunc quoque Cunrado Magistro Prussiae Nono Calendas Augusti obeunte, Herardus [6]) de Herczberg in officium succedit [7]), secundum vero alios Poppo [8]) de Osterna.

Iacobus archidiaconus Leodiensis, apostolicus Nuntius et Legatus, qui postea in Romanum Pontificem promotus, Urbanus quartus vocabatur, in Prussiam veniens, atrox bellum annis undecim inter Swantopelkonem Pomeraniae Ducem et Fratres Cruciferos gestum intercipit, et per aequas conditiones pacem perpetuam ordinat, quae a parte utraque fuit deinceps et custodita et servata.

ANNUS DOMINI 1256.

Przemislaus Dux Posnaniensis castrum Raczansch Pomeraniae capit et comburit.

Tardius quam animo destinaverat Przemislaus Posnaniensis Dux, castri

[1]) Hermeliensem *Cod. Rozr.* [2]) Ulmirigiam *Cod. Rozr.* [3]) de Mezano *deest in Cod. Aut.* [4]) provocatus erat. *deest in Cod. Aut.* [5]) extiterat *Ed. Lips.* [6]) Gerhardum *Ed. Lips.* [7]) assumunt *Cod. Rozr.* [8]) Poponem *Cod. Rozr.*

Nakel a Swantopelkone Duce Pomeraniae intercepti expugnationem videns successisse, altera ob eam rem expediendam, suis et Boleslai Calissiensis Ducis germani sui terris expeditione indicta, Kazimiro insuper Cuyaviensi, Lanciciensi et Siradiensi Duce Swantopelkoni oppido infesto personale suffragium ferente, ad Nakel pervenit, expugnationem castri Nakel intercepti maturaturus. Stragem autem militum si impugnare pergeret, aut ignominiam si coepto irrito resiliret, veritus, itineribus nocturnis ad castrum Raczansch [1]), quod a Swantopelkone tenebatur, et in quod plures militares, cives et agrestes ex Pomeranis, cum personis, rebus et fortunis, pro comperto habebat confugisse, antelucano tempore pervenit et castrum illico Raczansch, singulis, qui in illo erant, existentibus in sopore, oppugnare coepit. Quibus a somno expergefactis, tantus pavor, aliis castrum captum, aliis hostes iam intra castrum, aliis iam turres et quaeque optima loca occupasse vociferantibus, iniectus est, ut militibus Przemislai et Kazimiri ignes castro in locis frequentibus adhibentibus, ad stationes Ducum per medias flammas exilientes, se in potestatem eorum traderent. Caeteri igne invalescente dum pergunt fugere, a flammis miserabiliter fuere vorati [2]). Castrum omne, praeter res quae foveis et cellariis mandatae fuerant, conflagratione periit.

Swantopelkus castrum prope Nakel aedificatum dum non posset acquirere, praesidium illius dolo evocat et profligat. Tandem per Popponem Cruciferum Duces ipsi pacificantur.

Clade suorum et castri Raczansch [3]) conflagratione Swantopelkus irritatus, vices Przemislao Duci repensurus, ad suosque, qui in castro antiquo Nakel a militibus Przemislai in castro novo Nakel consistentibus obsidebantur, victualia illaturus, in Quadragesimae medio cum omni potentia gentium suarum, Duces Przemislaum et Boleslaum Maioris Poloniae et Kazimirum Cuyaviae, post castri Raczansch conquisitionem in sua remeasse cognoscens, in quadrigis victualia ferens, versus Nakel advenit. Et victualibus non sine suorum evidenti discrimine ad suos in castrum antiquum illatis, omnes vires et industriam ad conquisitionem castri novi Nakel, licet illud valido militum praesidio fultum [4]) nosset, intendit [5]). Primumque lignis aridis et pinosis comportatis [6]), fossata lignis huiusmodi implere et aggeres ex lignis constituere, ligna quoque ipsa incendere, et per illa flamma crescente, novum castrum Nakel conflagrare nitebatur. Verum cum una lignorum ad fossata im-

---

[1]) Raciąsz *Ed. Lips.* [2]) suffocati *Cod. Rozr.* [3]) Racziąsz *Ed. Lips.* [4]) fulcitum *Cod. Rozr.* [5]) interponit *Cod. Rozr.* [6]) comparatis *Cod. Rozr.*

portatio vix superficietenus fossata implesset, coeptum perfecturus, gentes suas ad comportandum ampliorem et ad opus perficiendum suffecturam lignorum materiam, in silvam propinquiorem transmittit. Sub quo tempore, spatio requiescendi dato, milites Przemislai ex castro novo certatim descendentes, igne adhibito omnes strues iniectas, antequam aliae adiicerentur, consumunt et longum Swantopelkonis laborem inflammatione huiusmodi dissolvunt. At ille milites in stationes eo die discedere, corporaque curare, altero vero die ad tertiam horam armatos adesse iubens, cum milites dicto paruissent, ab omni parte novum castrum expugnare adortus est. Milites sui ex scutis tostudine facta, fossatis transgressis, etiam ad latera castri perveniunt, illudque proscindere et ignem supponere, caeteris illos telis, bombardis, machinis et fundis ligneis, quae Proky vocantur, protegentibus, et castrum novum, eiusque defensores lacessentibus, conantur. Sed non minor fuit Przemislai militibus ardor pro defensione, quam Swantopelkonis pro impugnatione. Itaque viginti ex eis, qui propius accesserant, occisis et pluribus vulneratis, caeteri, ne periculo [1]) involverentur, fugere et expugnationem intermittere coacti sunt. Swantopelk ex impugnatione tentata caedem suorum referens, vario aestu mentis excruciatus, dum nulla spes proposito suo affulsisset, gemens, tristis et confusus ad Pomeraniam rediit.

Altero deinde exercitu Swantopelk congesto, in Nakel clam et noctu advenit, apertis et iustis pugnis non proficientibus, arte et astu in Polonos et eos, qui novum castrum Nakel observabant, usurus. Se itaque cum eo, quem secum advexerat, equitum et peditum exercitu, in montanis locis, quae haud longe a castro novo sita erant, velut in insidiis collocans, quid fieri velit, per fidum nuntium nocte in castrum antiquum penetrantem, ad suos et eos, qui in castro antiquo erant, demandat. Primo itaque mane diei subsequentis, milites Swantopelkonis eruptione ex Nakel facta, militibus Przemislai [2]) ex castro novo in pugnam provocatis, certamen cum illis conserunt, et fugere se velut victos simulantes, Polonorum milites, velut devictis hostibus, alacres usque ad insidias perducunt. Ex quibus Swantopelkus cum omnibus his copiis, quae secum advenerant, consurgit et Polonorum militibus se ostendit. Extemplo et hi, qui se simulaverant fugere, ex fuga conversi in Polonos invehuntur, et Poloni a tergo et fronte circumventi, velut quaedam victimae in medio nunc ab his, nunc ab illis caeduntur. Sed nec tunc Polonis animus defuit; ex desperatione siquidem in furorem versi, magna strage in hostibus edita, ad extremum omnes aut trucidati sunt, aut capti, non incruentam hosti reliquerunt victoriam. Captus est [3]) inter alios Msczislaus mi-

---

[1]) praelio *Cod. Rozr.* [2]) ex Nakel facta militibus Przemislai *deest in Cod. Aut.*
[3]) est autem *Cod. Rozr.*

les, qui multae probitatis ostensis decoris, incumbentem undique prosternendo hostem, Swantopelkone iubente, ut sui ferro parcerent, comprehensus [1]) est et cum aliis in Pomeraniam deductus. Clades autem haec caeterorum Przemislai militum, qui in castro novo residui erant, quamvis illam superne spectarent, animos non imminuit, quinimo caduceatoribus a Swantopelkone missis, ut castrum dederent, ferox dederunt responsum: Plures captis et desideratis, qui laetitiam de clade fallaciter quaesita inultam fore non sinent, in castro Przemislai superesse. Swantopelk Pomeraniae Dux, etsi victoria potitus ex Nakel remeasset, fortius tamen et crudelius bellum pro unius castri iniuste possessi occupatione, ratus inter se et nepotes suos [2]), eorumque auxiliatores serpturum, per Fratrem Popponem (Polonus hic natione erat, genere nobilis et Cracovita, qui Ordinem Cruciferorum assumpserat, Swantopelkoni et Przemislao per maternam lineam sanguine iunctus) egit, ut Przemislaum Ducem ad reconciliationem mutuam secum induceret. Sed neque Przemislaus Dux, monente illum Poppone, reconciliationem cum Swantopelkone aspernatus, conventum apud villam Kczinam [3]) in vigilia beati Iacobi Apostoli cum Swantopelkone tenuit. Ubi in praedictum Popponem a Principe utroque pleno facto compromisso, Frater Poppo praedictus exploratam habens Swantopelkonis voluntatem, pronuntiavit compromissi auctoritate [4]): ut Swantopelkus Pomeraniae Dux castrum Nakel, velut iniuste nepoti suo Duci Przemislao Posnaniensi interceptum, secutura die Sancti Iacobi restituat et omnes captivos liberos dimittat [5]); Przemislaus vero Posnaniensis Dux Swantopelkoni quingentas marcas argenti [6]) pro expensis factis et castri Raczansch demolitione, in certis terminis daturus, interim obsides solvat. Qua pronuntiatione [7]) ab utroque Principe accepta, ad Nakel itum est, et iureiurando interposito, quod alter in alterius terrarum et castrorum occupationem aspirare non debeat, avunculus et nepos osculo facto reconciliantur, et castrum antiquum Nakel per Swantopelkum Przemislao Duci, cum ambo illud pacificati iunctis dextris ingressi fuissent, resignatur; novum vero per Przemislaum Ducem incendio deletum est. Accepit et tunc Swantopelkus a Duce Przemislao novem adolescentes nobiles pro obsidibus, videlicet: Dirsicraium et Dobrogostium filios Vincentii, Wlodimirum Prandothae, Iacobum Boguphali de Czirnelin, Ianussium Dobyeszowicz de Pnyew, Samsonem Gnyewomirowicz, Derslaum Iareczewicz [8]), Mroczkonem Przeczslawicz et Sandiwogium Sbylutowicz, qui apud illum comiter tractati, demoratique sunt, quousque sibi de quingentis marcis argenti a Duce Przemislao praestita est solutio effectualis.

---

[1]) comprehensus *deest in Cod. Aut.* [2]) suos ex sorore *Cod. Rozr.* [3]) Kcyniam *Cod. Rozr.* [4]) auctoritate sententiam *Cod. Rozr.* [5]) libertati restituat *Cod. Aut.* [6]) argenti *deest in Cod. Aut.* [7]) pronuntiatione sententiae *Cod. Rozr.* [8]) Iaroczewicz *Ed. Lips.*

Boleslaus Calvus Dux Legniczensis Thomam episcopum Wratislaviensem cum praeposito et canonico captivat, quem decem millibus marcarum taxat, et ut decimae manipulares in fertones transmutentur, iubet: propter quod ipse et Principatus Legniczensis interdicto subiicitur.

Pomeranico bello, quod pro castro Nakel a Swantopelkone Pomeraniae Duce intercepto, tam animis quam odiis infestis, integro fere biennio inter proprios gestum est, per compositionem extincto, in Slesia rursum bellum ausu sacrilego Ducis Legniczensis Boleslai [1]) Calvi renatum est. Qui quasi iacturam, quam Cunrado fratri Duci Glogoviensi dimidium Legniczensis Ducatus dare coactus, pertulerat, instauraturus, patrum suorum nonnullorum Regum et Principum Poloniae itinera prava sectaturus, dum minus prospere bella cum saecularibus acta successissent, cum ecclesiasticis ea plus utilitatis, minus impensae et dispendii habiturus, gerere coepit. Thomam siquidem Wratislaviensem episcopum, virum et pro pontificali excellentia, et pro vitae sanctimonia, qua inter caeteros Polonicae ecclesiae pontifices splenduit, et publico et privato officio sibi venerandum, in Gorka praedio abbatis Sanctae Mariae de Arena, in quod novam ecclesiam dedicaturus advenerat, quiescentem, nocte cum suis Teutonicis, quorum suasu et consilio in id facinus ferebatur, superveniens, cum Boguphalo praeposito et Heccardo canonico Wratislaviensibus sexta Octobris die captivat, omnesque res, equos, vestimenta et fortunas episcopales illic secum consistentes diripit, et nonnisi camisiola una, in qua dormitaverat, tectum, equo imponit. Quem cum satrapae sui Teutonici didicissent, equitandi (iam enim vir grandaevus erat) usum non habere, equo cui insidebat transmutato, in alterum equum trotantem [2]), illum, ampliorem laborem et dolorem sibi adiecturi, transponunt. Unus deinde latrunculus, caeteris omnibus Teutonicis Boleslai satrapis nuditatem illius et dentium, qui ex frigida aura [3]) causatus est, stridorem irridentibus, misertus, vetusta et virgulata tunica, veteribusque suis ocreis, ne rigore hiemis consumeretur, illum vestit. Ac sic tectum in castrum Boleslai, Wlay nomine, perducunt, et tam episcopum quam praepositum et canonicum secum una captos, Duce Boleslao iubente (qui decimarum manipularium, quae episcopo et universo clero Wratislaviensi more patriae Polonicae in campis manipulatim de omni grano solvebantur, in fertonales transmutationem et decem millium marcarum solutionem a Thoma episcopo exigebat) in carcerem et

---

[1]) Boleslai *deest in Cod. Aut.* [2]) gravius portantem *Cod. Rozr.* [3]) auca *Cod. Aut.* causa aurae *Ed. Lips.*

vincula coniiciunt. Id scelus horrendum, dum nemo inveniretur qui rescinderet (Dux enim Wratislaviensis Henricus, sive mansuctudo sive pusillanimitas id faciebat, nam et a nonnullis de consensu ad capiendum episcopum dato insimulatus est, a Capitulo Wratislaviensi, quatenus de liberando episcopo navaret operam, rogatus, rem silentio et dissimulatione absolvit), Fulco Gnesnensis archiepiscopus, provincialibus Poloniae episcopis ad Synodum in Lancicia indictam celerrime coactis, sumpta deliberatione, et Alexandrum Papam de facinore in Thomam episcopum, Boguphalum praepositum et Heccardum[1]) canonicum Wratislavienses, per Boleslaum Legniczensem Ducem patrato, literis totius ecclesiae Polonicae et veloci nuntio avisat, et quid Apostolicus[2]) agendum censeat, consultat, et nihilominus contra Boleslaum Legniczensem Ducem et sui sceleris complices, censuras graviores promulgat, Wratislaviensemque diocesim ecclesiastico supponit interdicto. In omnibus itaque ecclesiis provinciae Gnesnensis, infra missarum solennia communione finita, et psalmus: Deus laudem meam ne tacueris, procidentibus ministris Dei in terram, et oratio: Exaudi quaesumus Domine, ecclesiam non solum Paganorum percussionibus attritam, sed etiam Christianorum pravitatibus afflictam, usque ad finem, sonantibus in unam partem campanis, agebantur, et Dux Boleslaus Legniczensis, recitata sua crudelitate, denuntiabatur anathematisatus. Sed et Papa Alexander, literis episcoporum Poloniae et nuntii relatione in vehementem turbationem super novitate, quae acciderat, motus, Gnesnensi archiepiscopo, Cracoviensi et Wladislaviensi episcopis dedit in mandatis, ut Boleslaum Legniczensem Ducem de relaxando Thoma episcopo Wratislaviensi autoritate apostolica requirerent, et abnuentem, personam suam et sui facinoris complicum censuris, terram vero suam interdicti sententiis, percellerent. Qui omnia, ut iubebantur, sunt executi.

Michaeli episcopo Wladislaviensi succedit Wolimirus.

Octava mensis Augusti Michael episcopus Wladislaviensis, annis quadraginta in pontificatu exactis, senectute bona plenus, moritur et in ecclesia veteri Wladislaviensi sepelitur. In cuius locum Wolimirus[3]) praepositus Cruszwiczensis, canonicus Wladislaviensis, Ducum Semoviti et Kazimiri Masoviae cancellarius, per electionem canonicam suffectus est et per Alexandrum quar-

---

[1]) Gebardum *Cod. Aut.* [2]) Apostolica Sedes *Cod. Rozr.* [3]) Wlodimirus *Cod. Rozr.*

tum Papam [1]), Ducibus praefatis illum promoventibus, confirmatus, nobilis genere de domo Bolestarum.

Boleslaus Calissiensis Dux Belae Regis Hungariae filiam accipit in uxorem.

Boleslaus Gnesnensis et Calissiensis Dux et frater Przemislai Posnaniensis, Belae Hungariae Regis, fratris germani beatae Elisabeth, filiam nomine Iolentam, quae a Polonis Helena nuncupabatur, conciliante nuptias huiusmodi Duce Cracoviensi et Sandomiriensi Boleslao Pudico, ducit uxorem. Et solennitas nuptiarum huiusmodi Cracoviae [2]) (praefata enim Iolenta in curia Ducissae Kingae, consortis Ducis Boleslai Pudici, sororis suae germanae, ex Hungaria traducta nutrita erat) pluribus diebus sub praesentia multarum insignium personarum acta est.

Guilhelmus Romanorum Rex occiditur; de cuius successore magna inter electores dissensio.

Romanorum Rex Guilhelmus alias Wilkinus Comes Hollandiae, in Frisones detrectantes imperium expeditionem agens, ab eisdem Frisonibus, subiectionem et imperata facturos se pollicentibus, occiditur. Dum autem electores pro alterius electione convenissent, discordem celebrarunt electionem. Una siquidem pars elegit Alphonsum Regem Castellae, altera Richardum Comitem Cornubiae et fratrem Regis Angliae, qui cum esset ditissimus, ab archiepiscopo Coloniensi suo electore coronatus, Regnum Almaniae pro magna parte obtinuit. Duravit autem quaestio huius schismatis multis annis, nec terminata fuit, nisi amborum morte secuta: pro qua [3]) infinita pecunia ab utroque expensa est, sed praecipue a Rege Alphonso, viro animoso et honorem omnibus praeferente, qui Regnum suum Castellae, discidio huiusmodi durante, multis thesauris exinaniverat. Ambo autem hi de imperio contendentes, sed et Guilhelmus Comes Hollandiae, pro brevitate temporis quo regnaverunt, nihil egerunt memoria dignum et omnes caruerunt imperiali benedictione.

---

[1]) Papam *deest in Cod. Aut.* [2]) Cracoviae habita *Cod. Rozr.* [3]) pro qua re *Cod. Rozr.*

ANNUS DOMINI 1257.

Thomas episcopus Wratislaviensis, transmutatis decimis et datis duobus millibus marcarum argenti Boleslao Duci Legniczensi, a captivitate liberatur. Postea volens idem Dux fratrem suum Cunradum Glogoviensem Ducem captivare ad se invitatum, ipse per eum raptus Glogoviam deferetur.

Captivitatis suae continuos angores [1]), squaloresque Thomas Wratislaviensis episcopus [2]) a Boleslao Saevo Legniczensi (id enim cognomen post facinus in episcopum patratum sortitus erat), ex castro enim Wlay in Legniczam deductus et in terram proiectus, arctioribus compedibus vinciebatur, aliquando finiri desiderans, cum et censurae ecclesiasticae, et auctoritate Summi Pontificis et episcoporum Polonicae ecclesiae in virum pessimum, Boleslaum Saevum Legniczensem Ducem, ob id latae, quas ille velut stipulam reputans, severius in episcopum et suae captivitatis consortes, Boguphalum praepositum et Heccardum canonicum, debacchabatur, nullam liberationem [3]) effecturae sperarentur: cum Boleslao Saevo captivatore suo paciscitur. Et commutationem decimarum manipularium, non in sua tantummodo Legniczensi sorte, sed et in universa Wratislaviensi diocesi, in fertonales, Capitulo suo Wratislaviensi irrequisito, Gnesnensi insuper archiepiscopo metropolitano suo et episcopis Polonicae ecclesiae cum provincialibus suis, qui pro illius libertate et substantias et sanguinem parabant se effusuros, inconsultis, duorumque millium marcarum argenti solutionem, praeter pannos scarlaticos a Boguphalo praeposito et Heccardo canonico [4]) exactos, pollicitus, medietate pecuniae perprius soluta, de residua vero medietate, et promisso de transmutandis decimis manipularibus in fertonales implendo, filiis [5]) nobilium et scultetorum suorum datis obsidibus, in festo Paschae a captivitate cum suae captivitatis consortibus, Boguphalo [6]) praeposito et Heccardo canonico, solutus est. Saevitiam autem tam foedam in Thomam episcopum, Boguphalum praepositum et Heccardum canonicum Wratislavienses depromptam apud obtrectatores suos levaturus, non in Henricum solummodo Wratislaviensem, sed et in Cunradum Glogoviensem Duces germanos, eorumque consiliarios et proceres (iurene an iniuria incertum est) retorquebat, licet decimarum manipularium in fertonales transmutatio etiam pro eorum terris obtenta, patrati sceleris

---

[1]) languores *Cod. Rozr.* [2]) episcopus *deest in Cod. Aut.* [3]) eliberationem *Cod. Rozr.* [4]) canonico Wratislaviensi *Cod. Rozr.* [5]) filios *Cod. Aut.* [6]) Boguphalo *deest in Cod. Aut.*

reos vehementi suspicione argueret. Nihil itaque mirum, si providentia divina ulciscens scelera patrum in tertiam et quartam generationes, Principes Slesiae, id est Regni Poloniae haeredes, ex lumbis et stirpe Regum Poloniae procedentes, de Regno ipso fecit extorres, qui se variis sceleribus, et praesertim caede et captivitate ac sanguine pontificum et sacerdotum, decimarumque usurpatione inquinaverant, et alienigenas eiusdem Regni fecit haeredes.

Recenti scelere, quo in Christos Domini, Thomam episcopum, Boguphalum praepositum et Heccardum canonicum, Wratislavienses, Boleslaus Saevus Legniczensis Dux sacrilegas manus iniiciens, usus fuerat, aliud adiecturus, germanum suum Cunradum Glogoviensem Ducem, ad se in Legniczam, verbo quidem ut secum conveniret, re autem ut captum Ducatu Glogoviensi exueret, invitat. Qui etsi a nonnullis Boleslai Saevi satellitibus certior factus, ad quam iucundum et opipare convivium vocaretur, venire repromittens, plures pro numero proceres et milites [1]) secum in Legniczam iturus assumit. Quorum maiori parte in silva Legniczensi oppido vicina relicta, ipse cum expedita aliorum, quibus insidias sibi a Boleslao Saevo structas patefecerat, et quid illos agere vellet, instruxerat, manu in Legniczam pervenit; a Boleslao quoque Saevo benignum demonstrante vultum, exceptus et in Legniczense castrum perductus, videns Teutonicos Boleslai Saevi milites turres et quaeque superiora moenia et cacumina occupasse, facinus in se per Boleslaum Saevum committendum anticipat, et Boleslaum Saevum antequam in superna fieret [2]), ubi capi Cunradus debuerat, ascensus, captivat et extra portam castri, antequam milites Boleslai ex supernis possent decurrere, deductum, ad eos qui se in silva operiebantur, militibus Boleslai sequi non audentibus, transportat, et ab inde illum lento passu in Glogoviam deducit et arctae custodiae mancipat, nec prius dimisit, donec omnem pecuniam per Thomam episcopum Wratislaviensem datam et dandam, ab eo, praedantem praedatus, exigeret.

Alexander Papa ob detentionem episcopi Wratislaviensis cruciatam mittit ad Germaniam et Poloniam pro illius liberatione.

Prandothae Cracoviensis et Wolimiri Wladislaviensis, episcoporum, literis Alexander Papa quartus certior factus, Boleslaum Saevum Legniczensem Ducem et monita apostolica contemptui et censuras ab eis fulminatas ludibrio habuisse, neque Thomam episcopum Wratislaviensem et Boguphalum prae-

[1]) proceres et milites *deest in Cod. Aut.* [2]) ad superna veniret *Ed. Lips.*

positum, Heccardumque canonicum relaxare (adhuc enim tunc illos Boleslaus Saevus Legniczensis Dux [1]) carcere clausos et compedibus astrictos [2]) tenebat) a captivitate voluisse, zelo Dei in ecclesiastica libertate et ministris eius defendendis incensus [3]), insolentiam et temeritatem Boleslai Saevi Legniczensis Ducis [4]) virga apostolica compressurus, vexillum Crucis contra praefatum Boleslaum Saevum et terras suas, velut contra ethnicum et fidei ac religionis catholicae hostem, decernit. Gnesnensi quoque et Maydburgensi archiepiscopis dedit per speciales literas, facinus in Thomam Wratislaviensem episcopum per Boleslaum Saevum admissum declarantes, in mandatis, quatenus per Poloniam et Germaniam Crucem huiusmodi praedicent et omnes catholicos Reges, Principes, Comites, barones et quoslibet fideles in praefati Boleslai Legniczensis Ducis et suorum subditorum exterminium invocent et animent. Quo mandato Fulco Gnesnensis archiepiscopus accepto, altera apud Lanciciam pro die Sancti Calixti Synodo provinciali instituta, Prandotha Cracoviensi, Thoma Wratislaviensi, qui iam tunc per pacta captivitatem evaserat, Boguphalo Posnaniensi, Wolimiro Wladislaviensi, Andrea Ploczensi et Wilhelmo Lubuczensi, episcopis, multisque abbatibus et praelatis ecclesiae Polonicae convenientibus, mandatum apostolicum omnibus intimat, Crucemque contra Boleslaum Saevum praedicat, et illam mandat auctoritate apostolica ab omnibus episcopis suae provinciae praedicari. Argutus est et tunc Thomas episcopus Wratislaviensis praedictus ab omni Polonica ecclesia, quod pactionem foedam tam exemplo pessimo quam re, in transmutatione decimarum manipularium in fertonales, violando et libertatem ecclesiasticam et laudabilem Polonicae patriae, quae propterea apud exteras nationes celebris habebatur, morem [5]), consentiendo [6]) nocituram, fecerit [7]). Qui et metum, qui in virum constantem cadere poterat, et multiplices passiones suas quas pertulerat, allegans, spoponderat se, licet non impleverit, promissa de transmutandis manipularibus decimis in fertonales, nullo unquam tempore servaturum. Apostolicarum autem literarum Gnesnensi et Maydeburgensi archiepiscopis de praedicanda contra Boleslaum Saevum Cruce [8]), quarum originales apud ecclesiam beatae Mariae Sandomiriensem Cracoviensis diocesis nos retinemus, tale extat exemplar:

„Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus „archiepiscopo Maydeburgensi, eiusque [9]) suffraganeis, Salutem et apostoli„cam benedictionem. Non absque multa cordis amaritudine iam dudum acce„pimus, quod venerabili fratre nostro episcopo Wratislaviensi ad villam

[1]) Dux *deest in Cod. Aut.* [2]) strictos *Cod. Rozr.* [3]) accensus *Cod. Rozr.* [4]) Ducis *deest in Cod. Aut.* [5]) morem *deest in Cod. Aut.* [6]) exterminando *Cod. Rozr.* [7]) fecerit. *deest in Cod. Aut.* [8]) Cruce scriptarum *Cod. Rozr.* [9]) Maydeburgensi et Gnesnensi archiepiscopis, eorumque *Cod. Rozr.*

„Gorra [1]) suae diocesis, ubi quandam erat consecraturus ecclesiam, diverten-„te, nobilis vir Boleslaus Dux Slesiae, associatis sibi quibusdam iniquitatis „filiis, eundem episcopum, praepositum et Eccardum [2]) presbyterum canoni-„cum, Wratislavienses, capere ausu sacrilego non expavit, episcopum ipsum „ad quoddam castrum suum, reverentia pontificali postposita, fere nudum „abducens, degustaturum ibidem angustias carcerales. Propter quod de ipsius „Ducis, prout ad nostrum spectat officium, salute solliciti, per venerabiles „fratres nostros, Gnesnensem archiepiscopum, nec non Cracoviensem et Wla-„dislaviensem episcopos moneri eum mandavimus, ut ipsos [3]) ac etiam alios „cum eis [4]) captos, absque difficultate qualibet [5]), pristinae restituens liber-„tati, eos libere abire permitteret, et de ablatis rebus et irrogatis iniuriis, „ipsi episcopo et ecclesiae restitutionem et satisfactionem plenariam impen-„surus. Verum eodem Duce tam salutaria parvi pendente monita, ac eligente „in suo scelere perire potius quam parere, praefati archiepiscopus et episco-„pi, prout a nobis in mandatis acceperant, ipsum et omnes eius in hac ini-„quitate consiliarios et fautores, excommunicatos facientes publice nuntiari, „supposuerunt terram ipsius, nec non et locum, ad quem ipsum declinare „contingeret, quamdiu ibi esset, ecclesiastico interdicto: spe tam eis, quam „nobis per hoc proposita [6]), quod ipse sic percussus, dolens, ad percutientem „se, cum devotione recurreret, congrua culpae suae remedia requirendo, prae-„sertim cum salubrem nonnunquam sibi doloris immensitas inveniat medici-„nam. Porro idem Dux Ecclesiae malleum velut stipulam reputans, adhuc „in sua perseverat obfirmatus malitia, omnino contempta Ecclesiae disciplina, „et quod ad cumulum suae damnationis magis accedit, eos nunc validioribus „quam prius, poenis afficit et tormentis: pedes enim ipsius episcopi, qui „calceati esse debent in evangelium pacis, ferreis nexibus alligantur, et qui „gregem suum sacrae praedicationis ubere deberet reficere, nunc in diri car-„ceris ergastulo detinetur, interdicto sibi capellani sui suffragio, cui conscien-„tiam suam in confessione pandere valeat, et cum quo possit interdum sal-„tem Missarum officia celebrare. Et quidem cum et nos talis iniuria vulne-„rat, et non levem nobis impressura moestitiam, ad procedendum contra Du-„cem ipsum acrius nos invitat. Nam verisimilitudo non tolerat, ut patiente „tanto ecclesiae membro, caput non langueat, aut expers doloris existat. Si „ergo commissum est nobis, licet indignis, et curam gregis Dominici sollici-„tam gerere, et medelam sauciati vulneribus adhibere, quomodo Ducem ipsum „per mortales campos, per iter mortis ultra patiemur discurrere? quin ipsum „ad pascua salutis reducamus. Cumque infirmus salutaria respuat, quaerat

[1]) Gorka *Cod. Rozr.* [2]) Hecardum *Cod. Rozr.* [3]) ipsum *Cod. Rozr.* [4]) eo *Cod. Rozr.* [5]) aliqua *Cod. Rozr.* [6]) apposita *Ed. Lips.*

„noxia, et plerumque desideriis contrariis urgeamur: quomodo Ducem ipsum „tanquam laborantem frenesi, impiae relinquemus voluntatis arbitrio? quin „ipsi, quantumcunque invito, amara salutis pocula propinemus? ut id ad cu„ram sanus fuisse cognoscat, quod infirmus non poterat praesentire. Sane „postquam idem obstinatus spiritualem medicinam respuit, postquam Petri „gladium prout convenit [1]), non attendit: quid superest, nisi ut extrahatur „materialis gladius contra ipsum? Et ad quod levi medicamine voluntarius „induci non potuit, poenae saltem formidine pertrahatur invitus. En habita„tores Poloniae filios speciales relinquemus expositos illi discrimini, quod ex „tam detestabili facto ipsorum imminet regioni? Erat enim in tam enormi „excessu patientia nostra tanta, ut et negligentis nomen assumat, et vere „patientis nomen perdat. Et quidem quantumcumque ob generositatem ipsius „et suorum progenitorum merita hactenus detulissemus eidem, id tamen ul„terius non patitur praedicti criminis magnitudo. Accusat enim ipsum carcer, „arguunt vincla, ac contra ipsum Deum et homines provocat ad vindictam. „Caeterum more pii patris, qui sententiam cito convertit in veniam, et re„dire cupit filium non perire, adhuc experiri volentes, si de fragmentis con„scientiae suae, quae velut lagena figuli est grandi contritione confracta, „aliqua testa permanserit devotionis igniculi retentiva, universitatem vestram „rogamus, monemus et hortamur attente, in virtute obedientiae [2]) vobis dis„tricte praecipiendo mandamus, quatenus praefatum Ducem super liberatione „ipsius episcopi et aliorum, nec non et super praemissis omnibus moneatis, „seu moneri faciatis efficaciter et induci. Quodsi monitis vestris (quod absit) „pertinaciter aures obturaverit cordis sui, extunc singuli vestrum in suis ci„vitatibus et diocesibus, pro liberatione eiusdem episcopi, contra Ducem „ipsum, iuxta datam vobis a Deo prudentiam, per se vel alios viros ad hoc „idoneos praedicetis Verbum Crucis. Nos enim omnibus vere poenitentibus, „contritis et confessis, qui ad praedicationem vestram eam susceperint, et „in propriis personis liberationem huiusmodi fuerint prosecuti, illam suorum „peccaminum veniam elargimur, quae in Terrae Sanctae subsidium persona„liter accedentibus in generali Concilio est concessa. Debent enim ad libe„rationem huiusmodi fideles Christi non remissi, sed ferventes et voluntarii „reperiri, quia per detentionem ipsius, illi gravis irrogatur iniuria, cuius le„gatione fungitur, et qui in suis ministris honorari se asserit, atque sperni. „Datum Laterani [3]), Tertio Calendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio; „Anno vero Nativitatis Domini Millesimo Ducentesimo quinquagesimo sep„timo [4]).“

---

[1]) congruit *Cod. Rozr.* [2]) sanctae obedientiae *Cod. Rozr.* [3]) in Laterano *Cod. Rozr.* [4]) sexto *Cod. Aut.*

Fundatio Cracoviensis civitatis in iure Teutonico.

Urbem suam Cracoviensem Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux ad incrementa, quae sub Polonis et iure Polonico assequi non poterat, perducturus, ius illi largitur Srzedense seu Teutonicum, advocatumque in ea constituit, qui urbis situm et domos [1] passim et sine lege, sine ordine consistentes [2], translocat et transmutat, et circo urbis primum ordinato, etiam plateas ipsius proportionabiliter [3] et ex aequo distinguit.

Fundatio monasterii Fratrum de poenitentia Beatorum Martyrum in Cracovia per Boleslaum Pudicum.

Alexander Papa quartus novam religionem mendicantium de poenitentia Beatorum Martyrum intitulatam instituit. Cuius fratres et professores Cracoviam advenientes Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux benigne appellatos suscipit, et ecclesia in Sancti Marci Evangelistae honorem de novo fundata, illis locum Cracoviae contulit, et sumptus pro monasterii et ecclesiae aedificatione dari liberaliter iussit.

Przemislaus Dux Posnaniensis moritur, uno filio eiusdem nominis posthumo relicto.

Pridie Nonas Iunii, in Posnaniensi castro nobilis et illustris Princeps Przemislaus Posnaniensis Dux, filius Wladislai Ottonis Ducis Maioris Poloniae, post quindecim dierum decursum, quibus ab aegritudine oppressus languerat, tricesimum et sextum annum tantummodo agens, moritur, funusque suum in ecclesia maiori Posnaniensi cum cineribus Regum et Principum Poloniae, iusto honore et lugubri omnium militum comploratu, sepultum est. Hic inter Principes Poloniae sui temporis mitissimus et supra aetatem prudens, duas praecipue virtutes, continentiam videlicet et iustitiam, summa cura, summoque studio sectatus, cilicina veste in diebus Quadragesimae, ut caro serviret spiritui, et cervisia parum sapida, aut vino limphato, utebatur. In pronuntiando vera sententia et lite dirimenda tam modestus, tam iustus, ut utraque pars eius probaret decretum. Nemo illum unquam vidit aut ebrium, aut iratum, aut gestu, indumento, sermone aut opere superbum. Sacro Coenae

---

[1] domus *Cod. Rozr.* [2] consistentem *Cod. Rozr.* [3] proportionaliter *Cod. Rozr.*

die duodecim pauperum ablutis et deosculatis pedibus, quemlibet novo panno vestiebat. Media nocte, quod illi cerimoniale iam et quasi ex debiti necessitate consuetudinarium factum fuerat, dum a familiaribus quiescere putaretur, consurgens, cursum horarum Virginis gloriosae, quibus finitis psalmos aliquos et orationes quas didicerat, depromebat. Contulit ecclesiae Gnesnensi villam Czirnelin, Posnaniensi Buk, praeter libertates, quibus utramque, baronibus ei adversantibus, magnis praerogativis extulerat. Quatuor ex consorte sua Elisabeth filias, videlicet Constantiam, Veronicam, Offkam et Eufrosinam reliquit. Ea tamen consors sua Elisabeth, dum in morte viri gravida esset, filium posthumum in die Sancti Calixti, cui in patris charitatem et memoriam Boguphalus Posnaniensis episcopus in baptismate [1]) nomen paternum Przemisl [2]) indiderat, omnibus subditis de virili prole magna iucunditate ovantibus, effudit. Hunc Principem Baschko custos Posnaniensis in suis scriptis et Annalibus plurima laude celebrat.

Pridie Calendas Februarii Cracoviae et in universis Polonorum urbibus et regionibus grandis terrae motus, apud Polonos rei huiuscemodi insuetos pro monstro et religione habitus, editus est Tertiarum hora.

Premislaus Bohemiae Dux Bavariam ingressus caeditur.

Bohemiae Dux Premislaus Bavariam hostiliter, multis baronibus Bohemiae expeditionem ipsam, cum causas iustas non haberet, improbantibus, ingressus, cum eam usque in Lanczhut praedis et rapinis vastasset, vix Duce Premislao cum modica parte exercitus pontem in flumine Ennio transgresso, milites qui sequebantur, confracto ponte in flumen proiecti, ab undis, paucis, nare scientibus, evadentibus, vorati sunt. Omnis vero reliquus exercitus suus, qui nondum pontem et flumen superaverat, a Bavaris, paucis fugientibus, deletus est, et Bavari tam victoria, quam omnibus spoliis et impedimentis potiti. Dux ipse [3]) Premislaus cum paucis (nam et illi qui pontem trasiverant, a Bavaris insectati aut trucidabantur aut capiebantur) incolumis fugiendo evasit. Nonnulli ex Bohemis, qui in oppidum Muelndorff [4]) archiepiscopi Salczburgensis diffugerant, tamdiu a Bavaris illic obsessi, donec aequis conditionibus inter Premislaum Bohemiae, et Bavariae Duces, pax sancita est.

---

[1]) in baptismo *Cod. Rozr.* [2]) Przemislaus *Ed. Lips.* [3]) Dux vero *Cod. Rozr.* [4]) Melendorff *Cod. Rozr.*

Beatus Iacinctus Cracoviae moritur.

Quintadecima mensis Augusti, Nonarum hora, beatus Iaczko frater ordinis Praedicatorum, genere nobilis Polonus ex districtu Opoliensi [1]) ex villa Lanka, post multos labores et opera et in dilatatione fidei Christianae et salute animarum apud Poloniam et Russiam assidue exhibita, et patratione multorum et stupendorum miraculorum (inter quae illud extat insigne, quod apud Wischegradense oppidum, deficiente navigio, strata super undas cappa conscensa [2]), cum tribus fratribus sui ordinis, videlicet Floriano, Godino [3]) et Benedicto, universo populo Wischegradensi inspectante, Wislam fluvium sicco vestigio tranavit) famosus [4]), in coenobio Sanctae Trinitatis Cracoviae religiosissime devotissimeque vita excedit. Ad patriam claritatis aeternae in multo fulgore a Matre misericordiae canente: Ibo mihi ad montem myrrhae, et angelico coetu prosequente (quemadmodum virgini devotae religiosaeque sanctimoniali Sronislawae [5]) in Zwyerzinecensi monasterio professae, per visum in mortis praefati Sancti Iaczkonis articulo monstratum est) deductus, et a Prandotha Cracoviensi episcopo et populi multitudine in eodem coenobio Sanctae Trinitatis sepelitur. Tantis autem et tam frequentibus prodigiis illum et in vita et post mortem insignire et glorificare dignatus est Altissimus, ut non solum dignus, sed etiam dignissimus (si prodigia ipsa neglectum a Polonis, et a notitia Summi [6]) Pontificis suppressum iri non contigisset) canonisatione videatur. Quinque monasteriorum sui ordinis, videlicet in Frisak ubi fratrem Hermanum Teutonum reliquit, in Cracovia ubi solus praeerat, in Praga quod fratri Hieronymo [7]), in Wratislavia quod fratri Czeslao [8]) et fratri Godino, in Gdansk quod fratri Benedicto commendaverat, primarius fundator.

ANNUS DOMINI 1258.

Boleslaus Calissiensis Dux castellaniam Landensem a Kazimiro Cuyaviensi et Lanciciensi Duce recuperat.

Landensem castellaniam a Kazimiro Cuyaviensi, Lanciciensi et Siradiensi Duce, qui illius annis aliquot iniustus occupator exstiterat, Boleslaus Gnes-

---

[1]) districtus Opoliensis *Cod. Rozr.* [2]) atque conscensa *Cod. Rozr.* [3]) Goduino *Cod. Rozr.* [4]) famosus *deest in Cod. Aut.* [5]) Sromislauae *Cod. Rozr.* Bronislawae *fortasse.* [6]) Maximi *Cod. Rozr.* [7]) ubi fratrem Hieronymum praefecerat *Cod. Rozr.* [8]) Creslao *Cod. Rozr.*

nensis et Calissiensis Dux (ad illius enim Ducatus sortem dinoscebatur pertinere) repetiturus, post multas altercationes, invasiones et terrarum hinc inde vastationes, per quas agricultura deperibat et damna invalescebant, solitudinem terris illatura, expeditionem contra Cuyaviam indicit, et de omnibus terris Maioris Poloniae etiam fratris sui Przemislai pridem mortui, quae fratre obeunte suo, velut curatoris parebant imperio, in notabili equestrium et pedestrium multitudine convenientibus, Boleslaus Dux Cuyaviam invadit et oppidum, castrumque Iuniwladislawiam [1]), quod primum sibi Cuyaviam ingredienti occurrebat, obsidione cingit et fortius quo potest omni genere et ingenio impugnat. Cui veluti confoederato Warcislaus [2]) Boguphali Slawiae et Kaszubitarum Dux cum potentia suarum gentium personale laturus auxilium [3]), advenit. Quod Kazimirus Cuyaviensis Dux considerans, vastationem Principatus sui et periculum, quod oppido et castro obsessis imminebat, aversurus (neque enim, si cum Boleslao decerneret, parem se fore confidebat [4]), copiae insuper gentium suarum adhuc in arma cogendae erant) missis caduceatoribus, pacem a Boleslao deposcit, offerens se et castellaniam Landensem male occupatam redditurum, et castrum Landense, quod superaedificaverat, deducto praesidio militari, demoliturum. Ad quae exequenda, Boleslao Calissiensi Duce oblatas pacis conditiones velut aequas non abnuente, dies constituitur, et pactum literis et sigillis, stipulationeque manuali firmatur. Boleslaus quoque Calissiensis Dux credens hostem suum Kazimirum Cuyaviensem [5]) pactis staturum, et agrum [6]) et oppidum obsidione solvens, in propria redit. Verum Kazimirus Cuyaviensis Dux, hostem se fefellisse et ex agro obsidioneque deduxisse gloriatus, nihil eorum, quae pactus erat, implevit.

Fulco Gnesnensis archiepiscopus moritur, cui Ianussius succedit.

Quinta die Aprilis, Lanciciae Fulco Gnesnensis archiepiscopus, vir grandaevus, literatus et religione plenus, cum annis quatuor et viginti in sella [7]) metropolitica sedisset, post mensem ex quo languerat, moritur, et in ecclesiam Gnesnensem deductus, iusto honore tumulatur. Ad substituendum autem alterum archiepiscopum dum capitulares die vicesima Maii indicta convenissent, Ianussium praepositum Gnesnensem, genere Polonum et nobilem, concordibus votis eligunt in pastorem: qui pro obtinenda suae electionis confirmatione, Henricum decanum Posnaniensem, Aegidium archidiaconum

---

[1]) Innowladislaviense *Cod. Rozr.* [2]) Wratislaus *Ed. Lips.* [3]) personaliter laturus auxilia *Cod. Rozr.* [4]) considerabat *Cod. Rozr.* [5]) Cuiaviensem Ducem *Cod. Rozr.* [6]) castrum *Ed. Lips.* [7]) sede *Cod. Rozr.*

Lanciciensem et Przibislaum canonicos Gnesnenses ad Urbem transmisit. Intelligens autem propter constitutionem novam, ecclesiis cathedralibus onerosam, nisi praesentialiter [1]) veniret, promotionem suam et confirmationem sequi non posse, ad Alexandrum quartum [2]) Romam se personaliter fatigavit, confirmationemque suam faciliter, feria sexta ante Dominicam Invocavit, obtinuit, atque in ipsa Dominica Invocavit Romae consecratus, Poloniam incolumis rediit, Henrico decano Posnaniensi et Przibislao canonico Gnesnensi, comitibus sui itineris, in Lombardia peste absumptis.

Monasterii primi monialium in Zawichost fundatio.

Cracoviensis et Sandomiriensis Dux Boleslaus Pudicus Sexto Nonas Martii apud villam Korczin omnium suarum terrarum agit conventum: ad quem non solum Prandotha Cracoviensis episcopus et barones ac proceres Cracoviensis et Sandomiriensis terrarum, sed etiam Kazimirus Cuyaviensis, Lanciciensis, Siradiensisque, et Semovitus Masoviae, Duces, Boleslai Pudici fratres patrueles germani, personaliter cum suis consiliariis rogati advenerant. Tractatus autem illic disserendi, non de bello hostibus inferendo, non de finibus propagandis, non de quaestu augendo, sed de rebus honorem Dei et salutem proximorum concernentibus, erant. Tractavit siquidem pius Princeps, et id se in summis desideriis, quae in eo felix sua consors Kinga accenderat, longo gestasse tempore asseruit, ut monasterium virginum, cum nullum in terris suis haberetur, honorem divinum aucturus, et baronum ac nobilium suorum filiabus conditioni infirmae vel pannosae, aut connubia aspernaturis, provisurus, satisfacturus insuper sororis suae Salomeae Gallaciae quondam Reginae precibus, fundaret [3]), petens se et propositum suum Kazimiri et Semoviti Ducum fratrum suorum, Prandothae episcopi et baronum congregatorum consiliis iuvari. Omnibus autem intentionem suam magna laude, magnaque commendatione certatim efferentibus, Zawichostensis oppidi locus aptissimus visus est, qui rem destinatam et ab omnibus laudatam expleat. Oppidum itaque Zawichostense et villas ducales quinque et viginti ad illud pertinentes, et nonnullas alias Sandomiriensi oppido vicinas, praedia insuper, lacus et telonea, quae pro sexaginta virginibus possent sufficere, novo virginum monasterio in dotem donat, literisque ducalibus donationem perpetuat, decernens villas et oppidum a se donatas, sempiterno tempore debere esse liberas et ab omni Regum, Ducum et dominorum temporalium iurisdictione,

---

[1]) personaliter *Cod. Rosr.* [2]) Alexandrum tertium *Cod. Aut.* [3]) fundaret *deest in Cod. Aut.*

exactione et tributo immunes. Suis deinde sumptibus et ecclesiam et monasterium, habitationesque famulabus Dei aedificat et consummat, religionemque monialium Sancti Damiani, ordinis Sancti Francisci, quam in praesentiarum [1]) Sanctae Clarae vocitamus, in locum a se fundatum et dotatum inducit. Quam quidem Sanctam Claram Alexander Papa quartus anno immediate praecedenti Sanctorum catalogo ascripserat, religioque ipsa nomine mutato, Sanctae Clarae appellata. Ideo autem Boleslaus Pudicus fratres suos patrueles Kazimirum Cuyaviensem, et Semovitum Masoviae Duces [2]) ad id consilium adhibuit, ut fundatio et dotatio monasterii praedicti Zawichostensis eorum approbatione et consensu validior atque solidior fieret. Cum enim sterilis atque orbus esset, et suorum Ducatuum, se absumpto, Kazimiro Cuyaviensi, et Semovito Masoviae Ducibus [3]) et filiis eorum successio deberetur, operae pretium visum est, successores in rem approbationem facturos, ne irritari aut rescindi sterilitatis aut quocumque alio colore posset, acciri. Quo siquidem negotio confecto, pia mater Boleslai Pudici Grzimislawa, quae et ipsa fundandi monasterii praefati Zawichostensis ardorem sedula admonitione iniecerat, defuncta est et in monasterio Fratrum Minorum in Zawichost sepulta, duobus et triginta annis in viduitate exactis.

Anno eodem motus terrae per universam Poloniam exortus est: ex quo processu temporis Polonica regio guerris, dissensionibus et plurimis incommodis vexata est. Idem quoque motus terrae in Bohemia, Russia et Hungaria fuerat.

Stroynatus Lithuaniae Dux partem terrae Masoviae circa Czyrnyn depraedatus est, et castrum Orzimow conquirens, viros et puberes occidit, impuberes vero igne concremavit et plures feminei sexus personas in captivitatem abduxit, maximam et crudelem, plus quam barbaricam in catholicos exercens tyrannidem et impietatem.

ANNUS DOMINI 1259.

Warcislaus Dux Slaworum Pomeraniam populatur.

Warcislaus Slaworum et Kaszubitarum Dux iniurias suas, frequentius a Swantopelkone Pomeraniae Duce sibi et terris suis irrogatas, ulturus, congesto ex omnibus subditis suis exercitu, habens insuper Ducis Calissiensis Boleslai sibi confoederati, gentium et militum expeditorum solatia [4]), pro

[1]) in praesens *Cod. Rozr.* [2]) Duces *deest in Cod. Aut.* [3]) Ducibus *deest in Cod. Aut.* [4]) auxilia *Cod. Rozr.*

praesenti necessitate sua a Boleslao Pio Calissiensi Duce transmissa [1]), habens insuper in suo comitatu episcopum Kamyenensem Wolimirum [2]), qui iniurias sibi tam in villis episcopatus sui illic consistentibus, quam in manipularibus decimis illatas, aeque propulsaturus, advenerat, in terram Pomeraniae praefati [3]) Swantopelkonis hostiliter ingreditur [4]), eamque incendiis, caedibus et depopulationibus vastare coepit. In Slup autem perveniens, ut expeditius vastationi [5]) terrae hostilis intenderet [6]), impedimenta et sarcinas, ac pro custodia illarum episcopum Kamyenensem [7]) cum aliqua parte copiarum in stativis Slupensibus relinquens, ipse cum delectis et expeditis militibus ad vastandum ire pergit. Quo Swantopelk ab exploratoribus comperto, Warcislaum quidem Kaszubitarum Ducem, reputans cum illo decernere periculosum, grassari in subditos et tecta uri, praedasque et spolia agere permittens, ipse in episcopum Kamyenensem [8]) et milites ad impedimentorum et sarcinarum custodiam a Warcislao relictos, cum gentibus irruit, et incautos opprimens et debellans, episcopo Kamyenensi [9]) cum paucis fuga elapso, caeteros omnes aut occidit aut captivat, omnibusque spoliis potitus, priusquam a Warcislao et eius exercitu opprimi posset, in castra et munitiones, plus lucri spoliis, quam ex hostili vastatione damni consecutus, se recepit.

Kazimirus Cuyaviae Dux sub absentia Boleslai Calissiensis Ducis, Ducatum eius vastat: quem Boleslaus a tergo aggressus profligat, et cum magna potentia iterum Kazimiri terras invadit et Lanciciam capit.

Vicem vastationis terrae suae Cuyaviensis per Boleslaum Calissiensem et Warcislaum Kaszubitarum, Duces, infortunio eiusdem Ducis Warcislai, quod ad Slupenses stationes a Swantopelko pertulerat, accepto, Kazimirus Cuyaviensis, Lanciciensis et Siradiensis Dux repensurus, terram Calissiensem cum omnibus suis potentiis clandestine ingressus, quanta potest ampliori saevitia in eius destructionem [10]) debacchatur. Quod cum per celerem nuntium Boleslaus Pius Calissiensis Dux, ex Kalisch in Posnaniam iter faciens, comperisset, ex medio itinere reversus, triginta tantummodo militibus in locis quae praeteribat recollectis, cum curiensibus et familiaribus suis, agrestibusque, quibus pecus ereptum erat, Kazimirum Ducem et exercitum suum praeda onustum et pecus agentem [11]) insectatur. Quem in pinoso nemore, quod So-

---

[1]) ei transmissa *Cod. Rozr.* [2]) Cuiaviensem Volmirum *Cod. Rozr.* [3]) dicti *Cod. Rozr.* [4]) advenit *Cod. Aut.* [5]) vastationem *Ed. Lips.* [6]) promoveret *Ed. Lips.* [7]) Cuiaviensem *Cod. Rozr.* [8]) Cuiaviensem *Cod. Rozr.* [9]) Cuiaviensi *Cod. Rozr.* [10]) devastationem *Cod. Rozr.* [11]) abigentem *Cod. Rozr.*

lyecz [1]) dicitur, inter Opathow [2]) archiepiscopalem, et Kalinam alias Klomeam militarem villas situm, consecutus, neque suam paucitatem, neque hostilem multitudinem pensi habens, in Kazimiri Cuyaviensis Ducis exercitum, concione perprius et in pugnam et in mortem suis animatis, a tergo irruit: et postremis aciebus debellatis, primis [3]) fortem et numerosum exercitum Boleslai Calissiensis Ducis (cum tegmen opponentibus arboribus, quantus fuerit, dinosci non posset) existimantibus [4]), in fugam vertit. Multis itaque caesis, multis insuper captivatis, Duce Cuyaviensi per fugam evadente, et praeda omnis hosti excussa et agrestibus reddita est, et Boleslai Calissiensis Ducis exercitus trecentis equis, caeterisque spoliis hostilibus potitus. Sed et palatinus Cuyaviensis Martinus, licet saucius, vivus tamen [5]) in potestatem Boleslai Calissiensis Ducis cum caeteris nobilibus fugam execrantibus, venit. Referebant postea milites Kazimiri Cuyaviensis Ducis [6]), tanto se pavore, dum illos Boleslaus Calissiensis Dux invaderet, correptos fuisse, ut circa singulas nemoris arbores ingentes hostiles copias arbitrarentur consistere. Non quievit tamen hac clade perculsus Kazimirus Cuyaviensis Dux, sed Herkaboldum [7]) Gnesnensem et Nicolaum Calissiensem, palatinos, Simonem presbyterum fratrem Herkaboldi [8]) palatini Gnesnensis, pluresque alios nobiles in colloquium evocatos, captivos suos in Solecensi clade captos liberaturus, captivat, et in oppido Pakoscz ad Ducatum et dominium Boleslai Calissiensis Ducis pertinente novum castrum aedificat, et per milites in illius praesidium a se locatos vicinam oram spoliis et direptionibus infestat. Non tulit autem Boleslaus Calissiensis Dux tot et tantas Kazimiri in se et suos depromptas iniurias, sed die sexta Octobris cum Boleslao Pudico Cracoviensi et Sandomiriensi Duce patruele, Ruthenorum et Cumanorum [9]) habente solatia [10]), et Semovito Masoviae Principe [11]), germano eiusdem Kazimiri Cuyaviensis Ducis, fratribus, ob lacessitos eorum Ducatuum iniuste fines merito illum infestum et exosum habentibus, et qui contra Kazimirum Cuyaviensem Ducem [12]), velut communem pestem et publicum hostem, foedus et societatem pepigerant, item cum Romano filio Danielis Regis Russiae, quem in sui solatium [13]) Semovitus Dux Masoviae cum Ruthenorum exercitu adduxerat, terram Lanciciensem eiusdem Kazimiri Ducis Cuyaviensis ingressus, in eius exterminium et vastitatem tam incendiis quam spoliis et caedibus saeviebat. Universa autem Lanciciensi terra in miseram solitudinem et calamitatem, etiam hosti complorandam, redacta, castrum in illa aedificant, et vallis, fossatisque et

---

[1]) Saliecz *Ed. Lips.* [2]) Opathowek *Cod. Rozr.* [3]) primas quoque *Cod. Rozr.* [4]) existimantes facile *Cod. Rozr.* [5]) tamen *deest in Cod. Aut.* [6]) Ducis *deest in Cod. Aut.* [7]) Hercobaldum *Cod. Rozr.* [8]) Hercobaldi *Cod. Rozr.* [9]) Comanorum *Cod. Aut.* [10]) auxilia *Cod. Rozr.* [11]) Ducibus *Cod. Aut.* [12]) Ducem *deest in Cod. Aut.* [13]) auxilium *Cod. Rozr.*

victualibus munitum [1]), illud in fidem et potestatem Semoviti Masoviae Ducis commendant. Quibus rebus Kazimirus Cuyaviensis Dux, qui alias et in factis et verbis superbo fastu tumebat, adeo humiliatus est, ut missis legatis, sufferentias pacis ad diem beati Andreae Apostoli duraturas, a Ducibus praestandas expeteret, et in eodem Sancti Andreae die, iuxta communium baronum arbitrium decretum, et castris occupatis et finibus se cessurum, et imperata [2]) a baronibus se iureiurando spopondit impleturum.

Duodecimo Calendas Ianuarii Hedvigis Ducissa, consors Boleslai Legniczensis Ducis et filia Comitis de Anhald [3]), obiit.

Fundatio monasterii sanctimonialium Sanctae Clarae in Gnesna.

Exemplum Boleslai Pudici Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis Boleslaus Pius Calissiensis Dux secutus, alterum in civitate Gnesnensi feminarum monasterium Minorissarum seu Sanctae Clarae fundat et villis, praediis et introitibus ex fisco ducali liberaliter dotat et libertat.

Kazimirus Cuyaviae Dux castrum Raczansch episcopo Wladislaviensi eripit.

Principatibus suis, Lanciciensi, Cuyaviensi [4]), Kazimirus Dux non contentus, castrum Raczansch [5]) cum suo districtu ab ecclesia Wladislaviensi et episcopo Wolimiro auferens, per iniuriam occupat et suae applicat ditioni. Wolimirus autem episcopus Wladislaviensis tam gravem iniuriam non ferens, Kazimirum Cuyaviensem Ducem excommunicat et terras suas ecclesiastico subiicit interdicto, confestimque, ne per Ducem Kazimirum impeti posset, diocesim suam egressus, in Cracoviensi diocesi apud Lagow morabatur. Dux autem Kazimirus, cum in episcopum non posset, in bona sua saevire coepit et plures curias suas cum horreis et frumentis sub tempore Quadragesimae igne consumpsit.

Ianussius in archiepiscopum Gnesnensem Romae consecratur.

Gnesnensis ecclesiae electus [6]) Ianussius, literis nuntiorum suorum, Hen-

---

[1]) impletum *Cod. Rosr.* [2]) impetrata *Cod. Rosr.* [3]) Hanhadl *Cod. Rosr.* [4]) Cuyaviensi, Siradiensique *Cod. Rosr.* [5]) Raciąsch *Ed. Lips.* [6]) electus archiepiscopus *Cod. Rosr.*

rici decani Posnaniensis, Aegidii archidiaconi Lanciciensis et Przibislai, canonicorum Gnesnensium, doctus, confirmationem suam ob statutum Alexandri Papae quarti, quo cavebatur, quemlibet in Sedem metropolitanam electum conspectui Summi Pontificis praesentari oportere, subsequi non posse [1]), in Curiam personaliter transiit. Ubi repraesentatione Summo Pontifici feria sexta ante Dominicam Invocavit facta, et electio sua confirmata est, et ipse mandato Papae illic die Dominico Invocavit consecratus, tarditatem priorem celeritate subsequenti, Papa Alexandro pensante [2]). In redeundo vero eo incolumi evadente, nuntios suos Henricum decanum Posnaniensem et Przibislaum, canonicos Gnesnenses, in Lombardia pestis absumpsit.

Thartari Poloniam per tres menses populantur, Sandomiriam cum castro acquirunt et comburunt, Boleslao in Hungariam fugiente, Cracoviam capiunt; tandem nullo resistere audente, cum maxima praeda ad suos revertuntur.

Expertes erant Cracoviensis et Sandomiriensis terrae civilium, quae inter Principes Poloniae agebantur, bellorum, sed hae quoque rursus in bellum atrox et plusquam civile (adeo [3]) pacis bonum, sive sceleratae actiones humanae, sive fatorum invidia id causet, rarum et caducum est) pertractae sunt. Advenit namque [4]) in illas statim post festum beati Andreae Apostoli, Thartarorum ingens exercitus, plures de solis Thartaris, quorum Nogay et Telebuga erant Duces, continens legiones: hunc Ruthenorum et Lithuanorum Duces per suas gentes et copias ingentiorem fecerant. Qui dum Wislam et caeteros fluvios gelida hieme et glaciebus induratos facile transissent, subito Sandomiriam perveniunt, et oppido Sandomiriensi incenso, ecclesiisque conflagratis, Sandomiriense castrum, in quod fere universa Sandomiriensis regio cum coniugibus, pignoribus et fortunis, Thartarorum adventu vulgato, confugerat, corona cingunt, et nec ad quiescendum aut colligendum animos ex subito pavore spatio dato, illud nocte et interdiu oppugnant. A quo dum militum Poloniae brachio et resistentia repulsi forent, Waschilko Dux, frater Danielis germanus, Leo insuper et Romanus, filii Danielis Regis Russiae, videntes castri Sandomiriensis difficilem et periculosam expugnationem existere, caduceatores ad Petrum de Krampa militem, Sandomiriensem tunc capitaneum mittunt, persuasuros: ne, cum vivere et se atque arcem et eos, qui in arcem ad se confluxerant, servare possit, perdere et extrema pati contendat [5]),

---

[1]) subsequi non posse *deest in Cod. Aut.* [2]) praesente compensavit. *Cod. Rosr.* [3]) maxime *Cod. Rosr.* [4]) enim *Cod. Rosr.* [5]) persuasuros, ut si secum universis, qui ad castrum confluxerant, servare incolumes velit, *Cod. Rosr.*

humiliatusque potius et tributum a Thartaris imponendum pensurus, in Thartarorum castra securus, quam resistentiam de caetero facturus, adveniat. Neque ea per caduceatores depromere contenti, etiam ipsi personaliter Petrum de Krampa capitaneum conveniunt, et iisdem quae a caduceatoribus dicta erant, et amplioribus illum, velut virum simplicem et Ruthenicae dolositatis atque fraudis parum gnarum, inescatum [1]) et circumventum, tam sibi quam omnibus, qui in castro erant, securitate data, et quo magis illi fidei inesset, treuga in dies aliquot pacta, in stativa tandem Thartarorum haud procul a castro consistentia, germanum fratrem Sbigneum et alios Poloniae milites magis insignes illum comitantes perducunt. Ubi etsi Thartarorum Ducibus adoratis, tributum se illis, quemadmodum inter eum et Russiae [2]) Duces convenerat, pensurum obtulisset: neque [3]) oblatione, neque adulatione Thartari ad misericordiam moti, tam Petrum de Krampa capitaneum Sandomiriensem, quam Sbigneum fratrem suum, et omnes milites Polonorum, qui secum una advenerant, sero se a Ruthenorum Ducibus querentes proditos, hospitali violata fide captivant, et spoliatos, verberatosque, ad ultimum caesos capite obtruncant. Cum valido deinde concursu et clamore ad castrum invecti, quo vel solo imbellis agrestium, infantium et matronarum turba, capitaneum suum [4]) et alios suos milites et defensores audiens crudeli supplicio enecatos, perterrita, castrum facile (non enim a quoquam defendebatur) irrupit, et omnes pene illic repertos, virginibus tantummodo et ingenuis matronis pro explenda libidine reservatis, saevissime trucidant, castroque rebus omnibus spoliato et incenso, plerosque homines, quibus aliquorum feritas pepercerat, ad undas fluminis Wislae grege facto impulsos, quasi iam dexterae caede defatigatae essent, aquis suffocant, sed et homines languidos et valitudinarios ad ecclesiam Sanctae Mariae confugientes, laceratos necant. Fertur tantum tunc Christianici [5]) et Polonici cruoris barbarica rabie fusum, ut ex colle in quo arx sita erat, in Wislam fluvium arci vicinum quasi quodam torrente defluxerit. Ea caede Cracoviam perlata, Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux vehementi dolore, manantibus lacrimis, affectus, dum ad resistendum Thartarorum potentiis se imparem nosset, arce Cracoviensi in custodiam et defensionem Clementis castellani Cracoviensis et militum atque civium Cracoviensium, qui omnes se in illam cum uxoribus, infantibus et quibuslibet rebus contulerant, commendata, cum Kinga Ducissa et consorte sua in Hungariam abiit, illicque aliquanto tempore degit, quousque intellexit Thartaros in sua rediisse: qui [6]) clade et spoliis Sandomiriensibus non contenti, Ruthenorum Ducibus et hominibus ductum praestantibus, Cracoviam

---

[1]) promissis inescatum *Cod. Rosr.* [2]) Ruthenorum *Cod. Rosr.* [3]) neque tamen *Cod. Rosr.* [4]) solum *Cod. Rosr.* [5]) Christiani *Cod. Rosr.* [6]) Tartari vero *Cod. Rosr.*

adeunt, quam etsi reperissent vacuam, in tecta tamen et homines valitudinarios, qui fugere non poterant, ferro saeviunt. Multis quoque ex agrestibus utriusque sexus in eundo et redeundo occisis aut captivatis [1]), multo insuper pecore, multisque spoliis onusti, miserabilem secum captivorum ducentes [2]) turbam, miserabiliores eiulatus et fletus emittentem, quod parentes, patriam et penates suos amplius non essent visuri, in Thartariam, nullam resistentiam experti, onusti praeda ingenti, tribus mensibus Poloniam populati, sub quibus plurimi captivi fuerant apud illos redempti, revertuntur. Multo maiori clade, maiorique caede et spolio in Polonos et Poloniam debacchati, quam qui [3]) milites Cracovienses et Sandomirienses ad Tursko et Chmelik, et Henricum Ducem Slesiae ad Legniczam, non sine suorum strage et incruenta victoria, ante annos circiter decem et octo conflixerant. Corpora eorum, qui in castro Sandomiriensi fuere caesi, in ecclesia et cimiterio Beatae Mariae Sandomiriensi condita sunt, et ecclesiae illi, nuntiis Boleslai Pudici Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis, Prandothae episcopi et ecclesiae Cracoviensis, videlicet Bodzantha decano et Alberto canonico Sandomiriensibus, interpellantibus, et quanta fidelium caedes per Thartaros illic edita fuerit, declarantibus, par Indulgentia, quam ecclesia Sanctae Mariae ad Martyres de Urbe habet, per Alexandrum quartum concessa: quam Polonicus populus magnam Indulgentiam vocans, tanto cultu, tantaque veneratione extunc et modo prosequitur, ut ad merendum illas, pro die secunda Iunii, quasi etiam reliquias Martyrum tunc a Thartaris [4]) occisorum, honoraturus, singulis annis (quod nemini alteri ecclesiae in Polonia reor contingere) in multitudine frequentissima accurrat.

ANNUS DOMINI 1260.

Mendog Dux Lithuaniae baptisatus, ad idololatriam rediens, omnem Masoviam vastat, castroque et civitate Ploczensi exustis, et tandem Prussia tota depopulata, rediit cum praeda.

Mendolphus alias Mendog, sive Mindale [5]), Lithuanorum Princeps, et quem Fratres Cruciferi de Prussia, frequentibus in Lithuaniae oram expeditionibus usi, primum fidem catholicam cum nonnullis Pruthenis et Lithuanis suscipere, deinde se Regem gerere induxerant, sub eodem anno, quo baptismi lavacro renatus erat, cum omnibus baptisatis ad idololatriam et vomitum rediit.

---

[1]) captis *Cod. Rozr.* [2]) deducentes *Cod. Rozr.* [3]) quo *Ed. Lips.* [4]) barbaris *Cod. Rozr.* [5]) Mindak *Cod. Rozr.*

Huius Mendolphi Fratres Cruciferi de Prussia plures habent literas, quibus illis et eorum ordini, multipliciter se ab illis et honoratum et adiutum, simulate et ficte magis, quam iuste et vere astruens, plures terras, quae ditionis suae erant, videlicet Curoviensem, Iaczwingorum, Samagitarum, Weyzensem [1]), et deinde totam terram Lithuaniae, donatione perpetua et irrevocabili largitur, donat et inscribit. Poteratque suae in idololatriam reversionis vel principalis vel accessoria esse causa, doloris magnitudo et poenitentiae, quod a Cruciferis sive coactus, sive circumventus, tot terrarum donationem, quam aversione rescindere conabatur, fecerat. Valido deinde exercitu ex Lithuanis, Pruthenis [2]), Iaczwingis, Samagitis et aliis infidelibus nationibus secum sentientibus, qui triginta millia pugnatorum habuisse aestimatus est, congesto, Masoviae terram hostiliter depopulandam clandestine et insperate ingreditur. Et Semovito Masoviae Duce, qui nec spatium ad cogendum milites suos in arma habere poterat, pugnam cum tot barbarorum millibus committere propter evidens periculum detrectante, Mendog praefatus et exercitus suus in omnem Masoviae oram [3]) et eius incolas crudelissime grassatus, et castrum Ploczense a militibus, et civitatem a civibus et defensoribus deserta esse reperiens, succendit. Caetera deinde oppida et villas totius terrae Masoviae incendiis, spoliis et caedibus vastavit, et plures utriusque sexus homines captivos in servitutem, cum ingenti pecoris praeda in Lithuaniam remisit. Terra autem Masoviae pervastata, in Prussiam abiit, ubi Cruciferis castra tantummodo et munitiones tueri contentis, urbes quas Cruciferi exstruxerant, flamma et caede delet et evertit, et Catholicos omnes illic repertos caede permiscua lacerat et obtruncat, strageque horribili et ingenti in hominibus, quorum etiam (crudelitatem suam et furorem demonstraturus) aspernabatur captivitatem, edita, pecus tantummodo et spolia in Lithuaniam reduxit.

Castrum Santhok a Regno Poloniae alienatum.

Boleslaus Pius Calissiensis Dux, una maiore ex quatuor filiabus Przemislai Ducis olim Posnaniensis germani sui, nomine Constantia, Conrado Marchioni de Brandeburg alias Sgorzelecz, matrimonialiter desponsata, pro dote, quam secum virgo Constantia latura erat, castrum et castellaniam Santhoczensem, non sano usus consilio et integritate Regni Poloniae, cuius ea re scissura agebatur, parum propitius, donat, obligat et inscribit. Ab eoque tempore castri et castellaniae praefatorum Santhoczensis alienatio orta, lon-

---

[1]) Vczizensem *Cod. Roźr.* [2]) Ruthenis *Ed. Lips.* [3]) terram *Cod. Roźr.*

gam palaestram Polonis et Saxonibus, utrisque pro illius adeptione et proprietate adnitentibus, ex qua et multum sanguinis fusum est, et dispendia hinc inde secuta, in hanc usque diem reliquit. Reliquae tres sorores filiae Przemislai, connubia perosae, duae videlicet Veronica et Eufrosina Trzebniczense monasterium ordinis Cisterciensis, primum sorores, deinde propter morum et virtutum praestantiam abbatissae; Offka vero Gnesnense Sanctae Clarae a patruo Boleslao Pio Calissiensi Duce fundatum monasterium ingressae, feliciter illic, obsequiis divinis mancipatae, absumptae sunt.

Thartari in Sandomirienses caede edita, monasteria Zawichostense et Calvi Montis ac alias terras Minoris Poloniae impune vastant.

Thartarorum validus exercitus Poloniam magna velocitate ingressus, castro et civitate Sandomiriensi conquisitis, multa hominum utriusque sexus millia illic reperta barbarice trucidat, caeteros pecorum more in Wislam impellentes, aquis [1]) suffocat; feminas speciosas et adolescentes in servitutem abduxit. Monasterium Zawichostense et Calvi Montis vastant; ad Cracoviam usque et Bythom agendo praedam et strages, captivitatesque hominum, grassantur. Et duobus mensibus integris in Polonia commorati, factis multis incendiis, cum maxima hominum captorum et rerum praeda ad propria per Russiam, Ruthenis et eorum Ducibus eis solatia [2]) ferentibus, revertuntur, nullo multitudini Thartaricae audente resistere. Dux enim Boleslaus Cracoviensis in Hungariam secesserat, Prandotha episcopus Cracoviensis in castrum Rathiboriense, milites et nobiles in arcibus aut silvis degebant. Ad hanc vastationem Kazimirus Cuyaviae Dux Thartaros insimulatus est induxisse, quem Poloniae Duces propterea delere conati sunt, et multas ei iniurias et contumelias irrogarunt.

Bela Hungariae Rex et Premislaus Bohemiae Dux bellum in foedus pacemque commutant.

Treugis inter Belam Hungariae Regem ab una, et Premislaum Bohemiae Ducem, partibus ab altera [3]), expirantibus, ab utroque in novum bellum occasione Stiriae, quam uterque sibi vendicabat, itum est, et magnis copiis, variisque nationibus gestum. Belam siquidem Hungariae Regem Bole-

[1]) impellendo, undis *Cod. Roer.* [2]) auxilia *Cod. Roer.* [3]) partibus ab altera *deest in Cod. Aut.*

slaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux velut gener socerum, item Lestko Niger Siradiensis Dux Kazimiri Cuyaviensis et Lanciciensis Ducis filius, quem secum una Boleslaus Pudicus in soceri solatium [1]) adduxerat, item Daniel Russiae Rex, et filii eius Leo et Romanus, Bulgari insuper, Raczones et Bosnenses: Premislaum vero Bohemiae Ducem Henricus Wratislaviensis, Wladislaus Opoliensis, Ulricus Dux Carinthiae, Otto Marchio Brandeburgensis, adiuvabant. Belae autem Hungariae Regi Moraviam ingressuro, et tam illam quam Bohemiam vastaturo, populationem suorum prohibiturus, Quarto Idus Iulii Premislaus Bohemiae Dux cum auxiliaribus prope Theben, ubi Morawa fluvius miscetur Danubio, occurrit, et unam ripam Morawa Hungaris, alteram Bohemis observantibus, stativa illic utriusque exercitus usque ad diem beati Iohannis Baptistae, lacessentibus se invicem Hungaris et Bohemis, habita sunt. A quibus Premislaus Dux Bohemiae secedens, versus oppidum Lawa ire pergit: quem Stephanus Belae Regis filius, aliqua parte copiarum a patre impetrata, facilius in itinere oppressurus aggreditur. Ubi certamine inito, Stephani exercitus, cum inferior quam Bohemicus esset, cum universis Premislai Ducis potentiis decernens, fusus fugatusque est, et ad reliquum exercitum, quem Bela Hungariae Rex cum Ducibus auxiliaribus in castris continebat, accurrens, in flumine Morawa plures quam praelio amisit. Treuga deinde aliquot dierum interposita, pax inter Belam Hungariae Regem et Premislaum Bohemiae Ducem per communes barones tractata et aequis conditionibus, Bela Rege de iure cedente Stiriae, composita et conclusa est, adiecta etiam affinitate, quo diuturnior foret.

Andreas Czyolek episcopus Ploczensis moritur: Petrus Nyedich succedit.

Andreas episcopus Ploczensis vocatus Czyolek, cum annis sex sedisset, moritur et in Ploczensi ecclesia sepelitur. Cui a capitulo electus et a Ianussio Gnesnensi archiepiscopo confirmatus, Petrus succedit dictus et cognominatus Nyedich, nobilis de domo Serpentum, canonicus Ploczensis, de Semoviti et Kazimiri Ducum Masoviae consensu.

Prutheni et Lithuani Cruciferos in Prussia invadunt.

Castri Karszowin in monte Sancti Georgii erectione per Magistrum et Cruciferos Prussiae facta, Prutheni et Lithuani barbari vehementer irritati,

[1]) auxilium *Cod. Rozr.*

pro illius exterminio cum quanto maioribus poterant copiis ire pergunt. Duobus autem exercitibus, Prussiae videlicet et Livoniae, qui in defensionem castri advenerant, offensis, in die Sanctae Margarethae iuxta fluvium Durom in Curlandia confligunt, et magna strage edita, et Henrico de Hornshuszen [1]) Magistro Livoniae, item Henrico Marsalco Prussiae, et pluribus aliis Cruciferis occisis, caeteris vero in fugam versis, victoria barbari potiuntur, et tam castrum Karszowin, quam Heylsburg, maceratis fame defensoribus, conquirunt. Ad castrum deinde Kinsberg obsidione promota, in ponte, quem super flumen Pregor construxerant, plures numero a Cruciferis trucidati, obsidionem residui solvere coacti sunt.

* Helmericus sextus Magister Prussiae succedit. *

Prutheni neophyti ad idololatriam reversi, Christianos finium suorum necant.

Ex huiusmodi autem victoria Prutheni neophyti in superbiam versi, ad idololatriam, fide Christiana relicta, in vigilia Sancti Matthaei [2]) apostant. Et constituto sibi Glappino [3]) pro duce et capitaneo, correptis armis, in omnes Christianos, qui intra fines illorum habitabant, crudelissime saeviunt. Sacerdotes et ministros Christi, et quoslibet Christiano charactere insignitos obtruncant, ecclesias quaslibet igne consumunt, sacramenta contaminant, sacris vasis et vestibus abutuntur.

ANNUS DOMINI 1261.

Ulturi cladem acceptam Cruciferi Lithuaniam ingrediuntur, ubi fusi et profligati sunt a Lithuanis.

Lithuanicam et Pruthenicam, eorumque Principis, quem Cruciferi Regem appellare soliti erant, Mendolphi, enormem populationem et vastationem terris Masoviae et Prussiae illatam ulturus exercitus catholicus, de terris Regni Poloniae, Cruciferis et Almanis, aliisque Cruce signatis, collectus, ad inferiores terras Prussiae ad districtum Nactangorum [4]) in festo Purificationis Sanctae Mariae (hoc enim tempus, stagnis, fluminibus et paludibus, quibus ora Lithuanica ferax est, caeterisque lubricis locis frigore duratis, aptius pro exequendo [5]) destinato opere visum est) convenit. Et aciebus ordinatis,

[1]) Horuschuszen *Cod. Rosr.* (Hornhausen) [2]) Matthaei Evangelistae *Cod. Rosr.* [3]) Glippino *Cod. Rosr.* [4]) Noctangorum *Cod. Aut.* [5]) pro consumando *Cod. Rosr.*

terras Lithuanorum, Samagitarum, Iaczwingorum et aliorum gentilium et idololatrarum intravit, terras ipsas vastitati et desolationi per caedem et incendia subacturus. His autem, quae in principio occurrebant, in stragem et flammas datis, cum residuum iter, quo in interiora Lithuanorum et aliarum nationum perversarum penetrandum erat, viscosum et pluribus difficultatibus refertum esset, fames quoque pabulorum, barbaris frumenta pauca serentibus et haec ipsa in silvis et paludibus occulentibus, crederetur tanto exercitui occursura, quadrigis et impedimentis cum parva militum manu, qui ea tuerentur, relictis, ad meditullium barbarorum itum est. Sed Lithuani, Prutheni et alii barbari, in armis et potentia sua diffisi, animos ad fraudes et dolos convertunt: et ab exploratoribus suis docti, quae esset catholici exercitus facies, quis tenor, quis ordo, milites qui ad impedimenta et sarcinas remanserant [1]), omnibus copiis invadunt, resistentesque parvo negotio (cum catholici respectu barbaricae multitudinis pauci forent) fundunt, et in ore gladii fere omnem turbam illic consistentem perimunt et delent, sarcinisque Christianorum potiuntur. Quod dum Christiani, paucis qui fuga evaserant, nuntiantibus, persensissent, ad locum sarcinarum celerrime, barbaros occupaturi, revertuntur. Erat et barbaris par animus pugnam conserendi, propter quod et Christianorum reditum in sarcinarum loco operiebantur. Convenientibus Christianis et barbaris, fit durum certamen inter utrosque, et pluribus horis, ducibus suos adhortantibus, aequo Marte pugnabatur. Et licet magnae turmae barbarorum cecidissent, Christianis tamen primum pedem referentibus, mox etiam terga vertentibus, barbaris provenit, iusto Deo facinora Christianorum plectente, victoria. Qui vicisse contenti et locum insidiarum incidere veriti, profugientes persequi substiterunt: quo effectum [2]) est, ut clades aliquanto minor, quam pro numero ederetur. Cecidit autem in huiusmodi praelio miles insignis [3]) Schinkol de Bythen [4]) genere Westfalus: qui barbarorum cuneos transverberans, antequam medietatem attigisset, barbaricis frameis obtritus est. Cecidit et Comes de Reiderer [5]), et plures alii militaris et equestris ordinis viri. Sed et non parva multitudo viva in manus barbaricas venit. Ex quibus dum iuxta suas nefarias superstitiones, Diis suis pro consecuta victoria oblaturi libamina, unum sorte deposcerent flammis cremandum, et sors in Hirczhalsz civem Maydburgensem cecidisset, beneficio quoque aliquorum barbarorum illum noscentium bis liberatus foret, tertia demum vice, dum illum sors deposceret, sponte se obtulit, et sacrilego ritu cum equo, cui insidebat, flammis crematus est.

---

[1]) relicti erant *Cod. Rozr.* [2]) factum *Cod. Rozr.* [3]) insignis et bellicosus *Cod. Rozr.* [4]) Schinkel de Bythen *Cod. Rozr.* (Stenzel de Bentheim) [5]) Keiderer *Cod. Rozr.*

Castellaniam Landensem Boleslaus Calissiensis Dux bello recuperat.

Pacta et sponsionem [1]) de restituenda castellania Landensi iniuste occupata, Kazimiro Cuyaviensi, Lanciciensi et Siradiensi Duce, de quibus inter illum et Boleslaum Pium Calissiensem Ducem contractu duplici convenerat, non servante [2]), praefatus Boleslaus Pius Calissiensis Dux cum Maioris Poloniae militibus hostiliter circa festum Sancti Bartholomaei Apostoli terras Cuyaviae intravit, et illas vastare, spoliisque afficere coepit. Ad quem etsi Kazimirus Cuyaviensis Dux nuntiis missis restitutionem castellaniae Landensis obtulit, Boleslaus tamen Calissiensis Dux illusum se iam altera vice respondens, non prius copias ex Cuyavia deduxit, donec medietas castri Landensis et castrum quod Kazimirus Cuyaviensis Dux aedificaverat, sibi et suis officialibus fuere reddita, et medietas Wolimiro episcopo Wladislaviensi post sibi aeque tradenda, fuit resignata. Pertulit et aliud Kazimirus Cuyaviensis Dux praefatus sub eodem tempore infelicitatis eulogium: duo etenim filii sui, Lestko [3]) Niger et Zemomisl, quos de prima uxore susceperat, noverca sua, altera patris sui uxore...... [4]) filia Swantopelci Pomeraniae Ducis (falsene an vere, pro incomperto habebatur) quod illos veneno tollere conaretur, insimulata, patre deserto, Zemomisl Lanciciensis, Lestko Niger Siradiensis, terras et castra, munitionesque earum, baronibus et militibus terrarum praedictarum universali assensu et favore, tyrannidem patris eorum Kazimiri et iniustitias perosis, in eorum subiectionem concedentibus, occupant, et detinebant longo tempore occupata.

Cruciferorum quatuor castra capiuntur.

Succursum facturus Christianis in Prussia clade perculsis [5]), Comes de Barboyge [6]) cum sua militia Prussiam advenit et Zambienses caedibus et spoliis afficere coepit. Quem Zambienses in die Sanctae Agnetis aggressi, devictis suis copiis, Comitem ipsum, pluribus suis occisis, captivant. Et posthaec castrum Helisberg [7]) obsident, quod magis a fame, quam ab eorum armis expugnatum, Cruciferis ex eo salvis discedentibus, consequuntur. Tria deinde castra, nomen Christianum erasuri de terra, circumsident, videlicet

---

[1]) Pacto et sponsione *Cod. Rozr.* [2]) non servatis *Cod. Rozr.* [3]) Leszko *Ed. Lips.* [4]) *Nomen secundae uxoris Kazimiri Ducis Cuiaviensis deest in omnibus Codd.; hanc autem* Eufrosinam *vocatam fuisse, diplomata exhibent.* [5]) in clade cum barbaris pugnantibus, plurimum debilitatis et perculsis, in Prussia militantibus *Cod. Rozr.* [6]) Barboigae *Cod. Rozr.* (de Barby) [7]) Heilsburg *Cod. Rozr.*

Kruczeborg [1]), Kinsberg et Bartenstein [2]), quae obsessi tanta fame macerati, ut etiam dentes amitterent, barbaris dedunt. Quartum vero dictum Reyszil [3]), antequam obsideretur, periculum quod alii in tribus castris pertulerant, veriti, Cruciferi exustum deserunt.

Flagellatorum secta in Polonia mox ut apparuit, disperiit.

Secta quaedam Flagellatorum, quae primum ex Galliis et Parisiis manasse ferebatur, errores multiplices et pravitates continens, in Almania mox coalescens et funiculos suae perversitatis dilatans, etiam ad Poloniae regiones pervenit. Incedebant siquidem homines sectam huiusmodi professi, processionaliter velatis capitibus in claustralium morem, corpore usque ad umbilicum denudato, flagellis quoque quadruplici corrigio connodatis et nodos habentibus in extremitatibus, unus alterius dorsum acriter caedebat. Agebant insuper stationes, venias, genuflexiones mirabiles, canendo carmen, quilibet iuxta distinctionem suae linguae, inconditum, cum ex variis linguis et nationibus colluvies ipsa concreta [4]) esset. Mutuo insuper se, quamvis non ordinati sed laici essent, de quantumcunque enormibus peccatis, confessione audita, absolvebant, et poenitentes solenniter introducebant, asserentes sectam suam et Deo placidam existere, et animabus propinquorum suorum, etiam damnatorum in inferno existentium et coelum possidentium, et suis dum obirent, afferre magnas consolationes et profectus. Dum autem secta haec primum Cracoviam pervenisset [5]), ecclesiis visitatis et velut poenitentiis expletis, illico de Cracovia se, Prandotha episcopo, ni celeriter inde recederent, carceres illis comminante, evolvit. Sed et in caeteris Polonicae ecclesiae diocesibus, Ianussio archiepiscopo Gnesnensi et aliis episcopis Poloniae errores eorum detegentibus, et Principibus Poloniae, ne quis Polonorum errores huiusmodi sectaretur, sub gravi poena et bonorum confiscatione mandantibus, secta ipsa irrisa et spreta est, apud alia vero Regna igne et gladio deleta: errorque, caeteris eius sectatoribus illum deserentibus, et quod laudabatur, execrantibus, subito disperiit.

---

[1]) Kruczeberg *Cod. Rozr.* [2]) Gartensteyn *Cod. Rozr.* [3]) Keyszil *Cod. Rozr.* [4]) contracta *Cod. Rozr.* [5]) advenisset *Cod. Rozr.*

Kazimirus Cuyaviae Dux terram Loloviensem occupat, quam mox Boleslaus Pudicus recuperat.

Kazimirus Cuyaviensis, Lanciciensis et Siradiensis Dux uno bello cum Boleslao Pio Calissiensi Duce, restituendo illi Landensem castellaniam iniuste a se detentam, vix perfunctus, repente aliud aeque temerarium Boleslao Pudico Cracoviensi et Sandomiriensi [1]) movit, Leloviensemque districtum usurpans [2]) et sui asserens iuris esse, castrum in colle oppido Leloviensi propinquo aedificat, quod eo discedente Boleslaus Pudicus conquirit et in suam redigit ditionem. Et quoniam Kazimirus Dux rapere et occupare solitus erat aliena, iusto Dei iudicio promeruit, ut perderet propria. Quapropter duo filii praefati Kazimiri [3]), Lestko Niger et Zemomisl [4]) in illum consurgunt, et machinati hostilia, Siradiense castrum sub eo intercipiunt, quibus milites universi Siradienses, spreto patre eorum Kazimiro, constanter adhaeserunt, tyrannidem patris perosi.

Premislaus Bohemiae Dux temere sine Imperatoris assensu regiam sibi usurpat dignitatem.

Quintodecimo Calendas Novembris Premislaus Bohemiae Dux Margaretham Ducissam conthoralem suam, cum qua annos plures in matrimonio exegerat, et propter sterilitatis opprobrium, et quia votum de ingrediendo monasterio fecisse viro primo mortuo insimulata est, dimittit et repudiat, et Kunegundem filiam Rosczislai Ducis Bulgarorum, neptem Belae Hungariae Regis, accipit in uxorem, nuptiis solenniter in Posonio celebratis. Octavo vero Calendas Ianuarii die, qui in Natalem Domini cadebat, et se in Regem Bohemiae, et praefatam Kunegundem novam nuptam in Reginam per Wernerum Maguntinensem archiepiscopum procuravit Pragae coronari. Vocatus per electores ad Imperium, venire [5]) renuit, palam inter [6]) suos iactitans, pluris Bohemiae Regnum quam Imperium fore. Nondum enim tum Pragensis sedes excellentiam consecuta erat metropolitanam, sed erat Maguntinensi archiepiscopo subiecta, et Bohemiae Rex, quoties Regnum vacare contingebat, precaria et emendicata archiepiscopi Maguntinensis coronabatur et inungebatur manu.

---

1) Sandomiriensi Duci *Cod. Rosr.* 2) sibi usurpans *Cod. Rosr.* 3) duo filii sui *Cod. Rosr.* 4) Szemomisl *Cod. Aut.* 5) venire *deest in Cod. Aut.* 6) apud *Cod. Rosr.*

Papa Alexander quartus moritur, cui Urbanus quartus succedit.

Octavo Calendas Iunii apud Viterbium Alexander Papa quartus moritur, cum annis septem et mensibus duobus sedisset, et in ecclesia Sancti Laurentii cathedrali Viterbii sepelitur. Cui Urbanus quartus, natione Gallicus Tricensis, patriarcha Hierosolymitanus, ex Terra Sancta reversus, et a Cardinalibus concorditer electus et in die Decollationis beati Iohannis Baptistae assumptus, succedit. Qui exercitum Saracenorum Siciliam devastantem, a Manfredo in patrimonium ecclesiae immissum, per crucesignatorum exercitum fugat, et Regnum praefatum Siciliae Carolo Comiti Provinciae, fratri Regis Franciae, ut a Manfredo illud recuperet, confert.

ANNUS DOMINI 1262.

Lithuani cum Ruthenis iterum Masoviam ingressi Ducem Semovitum interficiunt et filium eius capiunt, nobilitateque profligata ac omnibus exuta, ad propria revertuntur.

Conglutinati in unum Rutheni et Lithuani, iam inter se pactis et liga foederati, cum omnibus potentiis et gentis utriusque copiis hostiliter per silvas et nemora, silenter et clandestine, quo facilius incautos fallerent et opprimerent, in Masoviae terras veniunt, Ducem quoque Masoviae Semovitum Cunradi, in villa sua et curia Iaszowsko, alias Iaszdow vel Iaszden, se tunc continentem, antequam fama eorum hostilis ingressus denuntiari illi posset, nocte in vigilia beati Iohannis Baptistae aggressi, occupant, et tam ipsum Semovitum Ducem, quam filium eius Cunradum et milites una praesentes captivant, ducalemque supellectilem diripiunt. Tantum autem Ruthenorum in Polonos odium tunc exprromptum est, ut etiam saevirent in vinctos et deditos. Dux etenim Russiae Swamirus sive Swarno, nepos ex sorore Danielis Regis Russiae, in Semovitum Ducem Masoviae truculentia plusquam carnificina debacchatus, captum et ligatum (in Ruthenorum enim sortem cesserat) capite miserabiliter obtruncat. Pari caede et carnificio in filium suum Cunradum usurus, nisi sorte [1]) Mendog Duci et Lithuanis, a quibus servatus et anno eodem pecunia redemptus est, obvenisset. Barones et milites Masoviae, casu suorum Ducum et terrae suae hostili depraedatione, ad quam peragen-

[1]) forte *Ed. Lips.*

dam Rutheni et Lithuani ex Iaszowsko egressi se diffuderant, et novitate et atrocitate rei expergefacti, animos tamen non omittunt, sed tam militaribus quam agrestibus in arma coactis, alterius Principis indignam caedem ulturi, alterius liberationem effecturi, populationemque agrorum et tectorum suorum exustiones prohibituri, in campum descendunt, etiam cum periculo suo (neque enim respectu multitudinis hostilis iustam et aequam habebant aciem) parati decernere. Hostibus itaque Ruthenis et Lithuanis, Nonis Augusti, in praedio et rure, cui nomen Dlugoszyedle, consecutis, pugnam ineunt, certamineque fervente inter utrosque, quamvis Masoviae milites adnitendo pro victoria magnam in hostibus edidissent stragem, ad extremum tamen abundante hostili multitudine, Masovitis fugere coactis, Ruthenis et Lithuanis cessit victoria, pluribus insignibus militibus Masoviae aut occisis aut captis. Posthaec et captivitate Ducum et victoria elati, universam Masoviae oram et maiorem partem Cuyaviae, in plures turmas et cuneos effusi, peragrant, et hominibus cuiuscumque conditionis, partim necatis, partim captis, immensas praedas ex pecore et aliis rebus agunt, et tam oppida quam rura succendunt, onustique praeda captivorum et rerum ingenti [1]), in terras suas redeunt.

Boleslaus Pius castrum et civitatem Ploczensem reaedificat.

Conditionem miserabilem terrae Masoviae, in solitudinem pene duplici attritione barbarica redactam, Boleslaus Pius Calissiensis Dux miseratus, et precibus Gertrudis Masoviae Ducissae, relictae olim Semoviti Ducis Masoviae, frequentius repetitis, pervictus, cum equestri et pedestri exercitu, architectorumque variae artis numero, et propugnaculorum atque victualium abundantia, ad illam in festo Sancti Michaelis venit, reliquiasque eius ad se concurrentes colligit, solatur, et quibus potest largitionibus et donativis reficit. Ad Ploczensem deinde civitatem perveniens, castrum a barbaris exustum et deletum forti et ingenioso opere aedificat, fossatisque et vallis communit. Et omnibus rite consummatis, relictae Ducis Semoviti et filiis eius Boleslao et Cunrado illud praesentat. Non mediocri [2]) ob id efferendus tam laude quam memoria, quod opprobrium Polonicae gentis abstulit, et ne natio et ora Masoviae a barbaris aut occuparetur, aut prorsus deleretur, sua liberalitate et benigna fatiga et impensa providit.

---

[1]) maxima *Cod. Rozr.* [2]) mediocriter *Cod. Rozr.*

Canonisationis beatae Hedvigis procuratio incipit.

Signis variis et prodigiis [1]) sanctitatem [2]) et splendorem, quibus beatam Hedvigim Slesiae et Poloniae Ducissam, Henrici cum barba Slesiae et Maioris Poloniae Ducis relictam, pro suis operibus et meritis insignivit Altissimus, in Poloniae Regno et provinciis vicinis longe lateque diffundentibus, Principes Slesiae [3]), Wladislaus Salczburgensis episcopus, Cunradus Glogoviensis, Henricus Wratislaviensis, nepotes illius, Thomas Wratislaviensis episcopus cum clero et ecclesia sua permoti, ad procurandam canonisationem, impensa collata, Salomonem archidiaconum Cracoviensem, Magistrum Nicolaum scholasticum Cracoviensem, et Aherengebertum [4]) decanum Wischegradensem, canonicos Wratislavienses, ad Urbanum Papam [5]) quartum transmittunt. Quorum propositione, per organum Salomonis archidiaconi Cracoviensis in consistorio publico facta, qua genus, vitam, meritum et miracula in vita et post mortem edita beatae Hedvigis explicabantur, Urbanus Papa quartus audita, gravitatem solitam servaturus, Wolimirum episcopum Wladislaviensem, et fratrem Simonem ordinis Praedicatorum Provincialem Poloniae, pro examinatione vitae et prodigiorum feminae beatae deputat, et examen huiusmodi specialibus literis demandat. Continuatum autem fuit examen huiuscemodi per Wladislaviensem episcopum Wolimirum et Provincialem Poloniae Simonem usque ad Annum Domini Millesimum ducentesimum sexagesimum quartum, cum Anno Millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, Septimo Calendarum Novembris coepisset.

Translatio monasterii Zawichostensis in Skalam.

Ruthenorum, Thartarorum, Lithuanorum, caeterorumque gentilium sequentibus et clandestinis in Ducatus suos irruptionibus Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux permotus, summoque providens et praecavens opere, ne barbaris in dominia sua ex insperato [6]) irruentibus, ancillae Christi sanctimoniales in monasterio Zawichostensi a se fundato et dotato, aliquo a barbaris tractarentur probro vel ludibrio, Zawichostense monasterium et sanctimoniales in eo degentes, de consilio Prandothae episcopi Cracoviensis et baronum suorum, in tutiorem locum, qui Skala alias Lapis Sanctae Mariae appellatur, tribus milliaribus a Cracoviensi urbe distantem, transtulit. Et op-

---

[1]) portentis *Cod. Calv.* [2]) favorem *Cod. Rozr.* [3]) Poloniae atque Slesiae *Cod. Rozr.* [4]) Ahengebertum *Cod. Rozr.* [5]) Papam *deest in Cod. Aut.* [6]) ex improviso *Cod. Rozr.*

pido Skala in loco, qui Stankon vocitabatur, pro novo monasterio [1]) adiecto, etiam priorem donationem de oppidis, villis, decimis, lacubus, censibus et libertatibus factam, novis privilegiis et literis, Sexto Nonas Martii apud Korczin, germanae suae Salomeae Reginae olim Gallaciae, habitum et professionem ordinis et monasterii praedicti sortitae, precibus devictus, innovat et confirmat. Et incrassaturus priorem dotem, villam Zarnowicze et tria telonea, item ecclesiam ventrosam cum decimis in Zarnowyecz [2]) illi annectit.

ANNUS DOMINI 1263.

Lithuani Lowicz praedantur, et fugant Cruciferos Prutheni in Masoviam.

Novam calamitatem, novamque depraedationem Rutheni et Lithuani terris Masoviae anno superiori et clade apud Dlugoszyedle, et [3]) captivitate, caedeque Ducum et militarium, atque spoliis et incendiis afflictae, illaturi, iterum illuc adveniunt; sed dum desideriis et spei eorum non responderet spoliorum, quae se consecuturos non dubitabant (omnibus superiori anno incolis Masoviae vel in servitutem abductis, vel in loca silvestria et munita cedentibus) effectus, in castellaniam Loviczensem, ad archiepiscopum Gnesnensem pertinentem, quam ab exploratoribus et transfugis didicerant integram esse, se conferunt. Atque illuc concito gradu pervenientes, tam villas, quam archiepiscopales curias, hominibus et iumentis spoliatas, incendunt et igne consumunt, et praedam satis multiplicem, nemine defensionem ferente, in terras suas stomachando et superbiendo referunt [4]). Eadem pene huius anni Fratrum Cruciferorum de Prussia fuit fortuna, quos Prutheni barbari in castro Weysembork [5]) aggressi, in Masoviam castro potiti fugere compellunt. Quos licet persequi perseverassent, Duce tamen eorum Dway vulnerato, persecutionem omittunt. Castrum deinde Kreuczborg accedunt, quod obsidione per triennium continuata, Fratribus Cruciferis, qui ex illo fugerant, trucidatis, conquirunt.

Mendog Lithuanorum Rex a suis per insidias dormiens occiditur.

Propitiaturus clemens Dominus Polonis in terra Masoviae consistentibus, multifarie a barbaris iusto suo permittente iudicio, ob multiplicata et nus-

---

[1]) monasterio erigendo *Cod. Rosr.* [2]) Zarnowicze *Cod. Rosr.* [3]) nec non *Cod. Rosr.* [4]) abducunt. *Cod. Rosr.* [5]) Weyszenburg *Ed. Lips.*

quam poenitentia deleta scelera, afflictis, Lithuanorumque et barbarorum in suae virtutis dextera gloriantium, superbam et deliram temeritatem compressurus, discidium intestinum, civilesque discordias inter illos gliscere primum, mox etiam succrescere et adolescere permisit. Molesta etenim et gravis fuit caeteris Lithuaniae Principibus Mendolphi alias Mendog Lithuanorum Regis, qua sibi summam rerum usurpare conabatur, potentia, rati illam, ni abrogaretur, in suam calamitatem recidere. Quem primum conviciis apud vulgum, quod veteri ritu relicto, in Christianorum fidem concesserat, quod terras naturales Lithuanorum, aeque sibi et illis communes, Cruciferis inscripserat, lacerant; expost [1]) conspiratione facta, Stroynath alias Trognat, secundus post Mendog loco, nepos suus, dominationem et Principatum apud Lithuanos occupaturus, illum quiescentem per insidias obtruncat et omnes filios suos in dolo [2]) et rapit [3]) Principatum.

Fundatio monasterii ordinis Praedicatorum in Thorun.

Quarto Nonas Aprilis, Frater Hanno de Sangerhausen, octavus Prussiae Magister fundat monasterium Sancti Nicolai ordinis Praedicatorum in Nova Thorun, supra fluvium Makra, qui non longe a civitate erupit, conferens pro dote fratribus domus praefatae in omnibus fluviis, stagnis, lacubus et paludibus piscandi pro suo usu facultatem.

Fames ingens et tristis in Bohemia.

Solis eclipsis eo anno in die beati Dominici proveniens, multos tristes in nonnullis regionibus, in Bohemia praesertim [4]), causavit effectus: ubi a grandine et siccitate tanta orta est frugum caristia et tandem fames, ut multi homines utriusque sexus famis inedia perierint.

Petrus episcopus Ploczensis moritur, cui Thomas succedit.

Petrus Ploczensis episcopus, cum in Ploczensi sede annis duobus et medio [5]) sedisset, moritur et in Ploczensi ecclesia tumulatur. Cui Thomas succedit, Thomka vocitatus, canonicus Ploczensis et Ducis Kazimiri cancellarius,

---

[1]) deinde *Cod. Rozr.* [2]) filios eius in dolo tyrannice delet *Cod. Rozr.* [3]) rapit per vim *Cod. Rozr.* [4]) praesertim *deest in Cod. Aut.* [5]) annis duobus et medio *deest in Cod. Aut.*

per viam compromissi electus, nobilis genere, de familia et cognatione Prussorum ortum ducens, a Ianussio Gnesnensi archiepiscopo apud ecclesiam Gnesnensem, faventibus et consentientibus Semovito [1]) et Cunrado Ducibus Masoviae, confirmatus et benedictus in ordinem pontificalem.

ANNUS DOMINI 1264.

Boleslaus Pudicus Dux Cracoviensis gentem Iaczwingorum profligatam in toto delet, reliquis ad baptismum conversis.

Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux contra Iaczwingos barbaros, Ducatibus suis propter immediatam vicinitatem infestiores, et quod Principatus suos frequentius lacesserent, bellum acturus, expeditionem omnibus suis terris indicit [2]). Et omnibus copiis apud Zawichost convenientibus, et ipse personaliter in bellum huiusmodi ire pergit. Est autem Iaczwingorum natio versus aquilonarem plagam, Masoviae, Russiae et Lithuaniae terris conterminans [3]), sita, cum Pruthenica et Lithuanica lingua magna ex parte habens similitudinem et intelligentiam, populos habens immanes et bellicosos, et tam laudis memoriaeque avidos, ut decem ex illis cum centum hostibus decernerent [4]), ea sola spe illectos, quod post mortem et casum, scirent suorum carminibus de fortibus factis se laudandos. Quae res illis in eam pernitiem versa, cum pauci a multis facile superarentur, ut sensim natio ipsa fere universa cladium interiret exterminio, nemine illorum aut iniquam detrectante pugnam, aut pugna conserta fugere perseverante [5]). Boleslaus itaque Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux fines illorum ingressurus, et acies ordinat, summa cura omnia, quae disciplinam exigunt militarem, providens, et milites pro concione vocatos in pugnam animat. Pluribus ante certaminibus per suos milites cum hostibus commissis, expertus, quod cum hoste pertinaci, vincere aut mori destinato, pugnam propediem (neque enim Iaczwingos laturos, ut agri eorum ipsis incolumibus popularentur) esset initurus, adhibuit et Boleslaus praefectos, qui et ultimum cogerent agmen, et milites a signis et locis discedere vetarent, tam composito semper incedens agmine, quasi hostes in conspectu forent. Neque illum opinio fefellit: Iaczwingi enim, apud quos tunc maior inter Duces Komath Princeps erat, Polonorum audito adventu, in arma alacres consurgunt, et populationem suam prohibituri, Polonis obviam eunt. Decimo itaque Calendarum Iulii, excubato-

[1]) Boleslao *Cod. Rozr.* [2]) literis indicit. *Cod. Rozr.* [3]) contermina *Cod. Rozr.* [4]) decertarent *Cod. Rozr.* [5]) persuadente. *Cod. Rozr.*

res [1]) Boleslao denuntiant hostes adesse, et eodem die sole illucescente, adhuc Boleslao tenente stativa, Iaczwingorum se acies ad pugnam paratae ostendunt. Quibus visis et Boleslaus Pudicus acies suas educit, et pugnam, alteris in alteros coeca et obstinata mente ruentibus, committit, et aequis viribus, aequaque sorte pugna in horas aliquot prolata; cum Iaczwingi vincendi mira pertinacia pro victoria adniterentur, Poloni multitudine freti, recentes et incolumes in fessorum aut desideratorum locum subducentes, acies tandem Iaczwingorum succumbit: ubi Princeps eorum Komath, pugnam restituturus, animosius pugnans, a Polonis exceptus, pugionibus confoditur. Neque tam Ducis sui Komath casus, neque prostrata, rarefactàque acies reliquos Iaczwingos a praelio divertere coegit: ad extremum enim caesi et obtriti sunt. Neque Polonis incruenta victoria fuit, pluribus aut desideratis, aut vulnera gravia perpessis. Eo uno praelio omnis fere gens, omnisque natio Iaczwingorum adeo deleta et extincta est, ut caeteris, et his quidem paucis et agrestibus, aut valitudinariis, aut in ditionem Boleslai concedentibus, aut Lithuanis se coniungentibus, hactenus ne nomen quidem Iaczwingorum extet. Terra eorum omni et pecore, quo plurimum abundabant, caeteraque eorum supellectili Boleslaus Pudicus et eius [2]) exercitus potitus, omnes baptismum suscipere et fidem Christianam profiteri iussit, detrectantes capite mulctari, Papaeque Urbano supplicavit, ut in reliquiis gentis illius, religionem catholicam professis, episcopum constitueret, pro neophytorum confirmatione et stabilimento. De quo (ne de commento argui possimus) mandatum apostolicum Gnesnensi archiepiscopo super ea re factum, habes infrascriptum:

„Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabili fratri archiepi-„scopo Gnesnensi, Salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilecti „filii, nobilis viri Boleslai Cracoviae et Sandomiriae Ducis Ecclesiae Roma-„nae devoti, fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum contra paganos Iara-„czones [3]), qui terrae ipsius Ducis confines existunt, per te ac suffraganeos „tuos praedicari mandaverimus Verbum Crucis, et tam per hoc, quam etiam „per exhortationem dilectorum filiorum Minorum Fratrum, quasi pro firmo „speraretur, quod iidem pagani ad fidem converti debeant Christianam, ipso-„rumque terra paganorum eidem Duci sit, ut asserit, ab Apostolica Sede „concessa, praefici aliquem ibidem episcopum faceremus. Ideoque Fraternitati „tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, eisdem paga-„nis, postquam ad fidem conversi fuerint Christianam, dummodo terra ipso-„rum infra alicuius episcopatus limites non existat, aliquam personam ido-„neam, auctoritate nostra, sine alieni iuris praeiudicio, in episcopum studeas „deputare. Datum Romae.“

---

[1]) exploratores *Cod. Rozr.* [2]) suus *Ed. Lips.* [3]) Iaczwingos *Cod. Rozr.*

Fundatio monasterii ordinis Praedicatorum in Brzescze Cuyaviensi.

Nominis divini et ordinis Praedicatorum religionem Kazimirus Cuyaviensis, Lanciciensis et Siradiensis Dux in suis Principatibus aucturus, monasterium in oppido suo Brzescze Cuyaviensi fundat et erigit, et fratres praedictos a Provinciali Poloniae petitos, et ex Cracoviensi conventu assumptos, in illo locat, curamque illorum ducali munificentia gerens, ecclesiam pro illis erectam calicibus, casulis, caeterisque clenodiis adornat.

Culmensis ecclesia in ordinem Cruciferorum commutatur.

Culmensis episcopus Henricus ordinis Praedicatorum frater ecclesiam suam Culmensem, quam saecularem reperierat, in regularem Canonicorum regularium beati Augustini transtulisse non contentus, iterum illam in Cruciferorum ordinem, metropolitano suo Gnesnensi archiepiscopo ignorante et inconsulto, transmutat, et ritu Canonicorum regularium atque habitu abiecto, habitum atque ritum Cruciferorum ordinis Teutonicorum Sanctae Mariae, una cum capitulo suo Culmensi assumit, generali tunc Magistro Prussiae Helmerico et Fratribus sui ordinis, ipsum et capitulum suum ad transmutationem huiusmodi tam prece quam persuasione impellente, adhibita gratificatione et consensu Anselmi episcopi Varmiensis, tunc Apostolicae Sedis in Prussia legati, in Calendis Februarii.

Cruciferos Prutheni caedunt.

Castrum Bergfrid Pruthenis barbaris obsidentibus, Cruciferorum exercitus adveniens in barbaros somno pressos irruit, et mille trecentis occisis, reliquos in fugam egit, castrumque Bergfrid, ne eo aliquando barbari potirentur, igne delevit. Reparato novo exercitu et fortiori, Prutheni terram Culmensem ingressi, spoliis, igne et caedibus pervastant. Contra quos Helmericus Prussiae Magister cum Theodrico marsalco dimicans, occisus succumbit, et barbaris praevalentibus, vires Cruciferorum, quadraginta etiam Fratribus cum Magistro et marsalco cadentibus, attritae sunt. In locum occisi Magistri Helmerici, septimus Magister Ludovicus de Baldensthen [1]) suffectus.

---

[1]) Kaldenschein *Ed. Lips.*

Hospitale Sancti Spiritus in Posnania Boguphalus episcopus erigit et dotat.

Boguphalus Posnaniensis episcopus, miserabilium personarum in civitate Posnaniensi calamitati pia miseratione compassus, hospitale infirmorum, sub honore et titulo Sancti Spiritus, extra portas [1]) civitatis Posnaniensis iuxta fluvium Wartha, fundat, cui et dotem aliquam de mensa episcopali largitur. Tunc etiam ecclesia parochialis in civitate Posnaniensi fundata est in honorem et titulum beatae Mariae Magdalenae.

Stroynath Lithuanorum Dux a filiis Mendog Regis occiditur.

Non defuit et hoc anno inter Lithuanos et Pruthenos furor et clades civilis et intestina seditio. Nam cum [2]) Mendog Rex Lithuaniae cum filiis suis a nepote Stroynath occisus esset in dolo, Woysalk filius et Theophilus consobrinus Mendolphi alias Mendog Lithuanorum Ducis occisi, necem Mendolphi ulturi, in Stroynath Principem, qui Mendolpho occiso, summam rerum et maiorem apud Lithuanos Principatum rapuerat, conspirant. Et venationes tractantem aggressi, pluribus ante tormentis illatis, et Mendolphi patris caede exprobrata, enecatum interimunt, Principatum, quem morte Mendolphi amiserant, recuperant. Quamvis enim [3]) praefatus Woysalk in monachum Russiae tonsus foret, deserta tamen religione, assumptis sibi Ducibus Lithuaniae in auxilium [4]), patris necem ultum iri cupiens, Stroynath occidit et se Ducem Lithuaniae gerere coepit.

Pro firmiori foederis inter Belam Hungariae et Premislaum alias Ottokarum Bohemiae, Reges icti, glutinio, Bela Dux, filius Belae Regis Hungariae, Kunegundem filiam Ottonis tertii Marchionis Brandeburgensis ex Beatrice filia Wenceslai et sorore Ottokari sive Premislai Bohemiae Regum, susceptam, accipit in uxorem. Sed sponso Bela post biennium mortuo, praefata Kunegundis Duci nupsit Luneburgensi. Alterius germanae suae Mechtildis coniugium Barwin Slavorum Dux sortitus est.

Cometes magnus apparuit: cuius apparitionem decessus Urbani Papae et mortalitas quadrupedum in Polonia secuta est.

Cometes, sive sidus accensum et ignitum, tam largus et mirabilis, qua-

---

[1]) muros *Cod. Rosr.* [2]) cum *deest in Cod. Aut.* [3]) autem *Ed. Lips.* [4]) et in auxilium sibi adiunctis *Cod. Rosr.*

lem nullus mortalium tunc vivens ante viderat, apparuit. Ab oriente enim cum fulgore surgens, usque ad medium coeli versus occidentem, comam perlucidam protrahebat. Duravit autem aspectus illius citra tribus mensibus. Primoque ortus sui die Urbanus Papa languere coepit, et ultimo cometis die et ipse in Perusio, ultima videlicet Septembris die occidit, cum annis tribus, mense uno sedisset. Ut non aliud cometes ipse, quam Summi Pontificis vicinam mortem, praecinisse videretur, in Polonia tamen alium effectum produxit: eo enim desinente, animalium quadrupedum mortalitas secuta est. Sepulturam autem Urbanus Papa apud Perusium in maiori ecclesia, iusta funeri Cardinalibus solventibus, accepit. Qui celebritatem de Corpore Christi a praedecessoribus omnibus suis neglectam instituit, beato Thoma de Aquino Doctore Officium illius tam cognatis adaptante verbis, ut omnes Veteris Testamenti figuras, Sacramentum Corporis Christi repraesentantes, contineat, licet institutio ipsa morte Urbani tunc imperfecta remanserit [1]).

Iterum nuntii mittuntur Perusium ad procurandam canonisationem beatae Hedvigis.

Nuntii priores ad procurandam beatae Hedvigis Ducissae Poloniae et Henrici cum barba relictae, canonisationem, videlicet Salomon archidiaconus, Nicolaus scholasticus Cracovienses, et Aherengebertus [2]) decanus Wischegradensis, cum regestro examinis testium, et literis commissariorum apostolicorum, Wolimiri episcopi Wladislaviensis et fratris Simonis Provincialis Poloniae, in fine Augusti egressi, Perusium venientes, Urbanum Papam [3]) quartum absumptum offendunt: de quo non mediocri consternati dolore, cum omnia ad maiorem difficultatem sua negotia viderant morte Urbani recidisse, substitutionem tamen alterius praestolari coacti sunt.

Boguphalus episcopus Posnaniensis moritur.

Quinta decima Decembris Boguphalus Posnaniensis episcopus in villa suae ecclesiae Czanzim [4]) alias Czirmna moritur et in ecclesia Posnaniensi sepelitur, cum annos decem in pontificatu exegisset, virtutibus, quas sibi Deus optimus et natura contulerat, abusus.

---

[1]) remanserat. *Ed. Lips.* [2]) Ahengebertus *Cod. Rozr.* [3]) Papam *deest in Cod. Aut.* [4]) Ciążim *Cod. Rozr.* Czyazim *Cod. Lis.*

ANNUS DOMINI 1265.

Ruthenos terram Sandomiriensem ingressos nobilitas profligat et captivat.

Multus et frequens Ruthenorum exercitus, de singulis fere Principatuum variorum Russiae Ducum collectus, Swarnone tamen Russiae Duce caeteros in arma et sollicitante et cogente, terras Sandomirienses Ducis Boleslai invasit, easque diebus aliquot spoliis, rapinis et incendiis afflixit. Interim autem Sandomirienses barones (Duce etiam suo Boleslao, ne hostis rapta praeda evaderet, non consulto) in aciem cum agrestibus, ut speciem maioris exercitus Ruthenis ostenderent, descendunt. Et opportunitate captata, cum Ruthenos sparsos et palantes per agros, praedationibus et spoliis operam dantes, adverterent [1]), in illos irruunt et facili negotio, paucos pugnam cientes, fundunt et prosternunt; caeteros metu nimio perculsos et in fuga consecutos, captivant aut interimunt, magnaque caede in hostes [2]) edita, omnibus quae rapuerant recuperatis, insignem de Ruthenis, omnibus eorum rebus et castris direptis potiti, victoriam referunt.

Boleslaus Pudicus Lestkonem Nigrum adoptat sibi successorem in Ducatus.

Lestko [3]) Niger Dux a patre suo Kazimiro Cuyaviensi et Lanciciensi Duce emancipatus, Ducatumque Siradiensem, patre Kazimiro concedente, pro sua portione sortitus, a Boleslao Pudico Cracoviensi et Sandomiriensi Duce, velut fratris patruelis germani nepos, adoptatur in filium. Qui illum speciali privilegio et litera [4]) suorum omnium Principatuum haeredem instituit, et ipsum tantummodo sibi, in omnes suas terras, Ducatus et dominia (mactae enim virtutis sibi et consiliariis suis apparebat Princeps) successurum decrevit. Qui etiam Niger Lestko virginem Griphinam Rosczislai Ducis Ruthenorum filiam, Duce Boleslao Pudico huiusmodi affinitatem conciliante, quo terrae suae quietiores essent, accepit in uxorem: apparatusque nuptiarum cum magna solennitate in castro Cracoviensi exactus est, quod Boleslaus Pudicus sub eo tempore novis et firmissimis aedificiis universum montem complexus, instauraverat.

Nona Ianuarii Elisabeth relicta olim Przemislai Posnaniensis Ducis, filia

---

[1]) animadverterent *Cod. Rozr.* [2]) in hostibus *Cod. Rozr.* [3]) Leszko *Ed. Lips.* [4]) et gratia *Cod. Rozr.*

Henrici Ducis Slesiae a Thartaris occisi, in villa sua dotali Moderz defuncta et in Posnaniam relata, in maiori ecclesia sepulta est, femina rarae religionis et sanctimoniae in Ecclesiam Dei, et in personas religiosas munifica et liberalis.

Mortuo episcopo Posnaniensi, tres fuere competitores. Sed omnibus reiectis, Papa motu proprio suffecit Nicolaum scholasticum Cracoviensem.

Conversionis beati Pauli Apostoli, pro eligendo altero Posnaniensi episcopo, instituta adveniente die, Petrus alias Pyetrzik praepositus Posnaniensis, nobilis genere, filius militis Drogoslai de Skorew, de genere [1]) et nobilitate Habdank, via scrutinii in episcopum Posnaniensem concorditer electus est. Qui etsi electione sua Ianussio Gnesnensi archiepiscopo in Zneina [2]) praesentata, eam petivisset confirmari, Ianussius tamen Gnesnensis archiepiscopus favens Falanthae [3]) decano Gnesnensi, quem Boleslaus Pius Dux Calissiensis et Gnesnensis, et consors sua Ducissa Helena, ad episcopatum Posnaniensem magnis instantiis promovebant, Pyetrzikoni electo literarum [4]) et praesertim Canonum imperitiam obiecit. Propter quod decanus Posnaniensis Iohannes filius Vestkonis militis, veritus, ne a Gnesnensi archiepiscopo Pyetrzikonis electio cassaretur, in appellationem prorupit. Sed infra dies paucos et suo electo et appellatione desertis, Falanthae decano Gnesnensi adhaesit. Inter haec Capitulum Posnaniense Pyetrzikone electo languide ius electionis prosequente, aliam electionem (quod ipsum quoque parum sensate factum videbatur: iam enim eligendo Pyetrzikonem iure suo erat perfunctum) Pyetrzikone electo de iure electionis cedente, celebrans, Iohannem archidiaconum Posnaniensem, virum literatum et virtuosum elegit. Is quoque Gnesnae Ianussium Gnesnensem archiepiscopum pro suae electionis confirmatione interpellans, repulsam (sed iustam) passus est, allegante archiepiscopo, alium electum exstare. Tum demum nova appellatione interposita, causa ad Curiam Romanam [5]) devoluta est: qua non obstante, Ianussius Gnesnensis archiepiscopus Falantham decanum Gnesnensem in oppido Pysdri, altera appellatione, quam Capitulum Posnaniense a confirmatione et consecratione praefati Falanthae interposuerat, et Ianussio Gnesnensi archiepiscopo per Nicolaum vicarium Posnaniensem, vocatum Collectam, insinuaverat, reiecta [6]), et confirmavit et benedixit. Verum cum Clemens Papa [7]) quartus et Falanthae confirmati per

---

[1]) de domo *Cod. Rozr.* [2]) Znina *Cod. Rozr.* Znyena *Cod Lis.* [3]) Falutae *Cod. Rozr.* [4]) ignorantiam literarum *Cod. Rozr.* [5]) Romanam *deest in Cod. Aut.* [6]) reiecta *deest in Cod. Aut.* [7]) Papa *deest in Cod. Aut.*

Gnesnensem archiepiscopum, etiam apud se praesentis, et Iohannis archidiaconi Posnaniensis electionem discuteret, utraque, quoniam tantummodo merum factum et a iure canonico abhorrens continebat, cassata, Nicolaum scholasticum Cracoviensem, canonisationis negotium beatae Hedvigis tunc prosequentem, extulit et promovit in Posnaniensem episcopum, et in Viterbio, ubi tunc agebat, mandavit consecrari. Sicque tribus de episcopio [1]) Posnaniensi contendentibus, quartus et ipse insuspicabilis, ut prophetalis compleretur scriptura, rapuit diadema, nobilis et natione Polonus, de domo et familia...... [2]).

Castra Santhok et Drzdzen de consensu Boleslai Calissiensis Ducis et Cunradi Marchionis Brandeburgensis per arbitros facto, demoliuntur.

Castrum Santhok, neglectu vulgato, a militibus Poloniae custoditum, Saxones ingressu comprehendunt et Cunrado Marchioni Brandeburgensi, velut consortis suae Constantiae Przemislai Ducis olim Posnaniensis filiae, munus dotale praesentant. Sed Boleslaus Pius Calissiensis Dux graviter se captione castri praefati astruens iniuriatum, collecto exercitu, ad expugnationem illius contendit. Verum antequam illuc pertingeret, per communes barones mediatio interponitur. Cunradoque Marchione cum Boleslao Pio conveniente, ea captatur conclusio: ut Boleslaus Dux Calissiensis castrum suum Santhok, Cunradus vero Marchio alterum castrum suum Drzdzen, velut sibi dispendiosa, raptoribus vero et furibus profectum afferentia, demoliat. Quod tandem uterque, prout inter illos convenerat, executus est.

Pridie Nonas Septembris Cunradus tertius filius Henrici cum barba et beatae Hedvigis, obiit [3]).

Mortuo Papa Urbano quarto, Guido Fulcodii eligitur invitus et Clemens quartus vocatur.

Ecclesia Romana dum post obitum Urbani quarti mensibus quinque ob discordiam Cardinalium vacasset, tandem quinta Februarii Guido Fulcodii, natione Provincialis de villa Sancti Aegidii, Cardinalis episcopus Sabinensis, licet absens, electus est et quartus Clemens vocatus. Vir magnae probitatis

---

[1]) episcopatu *Cod. Rozr.* [2]) *Nomen familiae Nicolai episcopi Posnaniensis deest in omnibus Codd.; hunc nonnulli scriptores asserunt de domo* Vulpium *(Lis) ortum suum duxisse.* [3]) *Mortem Conradi filii Henrici barbati Ducis Slesiae, iam prius ad annum 1213 autor retulit: proinde repetita hicce eiusdem rei mentio, in Codd. Aut, Calv. et Lis. occurrens, per errorem forsan apposita est.*

et exempli, qui omnem statum mundi expertus fuerat, et in quolibet gratiose et virtuose se gessit. Primo quidem uxoratus, coniuge vero defuncta, Onixiensis [1]) episcopus, inde Narbonensis archiepiscopus, per Urbanum quartum in Sabinensem Cardinalem episcopum promotus, ad pacificandam Angliam, bello aspero inter Henricum Regem et Simonem Comitem Montisfortis concitato, fervente, missus, ab inde sub dissimulato habitu Perusium, propter guerrosa itinera, reversus, vix cum lachrimis Cardinalium vinci potuit, ut Papatum assumeret. Quo assumpto, in Viterbium cum Curia concessit, sic vigiliis, ieiuniis et orationibus, ac aliis bonis operibus intentus, quod multas, quas tunc Ecclesia Dei sustinebat tribulationes, Deus suis meritis creditur extinxisse.

ANNUS DOMINI 1266.

Boleslaus Pudicus exercitu misso contra Swarnonem Ducem Russiae cum palatino Cracoviensi, maximum exercitum Ruthenorum profligat, fugiente praedicto Duce eorum.

Iniustam, indignamque necem fratris sui patruelis germani, Semoviti Masoviae Ducis, in Iaszowsko per Swarnonem Russiae Ducem, nepotem ex sorore Danielis Regis Russiae, factam, carnificino more irrogatam, Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux ulturus, frequentes quoque eiusdem Swarnonis in terras Poloniae invasiones et insultus repressurus, expeditionem omnibus terris suis contra Russiam indicit, quam per Petrum palatinum Cracoviensem, consiliariis suis id censentibus, administrat. Copiis itaque apud Ropczicze convenientibus, in terram Swarnonis itum est. Veritus autem palatinus Cracoviensis dux belli, ne, si qua clades exercitui accideret, aut minus prospere belli successus respondisset, sua id temeritate et negligentia accidisse insimularetur, nihil nisi de consilii sententia egit, et cum dignitariis una praesentibus, et signanter Ianussio palatino Sandomiriensi, his quoque, qui ducebant ordines, de ratione belli singula communicavit; curam quoque exactam tam de stativis, quam de progressu et pabulatione praestitit, quam quousque feliciter reditum est, non remisit. Ingredienti Russiam Polonorum exercitui et secundas stativas agenti, Dux Swarno cum magno Ruthenorum et Thartarorum exercitu in loco, qui Pyetha [2]) dicitur, feria sexta, decima octava mensis Iunii occurrit, castraque sua haud longe a castris Polonorum, speculatus eorum potentiam, locat. Et illo quidem die exercitus Polonicus a praelio, crastinum operiens, abstinet, credens diem illum, in

[1]) Onixensis *Ed. Lips.* [2]) Piątha *Cod. Rozr.*

quem Sanctorum Gervasii et Prothasii martyrum cadebat gloriosa celebritas, et sibi salubrem et felicem, et Ruthenis [1]) fatalem (eo siquidem die cum Romano Ruthenorum Duce, suisque ingentibus copiis, ad oppidum Zawichost feliciter superioribus annis pugnaverant) fore [2]). Sabbato itaque Sanctorum Gervasii et Prothasii die illucescente, et palatinus Cracoviensis Polonos, et Swarno Ruthenos, in aciem producit. Et Ruthenis quidem sagittarum imbrem, Polonis tela primum iacientibus, infestis animis concursum est et acriter ab utrisque pugnatum: superior tandem acies Polonorum esse coepit, et in medios hostes invecta, maximam in hostibus stragem edidit. Swarno etsi non Ducis solum, sed et militis opera usus, praelium et labantes suorum acies in aliquot locis restituisset, ad extremum tamen et ipse, caesas et rarefactas suorum acies videns, in fugam, ne in Polonorum vivus veniret manus, prosiliit. Passim deinde caedes fieri, omnibus Ruthenis in fugam versis, coepta est, et non pauciores in fuga, quam in certamine (fugientes enim, Poloni in aliquot milliaria persequebantur) interempti; magnus et captivorum fuit numerus, quibus Poloni satiati caede, pepercerant. Castra posthaec Ruthenorum omnis opulentiae plena, direpta sunt, et biduo in certaminis loco stativis habitis, Swarnonis terra populata, incensaque, victorem Polonorum exercitum et multiplicem spoliorum variae supellectilis praedam referentem, ex qua locupletatus est, palatinus Cracoviensis ovans et ipse, quod res ductu [3]) suo et auspiciis feliciter gesta fuerit, Poloniam reduxit. Haec autem clades adeo Ruthenos exterruit, domuitque, ut Polonorum terras posthaec annis multis, nunquam auderent contingere. Omnium autem hominum iudicio, triumphus ipse [4]) tunc de Ruthenis relatus, non humanis viribus, cum hostes plusquam in quadruplo excedentes habuerint, sed sola propitiatione divina et suffragiis Ecclesiae pro gente Polonica, sedulius et impensius tunc sacrificiis, precibus, lachrimis et obsecrationibus interpellante, maxime tamen meritis beatae Kingae Boleslai Ducis consortis, creditus est provenisse. Cui oranti et incolumitatem, victoriamque Polonorum genti de coelo dari interpellanti, duo viri in albis vestimentis [5]) astiterunt, quorum oraculo de futura victoria Polonis propter suas intercessiones conferenda, certior facta est, et hi Sancti Gervasius et Prothasius a nonnullis aestimati.

Castrum Santhok, quod contra pacta Boleslaus aedificaverat, ex concordia Marchionis Brandeburgensis et Boleslai Pii Ducis exuritur.

Pactis et ordinationi, quae Boleslaus Pius Calissiensis et Maioris Polo-

[1]) Ruthenis vero *Cod. Rosr.* [2]) fore *deest in Cod. Aut.* [3]) ducatu *Cod. Aut.* [4]) iste *Cod. Rosr.* [5]) vestimentis *deest in Cod. Aut.*

niae Dux, de castro Santhok demoliendo et de caetero non reaedificando, cum Cunrado Marchione Brandeburgensi genero suo anno superiori inierat, contraveniens Boleslaus Pius Calissiensis Dux, castrum minus ducale, altero, quod militum et agrestium pro conservando pecore largioris spatii erat, neglecto, habens secum equestrium et pedestrium suarum terrarum copias, Saxonum et Cunradi Brandeburgensis Marchionis insultum et interruptionem veritus, aedificat et infra unius mensis spatium affatim omni exercitu, materiam architectoribus, qui et ipsi frequentes erant, praebentibus, consummat, praesidioque militum castro imposito et victualibus, propugnaculisque proviso, discedit. Sed abeuntem Cunradus Brandeburgensis Marchio prosecutus, castrum Santhok obsidione vallavit, et ad illius expugnationem magna vi, magnoque ardore animum intendens, adeo illud, glebamque eius crudam et recentem tormentis et bombardis contrivit, quassavitque, ut, ni succurreretur, expugnatio castri propediem erat futura. Certamen itaque Boleslaus Pius Calissiensis Dux et cum vicino et genero abhorrens, militumque suorum, qui castrum defendebant, saluti et libertati providens, missis ad Cunradum Marchionem baronibus, pacta se spondet et resumpturum et servaturum. Et Cunrado Marchione conditionem acceptante, castrum Santhok, deducto praesidio, mandato baronum Poloniae et Cunrado Marchione eiusque exercitu inspectante, exustum est.

Masoviam Lithuani et Prutheni vastant.

Lithuanorum, Pruthenorum et aliarum barbararum nationem exercitus in unum congestus, dum alias Polonorum terras timeret attingere, in Masoviam rursus venit, et partem eam Masoviae, quae invastata remanserat, vastant spoliis et incendiis [1]), magnaque capta praeda, Boleslao et Cunrado Ducibus exiguas habentibus vires, et tantummodo castra et munitiones tueri contentis, resistentiam non facientibus, in terras suas abeunt, facto etiam in Ploczkam insultu.

Prandotha episcopus Cracoviensis moritur; cui Paulus canonicus Cracoviensis succedit.

Vicesima prima Septembris mensis die Prandotha Cracoviensis episcopus, vir vitae venerabilis, et canonisationis beati Stanislai praecipuus effector et promotor, omnibus sacramentis, audiendo missam, procuratus, religiose et de-

[1]) spoliisque et incendiis affligunt *Cod. Rozr.*

vote circa noctis crepusculum moritur et in ecclesia Cracoviensi apud capellam Sanctorum Petri et Pauli sepelitur, cum annos decem et octo in sede Cracoviensi absumpsisset. Electione autem per praelatos et canonicos Cracovienses super eligendo futuro pontifice celebrata, Paulus canonicus Cracoviensis, nobilis genere de domo Polukosza, filius Comitis Iaszdonis de Przemankow, Boleslai Pudici Ducis cancellarius, concordi electione per viam compromissi inita, ab arbitris, videlicet Gerardo praeposito Wisliciensi, Magistro Stephano et Vyszon, canonicis Cracoviensibus, Septimo Idus Octobris, in episcopum suffectus est [1]), anno eodem a metropolitano Ianussio Gnesnensi archiepiscopo in die Sanctorum Simonis et Iudae [2]) in Unyeow confirmatus, anno vero sequenti in Lelow in Dominica Quadragesimae Reminiscere in episcopum per eundem archiepiscopum consecratus. Cupiebat autem praefatus Prandotha episcopus Cracoviensis, vir sane optimus et multis virtutibus clarus et celebris, dudum dissolvi et ex hac malorum sentina suum ad Creatorem, ubi aevo fruatur sempiterno, proficisci.

Wratislaviensis Ducatus ob fratrum discordiam bifariam sciaditur: quorum Henricus moriturus Wladislao reconciliatur, suique ac suorum tutelam committit.

Henricus Slesiae et Wratislaviensis Dux, filius Henrici a Thartaris occisi, etsi pro omnibus annis, ex quo divisio secuta erat, paternorum Ducatuum cum germano suo Wladislao Salczburgensi archiepiscopo, quem suae portionis habuit consortem, concordem egisset vitam, nonnullis tamen militibus, qui et Henrico praefato toxicum ministrasse insimulati sunt, discordias [3]) serentibus, in eam animorum offensam irritationemque proruperant, ut Ducatum Wratislaviensem bifarie scinderent. Henricus autem Dux propinquam sibi ex diuturno languore et veneno sentiens mortem adesse, fratre Wladislao archiepiscopo Salczburgensi accito, duplicem prolem, quam ex Iuditha filia Cunradi Ducis Masoviae, prima consorte, sustulerat, videlicet Henricum filium et Hedvigim filiam, nondum pubertatis annos transgressos, et consortem secundam Saxoniae Ducis filiam, quam superduxerat prima obeunte, una cum Wratislaviensi Ducatu, obsecrans eorum geri curam, commendat, omnibusque sacramentis procuratus decedit, et in monasterio Sanctae Clarae sepelitur, Nonas Decembris absumptus.

---

[1]) est *deest in Cod. Aut.* [2]) Simonis et Iudae Apostolorum *Cod. Rozr.* [3]) discordiam *Cod. Rozr.*

Daniel Russiae Rex, qui post impetratam coronam a Summo Pontifice, ad pristinos errores redierat, moritur.

Absumptus est fere sub eodem tempore schismaticus Princeps Daniel Russiae Rex, duos filios relinquens, videlicet Leonem et Romanum. Qui dudum [1]) scelere perfidiae in Deum fuerat inquinatus, nam [2]) spondens se Ruthenico ritu abiecto, veram religionem et unionem atque dogma catholicae et Romanae Ecclesiae cum omni sua gente sectaturum, adeptus coronam, qua fuit ob eam fidem et devotionem mandato apostolico insignitus et Rex appellatus, ad vomitum rediens, in Ruthenicum ritum, a catholica religione [3]) apostatans, rediit. Extant in ecclesia Cracoviensi, Alexandri quarti, quibus illum de hac apostasia arguit, originales literae. Quarum tenor talis est:

„Alexander Episcopus Servus servorum Dei, Danieli Regi Russiae timo„rem divini nominis et amorem. Inter alia quae nobis ex iniuncto Aposto„latus incumbunt officio, animarum nos convenit praecipue invigilare saluti, „ut eas Regum Regi, qui nos illarum (licet immeritos) voluit praeesse regi„mini, lucrifacere, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum quia non „est Deo acceptum obsequium, quod sine fide praestatur, nec pervenit ope„rum aedificatio ad salutem, quod supra firmitatem fidei non consurgit, ad „propagandam eam et corroborandam in mentibus omnium, et specialiter Re„gum et Principum, intentione tota, omnique sollicitudine, ac verbi et operis „efficacia laborare debemus, ut Christiana religione latius [4]) diffusa per or„bem, Patris aeterni Filius, multiplicatis servitoribus, plenius honoretur. Sa„ne tu olim cupiens de infidelitatis tenebris, quae postquam etiam renatus „fuisti fonte Baptismatis, oculos tuae mentis involverant, ad lumen catholi„cae fidei, sine qua nemo salvatur, et ad obedientiam Ecclesiae Romanae, „non sine [5]) divina inspiratione redire, iuramento praestito promisisti, Eccle„siae praedictae tanquam fidelis eius filius obedire, ac fidem catholicam, si„cut [6]) alii orthodoxi mundi Principes, observare. Propter quod Ecclesia ea„dem, volens te in sui devotione congruis firmare favoribus et condignis gra„tiis confovere, personam tuam ad regalis dignitatis apicem sublimavit, „faciendo te inungi sacri chrismatis oleo, tuoque imponi capiti Regni diade„ma. Sed tu, sicut ad audientiam nostram non sine cordis turbatione perve„nit, tam spiritualium quam temporalium beneficiorum ipsius Ecclesiae imme„mor, tantaeque gratiae prorsus ingratus, praestiti iuramenti religione con„tempta, id quod circa obedientiam eiusdem Ecclesiae, ac praedictae observa-

---

[1]) dum *Ed. Lips.* [2]) nam *deest in Cod. Aut.* [3]) fide *Ed. Lips.* [4]) plenius *Cod Rozr.* [5]) nonnisi *Cod. Rozr.* [6]) prout *Cod. Rozr.*

„tionem fidei, promisisse dinosceris, observare postmodum non curasti, in animae tuae periculum, ipsius iniuriam fidei, Ecclesiae praedictae contemptum „et opprobrium Iesu Christi. Super quo tanto vehementius contristamur, „quanto ferventius super omnia cordis nostri desiderabilia cupimus, ut cultus „eiusdem fidei longius latiusque diffusus continuum auctore Domino suscipiat „incrementum. Volentes igitur apostolicis apud te super haec insistere mo„nitis, et ad veritatem, quae Christus est, paternis te persuasionibus revoca„re, ac sperantes, quod te graviter contra Deum et eius Ecclesiam deliquisse „considerans, condigne poeniteas et errorem tuum corrigere studeas per te „ipsum, magnitudinem tuam monendam duximus attentius et hortandam, „quatenus ad tuam memoriam revocans, quanto studio, quantaque sollicitudi„ne circa exaltationem tuam Sedes Apostolica laboraverit, considerans etiam „quod non Ecclesiam sed te ipsum decipis, tuum in hac parte promissum „damnabiliter non servando, perditionis viam qua gradieris, non differas abiu„rare, et id, quod de ipsius observatione fidei et praedictae Ecclesiae obe„dientia, iuramento praestito promisisti, inviolabiliter observare procures, ita „quod nos tuorum laudabilium operum odore percepto, multa exinde perfusi „laetitia, dulcia ipsius Ecclesiae ubera, quae copiose dudum in multorum be„neficiorum perceptione suxisti, tibi, tuis exigentibus meritis, affectuosius por„rigamus. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Olomuczensi et Wratisla„viensi episcopis, literis nostris [1]) iniungimus, ut te ad id per censuram ec„clesiasticam, appellatione remota, compellant, invocato nihilominus contra te „auxilio brachii saecularis, non obstantibus aliquibus literis apostolicis, cuius„cumque tenoris existant, per quas effectus praesentium impediri valeat vel „differri, et constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali. Datum „Laterani, Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno tertio."

Poloni Russiae terras vastant.

Et sub eodem anno [2]) Poloni in magna multitudine glomerati, vastant terras Russiae, et Ruthenorum Principes atque exercitus, cum illis decernere [3]) audentes, confligunt.

Cruciferi a Pruthenis caeduntur.

Fratres Cruciferi a Pruthenis barbaris hostiliter invasi, gravi [4]) caede

---

[1]) literis praesentibus *Cod. Rozr.* [2]) tempore et anno *Cod. Rozr.* [3]) decertare *Cod. Rozr.* [4]) grandi *Cod. Rozr.*

confliguntur, et Dux exercitus Fratrum Henricus dictus Stange, commendator in Kirsburg [1]), occiditur.

Beata Hedvigis Ducissa Poloniae canonisatur.

Canonisatione beatae Hedvigis Ducissae Poloniae et relictae Henrici cum barba Ducis Wratislaviensis, et propter mutationem [2]) vacationemque Sedis Romanae et emergentium rerum occupationem, in annos aliquot dilata, dum nuntii ad id missi inter spem et metum positi, ob varias difficultates identidem interpositas, quadam distinerentur tristitia et desperatione, apparuit uni eorum, Salomoni videlicet archidiacono Cracoviensi per quietem beata Hedvigis, et blande consolatum de expeditione canonisationis suae, hilarem ac certum esse iussit, et diem, quo proventura erat, praedixit. Qua visione caeteris recitata, cum impensius sollicitare factum [3]) coepissent, et non tam testimonio hominum absentium, per commissarios apostolicos receptorum, verum etiam multorum in Curia praesentium [4]) usi, frequentius Papam Clementem de ipsius canonisatione et coetum Cardinalium fatigarent, consentientibusque Cardinalibus fere omnibus, solus Papa Clemens cum maiori maturitate gravitateque negotium acturus, rem in dies extrahendo differret, sanctitatem beatae Hedvigis [5]) novo aliquo signo experturus. Susceperat autem ex legitima coniuge, dum sortis adhuc laicalis esset, filiam, quae debilitate oculorum contracta, lumine perdito, per annos plures coeca erat. Inter missarum itaque solennia, et suas ad Deum fusas obsecrationes Clemens Papa orare non desiit, ut si beata Hedvigis tam percelsi meriti, quemadmodum narrabatur, esset, filiam eius coecam, sanam et videntem efficeret. Nec multis [6]) lapsis diebus, accepto nuntio, filiam suam puritatem videndi percepisse, evidentissimo certificatus signo, feminam beatam Hedvigim Poloniae Ducissam, mirae devotionis et flagrantissimi in Deum amoris viduam, in ecclesia fratrum Praedicatorum Viterbii Decimo octavo Calendas Decembris, Sanctorum ascribens catalogo, canonisat, die, quam Sancta Salomoni archidiacono Cracoviensi per visum praedixerat. Cuius canonisatione secuta, pronepos beatae Hedvigis Wladislaus Wratislaviensis Dux et Salczburgensis archiepiscopus, capellam in monasterio Trzebniczensi in parte australi penes chorum sumptuoso opere ex muro aedificat et exornat.

---

[1]) Kirczburg *Cod. Rozr.* [2]) immutationem *Cod. Rozr.* [3]) negotium *Cod. Rozr.* [4]) pontificum *Cod. Rozr.* [5]) Hedvigis *deest in Cod. Aut.* [6]) Non multis post *Cod. Rozr.*

ANNUS DOMINI 1267.

Cardinalis Guido Legatus in Polonia contra Saracenos Cruciatam publicat.

Guido Cisterciensis ordinis, Sanctae Romanae Ecclesiae tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis et Sedis Apostolicae de latere Legatus, a Clemente quarto Poloniam missus, primum Cracoviam Quinto Calendas [1]) Iulii veniens, a Boleslao Pudico Cracoviensi et Sandomiriensi Duce, item Paulo Cracoviensi episcopo et processionibus omnium ecclesiarum, honore legationis exceptus est. Ex Cracovia [2]) Wladislaviam divertit, ubi Synodum generalem provincialem in festo Purificationis Sanctae Mariae tenuit. Ad quam cum Ianussius archiepiscopus Gnesnensis, Paulus Cracoviensis, Thomas Wratislaviensis, Wolimirus Wladislaviensis, Nicolaus Posnaniensis, Thomas Ploczensis, Wilhelmus Lubuczensis, Henricus Culmensis, et alii Polonicae ecclesiae episcopi et ecclesiastici convenissent, Guido Cardinalis et Legatus apostolicus, Terrae Sanctae oppressionem longo sermone exponens et succurri illi celerrime dignum deducens, subventionem a clero Poloniae dari sibi, et laicalem populum ad contribuendum de facultatibus suis, et anni Iubilaei gratiam percepturum, pro huiusmodi opere sancto animari expetiit. Crucem insuper contra Saracenos Terram Sanctam occupantes, in omnibus ecclesiis praedicari mandavit, et singula tam expetita quam mandata obtinuit: constitutaeque fuerunt per maiores ecclesias archae, in quas pecunia per eos, qui Iubilaeum mereri volebant, inferebatur. Omnes pontifices Polonicae ecclesiae benigne appellans et multipliciter honorans, in Paulum tamen Cracoviensem episcopum favore et gratia utebatur propensiori.

Leo Russiae Dux Woysalkum Lithuaniae Ducem circumventum obtruncat.

Nona die mensis Septembris [3]), Leo Dux Russiae, filius Danielis olim Russiae [4]) Regis, cum in Principatum Russiae patre obeunte successisset et tam opibus a patre relictis, quam gentibus suis potens esset, cum Woysalko [5]) Mendolphi alias Mendog filio Duce Lithuaniae, pro terris Russiae, quas idem Woysalk [6]) sui iuris facere nitebatur, in simultates et odia perveniens, praefatum Woysalk [7]) in quodam rure se continentem, circumventum obtruncat.

[1]) Idus *Cod. Rozr.* [2]) Ex Cracovia vero *Cod. Rozr.* [3]) Decembris *Cod. Rozr.* [4]) Ruthenorum *Cod. Rozr.* [5]) Voiszalco *Cod. Rozr.* [6]) Voyschalcus *Ed. Lips.* [7]) Voyschalcum *Ed. Lips.*

Czechonow [1]) castrum Masoviae per Pruthenos barbaros capitur et comburitur.

Vicesima quinta Decembris Boleslaus Dux Legniczensis moritur et in monasterio fratrum Praedicatorum in Legnicz sepelitur [2]).

Thomas Wratislaviensis episcopus moritur, atque idem episcopatus Wladislao Duci Wratislaviensi archiepiscopoque Salczburgensi ad vitae tempora in commendam conceditur.

Tertio Calendas Iunii, Thomas Wratislaviensis episcopus in aetate grandaeva consistens, exactis in pontificatu annis quinque et triginta, sub quibus bona episcopatus sui notabiliter auxit et ampliavit, moritur et in ecclesia Wratislaviensi sepelitur. Cuius ea erat apud praelatos et canonicos Wratislavienses reminiscentia et charitas, ut nepotem suum ex sorore Thomam, qui et ipse de nobili prosapia militum Poloniae erat, eligerent, rati illum avunculo, quemadmodum loco sic [3]) et merito successurum. Impedita tamen fuit eiusdem Thomae secundi confirmatio annis citra [4]) tribus. Wladislaus enim Wratislaviensis Dux filius Henrici a Thartaris occisi, archiepiscopus Salczburgensis, per multas intercessiones a Clemente quarto obtinuerat vacantem tunc Wratislaviensem ecclesiam cum usu et perceptione omnium eius fructuum, ad tempora vitae suae conferri in commendam.

Ex commissione Legati apostolici, lite sopita, castrum Raczansch per Ducem Cuyaviae occupatum episcopo et ecclesiae Wladislaviensi adiudicatur.

Frater Guido tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis, Apostolicae Sedis Summi Pontificis Clementis Papae quarti in Polonia Legatus, anno eiusdem Clementis Pontificatus secundo, committit abbati et custodi monasterii Sanctae Mariae Wratislaviensi ordinis Sancti Augustini Canonicorum regularium, longam litem et quaestionem periculosam inter Wolimirum episcopum et suam ecclesiam Wladislaviensem ab una, et Kazimirum Lanciciensem et Cuyaviensem Ducem partibus ab altera, occasione castri Raczansch [5]), quod idem Dux Kazimirus occupaverat. S. [6]) autem abbas et

---

[1]) Cziechanow *Cod. Rozr.* [2]) *Rem de obitu Boleslai Calvi Ducis Lignicensis, erronee fortasse hic loci in Codd. Aut. Calv. et Lis. ad annum 1267 positam, repetit denuo autor ad annum 1278 ampliori narratione.* [3]) ita *Ed. Lips.* [4]) circa *Cod. Rozr.* [5]) Raciąsz *Ed. Lips.* [6]) Praedictus *Cod. Rozr.*

P. [1]) custos Sanctae Mariae Wratislaviensis, quarta decima die Aprilis tribunali apud Wladislaviam antiquam posito, partibus auditis, causam per compositionem, adiudicando castrum Raczansch cum suo districtu Wolimiro episcopo et suae Wladislaviensi ecclesiae, dirimunt. Duce quoque Kazimiro absoluto, interdictum tollunt et relaxant, quod propter occupationem dicti castri servabatur.

Ossa beatae Hedvigis ex tumulo levata in veneratione habentur.

Quindecimo Calendas Septembris [2]) die, ad levandum ossa beatae Hedvigis Ducissae Poloniae, superiori anno canonisatae, ex tumulo, indicta, adveniente, confluente innumerosa [3]) utriusque sexus ad Trzebniczense monasterium, in quo corpus eius sacrum conditum erat, fidelium multitudine, Nicolaus abbas de Lubens, et Mauritius abbas de Kamyencz [4]), cum praelatis et canonicis Wratislaviensibus, ossa sacra beatae Hedvigis de suo sarcophago efferunt et lota vino, nonnulla et insigniora in thecam specialem, in eodem Trzebniczensi monasterio praeparatam, reponunt, alia in Wratislaviensem ecclesiam, caeteraque in Polonicas ecclesias distribuunt. Testa capitis sacri levata, cerebrum nulla putredine tabefactum, sed omni ex parte sanum et integrum, quod et in hanc diem in Trzebniczensi habetur monasterio, eundem integritatis tenorem observans, item tres digiti dexterae [5]) a corruptione salvi, parvulam ex ebore Virginis Benedictae Mariae gestantes imaginem, reperti sunt. Eam siquidem imaginunculam vivens femina beata Hedvigis in veneratione habens et cultu singulari prosequens [6]), ubique eam secum circumferre insueverat; lapsam deinde fortuito et amissam, magnoque ob id gemens, cum vario scrutinio requisita reperiri nequiret, anxiata dolore, cum sus repertam dolabro oris eam gestans feminae beatae in aede sacra oranti relatam porrexisset, tanta demum illam cura, tanta sedulitatis tractabat observantia, ut vigilans, dormiens, cibans et quicquid operis agens, tribus digitis, ne quo casu iterum excidisset, eam compressaret. In morte denique articulis, a quibus in vita gestabatur, adeo infixa adhaesit, ut nequaquam ex his, repetito saepius et irrito labore, posset divelli, Genitricis Dei, cui

---

[1]) *Nomina abbatis et custodis in Cod. Aut. et Calv. literis inicialibus* S. *et* P. *tantum exprimuntur; ast ex Iodoci de Ziegenhals Chronica Vratislaviensium abbatum B. Mariae V. in Arena (apud G. Stenzel: Scriptores rerum Silesiacarum, Tom. II) comperimus, abbatem hunc vocatum fuisse* Stephanum; *custodem vero fortasse* Petrum, *qui expost munere abbatiali fungebatur.* [2]) Quindecima Septembris *Cod. Rozr.* [3]) numerosa *Cod. Rozr.* [4]) Kamien *Cod. Rozr.* [5]) dextrae manus *Cod. Rozr.* [6]) prosequens *deest in Cod. Aut.*

omnia vivunt, membris etiam exanimatis, gestus officio in sepulchro, quo corpus cum imaginuncula claudi necesse erat, servitura. Elevationi autem ossium sacrorum unus tantummodo nepos suus germanus ex filio, Cunradus Glogoviensis Dux cum tribus filiis, Cunrado, Henrico et Przemislao, cum praeter hunc duo alii, videlicet Wladislaus Salczburgensis archiepiscopus et Boleslaus Saevus Legniczensis Dux, superstites forent, interfuit: quos nedum ex vicina, sed ex remotissima ora, iustum erat, et pro aviae [1]) honore, et pro consequendo merito, tanto celebritatis spectaculo interfuisse.

Antiochia a Saracenis capitur: ubi foede ac turpiter Christiani a Saracenis fuere tractati.

Antiochia civitas insignis et una ex Apostolicis Sedibus, cum per Zoldanum Babyloniae longa obsidione premeretur, tabefactis fame defensoribus, capitur: cum ante annos aliquot Hierusalem, iam non ferentibus Regibus et Principibus catholicis laboranti intus populo Christiano subsidia, capta fuisset. Et sic sensim consummitur Terra Sancta a Saracenis, in civitatibus et castris a Christianis possessis. De populo autem Christiano praefatae Antiocenae [2]) civitatis tunc captae horrendum et nunquam antea auditum factum est per Saracenos et exterminium et ludibrium, nullo crudelitatis genere omisso.

ANNUS DOMINI 1268.

Salomea Haliciensis Regina moritur et inter Sanctas computatur.

Decima Novembris die, Salomea virgo illustris Gallaciae seu Halicziensis Regina, soror germana Boleslai Pudici Cracoviensis Ducis (quae sponso suo Colomanno Gallaciae seu Haliczensi Rege, cum quo omni carnis illecebra profligata, in virginitate et summa continentia convixerat, obeunte, religionem et ordinem Sanctae Clarae professa, in Zawichostense monasterium se contulerat, et Zawichostensi monasterio ad Lapidem Sanctae Mariae alias Skalam prope Cracoviam translato, in observantia regulari et rigore vitae Virginum Domino annis duo de triginta [3]), nunquam a carne cilicium amovens, servierat, abbatissae officium gerens in Zawichostensi et in Lapide Sanctae Mariae monasteriis) moritur. Quae licet diebus septem iacuisset insepulta,

---

[1]) avae *Cod. Aut.* [2]) Antiochiae *Cod. Rozr.* [3]) duobus et triginta *Ed. Lips.*

pro foetore qui cadaveribus inesse consuevit, suavis odor sanctimoniales corpus suum frequentantes afflabat. Quarto demum Idus Novembris in eodem monasterio de Lapide sepultum: anno sequenti, Quarto Calendarum Iulii Cracoviam transvectum, in ecclesia Sancti Francisci Fratrum Minorum in chori medio, honore congruo humatum. Sed nec tum quidem, quamvis exaestuante sole, ex cadavere poterat a quoquam illud comitantium foetor sentiri: sed et quaedam ex sanctimonialibus coenobii praefati, Martha nomine, virgo religiosa et grandaeva, pro constanti astruebat [1]), etiam tunc ex corpore suo et suavitatem, fragrantiamque odoris et stillicidium olei manasse, quo multi aegrorum peruncti, integram se recepisse sanitatem testati sunt. Animam eius benedictam, coelos in magno fulgore petentem, in visione vidit frater Boguslaus ordinis Minorum, vir devotus et religiosus, et angelicum coetum canentem [2]) suavitate inenarrabili carmen: Fronduit, floruit Aaron virgula. Quae in carne posita, frequentibus suspiriis, lachrimis et obsecrationibus coelestem splendorem cognatumque desiderabat, illic degendi normam, piorumque conventum sitiens.

Octava Maii Boleslaus Dux Maioris Poloniae diem claudit extremum et in Gnesnensi ecclesia sepelitur [3]).

Kazimirus Cuyaviae et Lanciciae Dux moritur; et castri Bidgoscza proditor suo iussu occiditur.

Kazimirus Cunradi Cuyaviensis, Lanciciensis et Siradiensis Dux, morbo magis quam senio vexatus, humanis eximitur et in Wladislaviensi ecclesia sepelitur, duos filios, videlicet Lestkonem [4]) Nigrum et Zemomislaum [5]) alias Semovitum, ex Constantia Ducis Wratislaviensis Henrici secundi a Thartaris occisi filia, susceptos, relinquens. Et Lestko quidem Niger a patre, dum viveret, Siradiensi Ducatu emancipatus, Zemomislaum fratrem residuos duos Ducatus, videlicet Lanciciensem et Cuyaviensem, passus est (quamvis sors sua inferior esset) possidere. Desponsaverat autem, vitam agens Kazimirus praefatus Dux Cuyaviensis Zemomislao [6]) filio suo natu minori uxorem, virginem Salomeam, filiam Swantopelci Pomeraniae Ducis, ex qua successione temporis tres filios, videlicet Lestkonem, Przemislaum et Kazimirum Duces Cuyaviae et Lanciciae, et duas filias, Fennenam [7]), quae Regi Hungariae Stephano

---

[1]) astruebat veritate *Cod. Rozr.* [2]) canentium *Ed. Lips.* [3]) *Haec, que Dlugossius ad annum 1268 de morte Boleslai Ducis Maioris Poloniae, in Codd. Aut. Calv. et Lis. profert, sane sunt erronea: ipse enim autor expost ad annum 1279 denuo obitum Boleslai Pii fusius narrat.* [4]) Leszkonem *Ed. Lips.* [5]) Ziemomyslum *Ed. Lips.* [6]) Semovito *Cod. Rozr.* [7]) Femineam *Cod. Rozr.*

nupserat, et Constantiam Trzebniczensis monasterii abbatissam, suscepit. Mortem Kazimiri Ducis Cuyaviensis, etiam castri Bidgoscza, quod ad flumen Brda, in sorte Zemomislai [1]) et Cuyaviensi Ducatu situm est, defectio secuta est. Tenutarius enim illius Theodricus genere Pruthenus [2]), et qui idolalotria relicta, fidem rectam professus erat, nulla necessitate actus, tantummodo sperans se largitionem grandem consecuturum, castrum praefatum Bidgoscza fidei suae creditum, Boleslao Pio Calissiensi Duci tradit. Sero tamen se perfidiam admisisse dinoscens, in desperationem versus, de consciscenda morte ratione inita, accito familiari, ut se interficeret, imperavit. Qui iussa temeraria exequens, sponte cervicem. tendentem mucrone, alieno se inquinans scelere, praecidit. Erexit praefatus Boleslaus Pius Calissiensis Dux tria alia castra sub eo tempore, unum quidem in villagio Comitis Sczedrici, quod appellavit Dupin, alterum [3]) in villa Gnyewomiri filii Trzebyeslai, quod vocavit Nyeslusz [4]), tertium in terra Rudensi sive Welunensi super Przosnam, cui ex nomine suo Boleslawyecz nomen dedit: quod solum, duobus prioribus dissolutis, videmus a Kazimiro secundo Poloniae Rege cocto latere firmatum tantummodo superesse.

Clemens quartus Papa moritur.

Ultima Decembris die, vir vitae sanctissimae Clemens Papa quartus, insignis iurista et praedicator egregius, diu carnibus abstinens, asperrimo lecto prosemper, vestibus vero lineis ad carnem [5]) nunquam in Papatu utens, Viterbii moritur, cum annis prope tribus sedisset, et in ecclesia fratrum Praedicatorum Viterbii honorifice sepelitur. Post cuius mortem scissis in varia vota Cardinalibus, stetit Ecclesia Romana, non sine suo et totius populi Christiani grandi dispendio, annis circiter tribus pastore viduata.

Swantopelk Pomeraniae Dux moriturus mandat filiis, ne Cruciferos aut Polonos impetant: quinimo auxilia eorum, re exigente, implorent.

Quarta decima Iulii mensis die, Swantopelkus Pomeraniae Dux moritur et in monasterio apud Oliwam sepelitur, Mestwinum alias Msczugium, Warcislaum, Samborium et Rathiborium, quatuor filios relinquens: quibus in extremis agens, dedit mandata, quatenus a guerra Cruciferis movenda, quantum

[1]) Semoviti *Cod. Rozr.* [2]) Theodoricus genere Ruthenus *Cod. Rozr.* [3]) aliud *Cod. Rozr.* [4]) Niesłuch *Cod. Rozr.* [5]) et carne *Cod. Rozr.*

possent, se continerent, in Principes vero Poloniae omnem charitatem gererent, et in suis necessitatibus eorum solatia [1]) expeterent. Hi Ducatum Pomeraniae inter se quadrifarie partiti sunt: circa Msczugium tamen natu maiorem, consensu baronum Pomeraniae omnis superioritas et iussio relicta.

ANNUS DOMINI 1269.

Zemomisl Cuyaviae et Lanciciae Dux, ut coepit ad consilia Cruciferos admitti Polonis spretis, spernitur, et Poloni ad Boleslaum Pium deficiunt: qui relicto sibi castro Kruszviciensi, Polonos Zemomislao conciliat.

Zemomisl alias Semovitus filius Kazimiri, Cuyaviensis et Lanciciensis Dux, Principatum ex morte patris adeptus, mores et politiem Teutonicorum Fratrum, videlicet Cruciferorum, vehementer aemulatus (apud illos enim iuventam transegerat), omnia quae sibi agenda erant, cum illis communicabat, eorum sententiae et arbitratui singula permittens. Barones autem et milites Cuyavienses et Lancicienses, cum se contemptum et spretum iri a Duce suo Zemomislao acriter ingemiscerent, et nunc blandis nunc asperis verbis usi, contemptum sui [2]) rescindi frequentius casso labore interpellarent, Zemomislao Duce nequicquam a communione Cruciferorum averso, militari murmure primum, deinde seditione gliscente, mox etiam saevior defectio coorta est. Ad unum omnes, ne ludibrio forent, Zemomislao Duce suo deserto, et omni obedientia atque subiectione eidem subtracta, a suo se Principatu et dominio abdicant; et quo diuturnior solidiorque esset eorum defectio, ad Boleslaum Pium Calissiensem Ducem fasces deferunt, et illius, reddita defectionis causa, profitentur ditionem, non se hostem infestum pro Principe et domino, qui illos multiplici opprobrio vexaverat, de caetero habituros. Serius quam sibi expediebat Zemomislaus Dux suae transgressionis in milites temeritate discussa, Boleslaum Pium Calissiensem Ducem, magnis fatigatum obsecrationibus, donato insuper ei castro notabili sortis et Ducatus sui Kruszviciensis, pervincit, quod et deditionem militum Cuyaviensium et Lanciciensium abnuit, et eos Zemomislao Duci, eo tamen pacto, ut Cruciferorum consiliis abiectis, eorum velut fidiora, probatioraque sectaretur, reconciliavit.

---

[1]) auxilia *Cod. Rozr.* [2]) suum *Ed. Lips.*

Lithuani Cuyaviam praedantur.

Audientes Lithuani inter Zemomislaum Cuyaviae [1]) Ducem et milites suos seminarium discordiarum irrepsisse, Iaczwingis, caeterisque barbaris accersitis, terram Cuyaviae Quarto Nonas Septembris invadunt, et pluribus spoliis commissis, rapta praeda hominum et quadrupedum, illam, obstante nemine, in Lithuaniam deducunt.

Otto Marchio Brandeburgensis castrum Sulencz aedificat, postea civitatem Myedzyrzecz capit: Boleslaus vero Pius castrum Sulencz expugnat, diripit et comburit.

Santhoczensem castellaniam Otto Ottonis Marchio Brandeburgensis in proprietatem et ditionem suam redacturus, castrum Sulencz, inter oppidum Regni Poloniae Myedzyrzecz et Lubusch propere de lignis, adaptata perprius lignorum materia, et ne structura ipsa a Polonis dissolveretur, exstruxit. Boleslaus autem Pius Calissiensis Dux, etsi structuram iam consummatam castri praefati Sulencz graviter ferret, intelligens ex ea sibi et terris suis guerram necessario eventuram portendi, abolitionem illius in aliud tempus differens, oppidum suum Myedzyrzecz [2]) fossis et vallis, ligneisque propugnaculis, quae B l a n k y apud Polonos vocantur, per circuitum communire coepit. Apparari et adversum se a Boleslao Pio Duce Calissiensi Otto Marchio bellum, et illius gratia Myedzyrzecz muniri ratus, cum hostili exercitu in Myedzyrzecz irruens et opus munitionis semiplenum offendens, spoliato oppido et suis dato in praedam, tam illud quam coeptum munitionis opus, castro Myedzyrzecz necquicquam expugnato, quamvis ad illius conquisitionem amplissime niteretur, incendit. Discendentem a Myedzyrzecz mox Boleslaus Pius Calissiensis Dux cum potentiis gentium suarum persecutus, dum consequi nequiret, terram omnem Lubuczensem seu Lubusanam praefati Marchionis igne et spoliis in gyrum vastavit. Qua pervastata, ad castrum Sulencz noviter a Marchione erectum copias duxit [3]). Milites autem Polonorum ex scutis testudine facta, quamvis superne saxis crebris obruerentur, usque ad parietes castri irrumpunt, et glebatione securibus perfracta, igne et pinosa lignorum congerie admotis, castrum succendunt et conquirunt. In quo fere omnibus Saxonibus, quos Otto Marchio pro praesidio illic reliquerat, igne consumptis, Sabel capitaneus cum paucis vivus in manus Polonorum, inhibentibus Polonorum militibus ignem, cui paulo ante nutrimenta addebant, venit. Praeda

---

[1]) Cuiaviensem *Ed. Lips.* [2]) Międzirzecz *Ed. Lips.* [3]) deduxit. *Cod. Rozr.*

omni armorum, equorum et victualium, in castro reperta, militibus partita, reditum est.

Duae acies in aëre concurrentes visae.

Prodigium eo anno in Poloniae regione frequenter visum nuntiatum est. Duo enim exercitus armati et equestres, aciebus hostilibus et infestis inter se in aëre et nubibus concurrere et durum certamen gerere conspecti sunt. Quod ne perniciem reipublicae Polonorum portenderet, a devotis et religiosis viris monentibus, Deo omnipotenti supplicationes et obsecrationes habitae sunt.

ANNUS DOMINI 1270.

Otto Marchio Brandeburgensis castrum Santhok reaedificat; Boleslaus Pius Dux itidem non longe ab eo castrum aliud Drdzen octo diebus exstruit, quod illico Otto cepit.

In castri Sulencz a Boleslao Pio Calissiensi Duce expugnati et demoliti ultionem Otto Brandenburgensis Marchio, observato tempore, quo praefatus Boleslaus Pius Calissiensis Dux Cracoviam, Ducem Boleslaum Pudicum Cracoviensem visitatum abierat, castrum Santhok de lignis circa ecclesiam Sancti Andreae, Februarii diebus aedificat et consummat, validoque militum praesidio imposito, fossis et vallis dispositis, discedit. Boleslaus autem Pius Calissiensis Dux ex Cracovia reversus [1]), Ottonem Marchionem et pacta temerasse, et hostem se iam per aedificationem et occupationem castri Santhok professum esse comperiens, castrum Drdzen, vallatus stipatusque forti militum agmine, aedificat. Et cum in die Sancti Georgii inchoasset, infra dies octo, abundante artificum multitudine, opus coeptum absolvit, locatque militibus, castrum Santhok elisurus. Verum militibus Boleslai Pii tardius et negligentius munera praesidii observantibus, castrum Drdzen a Saxonibus nocte, decima septima [2]) Decembris die intercipitur, et pulso inde Boleslai praesidio, Otto Marchio [3]) Brandeburgensis castrum utrumque nactus, occupavit.

---

[1]) a Boleslao Pudico reversus *Cod. Rozr.* [2]) vigesima septima *Cod. Rozr.* [3]) Marchio *deest in Cod. Aut.*

Archiepiscopus Salczburgensis moritur; in Ducatum autem Wratislaviensem, quem regebat, Henricus quartus, et in episcopatum Thomas succedit.

Longo et assiduo languore Wladislaus Dux Wratislaviensis archiepiscopus Salczburgensis, filius Henrici a Thartaris occisi, vexatus (nonnulli enim Wratislavienses milites insimulati sunt, toxicum illi per escam, dum morte fratris Henrici secuta, Ducatum Wratislaviensem, in nepote relicto patrem et patruum agens, administrat, praebuisse) vicesima tertia Aprilis die, in Salczburg diem obiens, in Salczburgensi ecclesia tumulatur [1]). Quo absumpto, Henricus quartus pubertatem iam egressus, in sortem patris et patrui succedens, Wratislaviensis Ducatus optime a patre locati, utroque parente orbatus (iam enim et mater sua Iuditha diem obierat et in Trzebniczensi monasterio sepulta fuerat) suscipit gubernacula. Et Thomas electus a Capitulo in episcopatum Wratislaviensem, quem idem Wladislaus archiepiscopus Salczburgensis administrabat, succedit, et a Ianussio Gnesnensi archiepiscopo Siradiae confirmatur et benedicitur. Danti huic Wladislao in adolescentia apud Patavinum alias Paduam literis operam, virgo decorae formae a patre Paduano, cive quondam divite, tunc vero inope, quaestus turpis gratia adducta est, cuius ille conditionem miseratus, facinusque perosus, et egenti patri subvenit, et virgini, pudore servato, etiam dotem contulit. Pro quo quidem opere a singulis Paduani studii scholaribus celebratus est insigni fama.

Uno partu triginta sex pueri eduntur; item varia prodigia.

Multa monstra eo anno in Poloniae regionibus accidisse nuntiata sunt. In terra Cracoviensi matrona quaedam nobilis Margaretha, consors Comitis Wiroboslai de villa Nakel [2]), triginta sex pueros uno partu, vivos quidem, sed eodem die mortuos, effudit Cracoviae, Tredecimo Calendarum Februarii. Die Lunae, Octavo Idus Decembris, prima noctis hora, coelo patule in crucis modum aperto, lux immensa, speciem lunae praeferens, apparuit et tam urbem quam regionem Cracoviensem universam novo fulgore illustravit. Apud Kalisch oppidum, infra Natalis Christi octavas, natus est vitulus habens dentes caninos et duo capita canina, quorum unum maius in loco suo, aliud minus ad caudam situm erat, et septem pedes vitulinos, pelle etiam vitulina contectus: cuius cadaver nec canes nec alites volebant contingere. In Slesia Odram et Nissam fluvios tribus diebus rubra et sanguinea aqua fluxisse. In

[1]) sepelitur. *Cod. Rozr.* [2]) Nakieł *Cod. Rozr.*

eadem regione apud villam Michalow aestivo tempore, coelum sanguine pro aqua pluisse. Haec prodigia non in admirationem solum, sed et religionem versa, ne in perniciem Polonici populi verterentur, assidue a sacerdotibus, religiosisque et devotis viris et feminis, suppliciter obsecrantibus, propitiatio divina exorabatur.

Nec prodigiis tantummodo, sed et tempestatibus et diluviis annus hic apud Polonos insignis fuit. A vicesima siquidem et secunda die Iunii, usque prope dimidium Augusti, continuos nocte et interdiu coelo fundente imbres, adeo inflati aquis fluvii ripas excesserant, ut non solum segetes, agros, prata et campos, sed etiam villarum fastigia operirent. Wisla insuper fluvius in tantum excesserat, ut universum spatium inter montem Lyaszothinum [1]) et ecclesiam Sancti Stanislai de Rupella positum, occuparet, rabidoque suo cursu et homines et domos plures, pecora, pecudes, iumenta et quaeque reptilia, molendinaque absorbendo, vomeret et agris, silvisque induceret exterminium aut orbitatem, non agros solum, sed et villas, culminaque earum, et villarum incolas sorbens, et demersos tunc agros ad longa tempora steriles et inutiles efficiens. Scelere humano diluvium huiusmodi Polonis contigisse creditum est, ut qui tunc multis et novis perversitatibus Dei clementiam offenderent, nova et insolita punitione a iusto Deo mulctarentur.

Pomeraniae Dux terras Prussiae primum, deinde Cruciferi Pomeraniam non sine damno hostiliter ingrediuntur; tandem inter se pacem componunt.

Facile paternarum iussionum Mestwinus alias Msczugius Pomeraniae Dux oblitus, fretus Pruthenorum infidelium solatiis [2]), bellum movens Cruciferis, terram Culmensem universam et partem Prussiae, episcopatum videlicet Pomeszaniensem [3]), ex opposito oppidi Nowe, spoliis, caedibus et ignibus vastavit et plures Christianos delevit, quindecim insuper naves oneratas victualibus Cruciferis abstulit. Quo campum et exercitum dissolvente, Ludovicus Prussiae Magister, exercitu [4]) de Fratribus ordinis sui [5]) et aliis auxiliaribus collecto [6]), in die beatorum Petri et Pauli [7]) Pomeraniam circa oppidum Nowe ingressus, eam igne et spoliis afflixit, pluresque suos captivos solvit. Nec ea vastatione contentus, aliam expeditionem in Pomeraniam in die Sancti Bartholomaei egit, et circa oppidum Tsczow [8]) singula spoliis et flammis complevit. Quod malum Msczugius Pomeraniae Dux mitigaturus, per commu-

---

[1]) Lassotinum *Cod. Rozr.* [2]) auxiliis *Cod. Rozr.* [3]) Pomesaniensem *Ed. Lips.* [4]) exercitum *Cod. Rozr.* [5]) sui *deest in Cod. Aut.* [6]) colligit *Cod. Rozr.* [7]) Petri et Pauli Apostolorum *Cod. Rozr.* [8]) Thczow *Cod. Rozr.*

nes arbitros cum Magistro Ludovico et Ordine de pace agere coepit, quae tandem damnis hinc inde compensatis, stabilita est et a parte utraque parum inviolabiliter custodita.

Bela Hungaria Rex moritur et Strigonii sepelitur: cui Stephanus filius natu maior succedit.

Quinto Nonas Maii, alias die Veneris, Inventionis [1]) Sanctae Crucis, Bela Hungariae Rex, socer Boleslai Pudici Cracoviensis Ducis, genitor felicis Kunegundis consortis Boleslai Pudici, moritur, cum annis triginta novem regnasset, et Strigonii in Fratrum Minorum monasterio, quod ipse regali sumptuosoque opere inchoaverat, corpus eius sepelitur. Quod licet Philippus archiepiscopus Strigoniensis de monasterio huiusmodi per potentiam abstulisset et in ecclesiam suam Strigoniensem transtulisset, reddere tamen illud, querelam coram Apostolico [2]) Fratribus Minoribus facientibus, mandato Summi Pontificis Gregorii tertii constrictus, ad primaevum locum coactus est. Cui filius eius maior natu Stephanus successit [3]) in Alba regali coronatus, germanus frater Kunegundis Cracoviensis Ducissae, consortis Boleslai Pudici.

Decimo Calendas Octobris habita est Synodus provincialis in oppido Siradiensi de mandato et vocatione Ianussii archiepiscopi Gnesnensis, qui in illa personaliter praesidebat. Ad quam Paulus Cracoviensis, Thomas Wratislaviensis, Nicolaus Posnaniensis, Petrus [4]) Ploczensis, Wilhelmus Lubuczensis, episcopi convenerant.

Ludovicus Prussie Magister moritur et Theodricus eligitur; Mestwinus autem terram Culmensem, Theodricus Pomeraniam vastat.

Obeunte Prussiae Magistro Ludovico [5]) de Baldenstheyn [6]), octavus Magister Theodricus concorditer electus succedit; et Mestwinus Pomeraniae Dux Ludovici morte audita, cum notabili suarum gentium exercitu terram Culmensem ingressus, eam halociter, specialiter tamen bona episcopatus Pomeszaniensis ferro, spoliis et incendiis devastat. Quo discedente cum captivis et praeda, Theodricus Prussiae Magister illum cum gente sua insecutus, magnam Pomeraniae partem, Mestwino vicissitudinem referens, populatur igne et armis.

---

[1]) Exaltationis *Cod. Aut.* [2]) Apostolica Sede *Cod. Rozr.* [3]) in Regno Hungariae successit *Cod. Rozr.* [4]) Thomas *Cod. Rozr.* [5]) Ludowigo *Cod. Aut.* [6]) Baltenszteyn *Ed. Lips.*

Thomae episcopo Ploczensi mortuo, Goslaus secundus succedit.

Thomas qui et Thomka Ploczensium episcopus, cum annis octo in ecclesia Ploczensi sedisset, a paralysi vexatus moritur et in ecclesia Ploczensi sepelitur. Cui per electionem canonicam Goslaus secundus, canonicus Ploczensis, nobilitatem de domo et familia Griffonum ducens, succedit: a Ianussio Gnesnensi archiepiscopo, fretus Semoviti et Kazimiri [1]) Ducum Masoviae favore et consensu, confirmatur et in episcopum Ploczensem benedicitur.

Stephanus Hungariae Rex Cracoviam venit: ubi a Boleslao Pudico optime habitus et honoratus, foedus inter Poloniam et Hungariam renovat.

Stephanus Hungariae Rex limina beatissimi Stanislai Cracoviensis episcopi adoraturus, affinemque suum Ducem Boleslaum Pudicum et Ducissam eius Kingam, sororem suam germanam, visurus, in celebri et numeroso comitatu Cracoviam Septimo Calendas Septembris advenit, et processionum honore ab ecclesiis, a Duce vero Boleslao Pudico singulis necessariis, ex quo Regnum Poloniae et terras suas introivit, tractatus et provisus, digna congratulatione obviam illi cum consorte sua Kinga ad septimum lapidem eunte, exceptus est. Adventum autem novi et grati hospitis Stephani Regis Boleslaus Pudicus Dux ampliori gratulatione honorificaturus, curiam indixit, et hastarum ludos assidue et varii generis ac multifariam [2]) fecit, quibus expletis, victoribus proposita dedit praemia. Multisque diebus Stephanum Regem et omnes milites suos splendidis conviviis et mensis et omnium necessariorum abundantia, munifice et liberaliter singula administrans, festivavit. Innovatum est extunc foedus inter Hungariae et Poloniae Regna vetus, utriusque Regni consiliariis id optimum et salutare pro quiete Regnorum censentibus, et in verba sacra super lignum Crucis dominicae et a Stephano Hungariae Rege et a Boleslao [3]) Cracoviensi et Sandomiriensi Duce [4]), praelatis quoque et baronibus Hungariae et Poloniae iuratum, ut omnes casus felices et adversos ex aequo participarent, impendentes et eventuras necessitates communibus propulsarent viribus, eosdem amicos, eosdemque hostes, manente uno et eodem tenore quietis et amicitiae inter eos et Regna habituri. Donatum deinde Stephanum Hungariae Regem et suos primores mune-

[1]) Conradi *Cod. Rozr.* [2]) ludos et multifarios varii generis assidue *Ed. Lips.* [3]) a Boleslaoque Pudico *Cod. Rozr.* [4]) Duce *deest in Cod. Aut.*

ribus magnificis, Boleslaus Pudicus Cracoviensis [1] Dux in Pannonias revertentem, usque in Sandecz cum Kinga Ducissa consorte [2] sua est [3] prosecutus.

ANNUS DOMINI 1271.

Castrum Santhok Boleslaus Pius recuperaturus, omnem oram illius populatur; verum castro Santhok irrecuperato, rediit.

Duplicis pacti praevaricatione Boleslaus Pius Calissiensis Dux a Marchionibus Brandeburgensibus offensus, quod videlicet et castrum suum Santhok occupaverant et aliud Drdzen muniverant, expeditionem contra illos indicit. Et ex omnibus terris Maioris Poloniae, tam suis, quam nepotis sui Ducis Przemislai, sed et ex terris Cuyaviae, quae tunc Boleslao Pio velut curatori, sponte Duce Zemomislao Cuyaviae in eius ditionem concedente, parebant, copiis equestribus et pedestribus in unum adunatis, distincto in acies et turmas propter numerositatem exercitu, in castellaniam Santhoczensem villis et oppidis per Marchiones iure Teutonico optime locatam descendit, et populationem, incendia, vastationemque tam aedium, quam agrorum et villarum latius iussit extendi, hostes ad pugnam fumorum saltem irritatione eliciturus. Verum cum adverteret illos, tradentibus idipsum exploratoribus, decernendi [4] voluntate omissa, in castra et munitiones se recepisse, moenia tantummodo tueri contentos, ad oppidum Soldin, quod magis permunitum erat, copias duxit, et scalis appositis illud capit, et in [5] milites spoliis partitis, incendit. Omni tandem Santhoczensi provincia pervastata, demolita et eversa, praedarum frequentes greges et spoliorum supellectilem cum captivis vehens, in sua rediit, castroque Kruszviciensi nepoti suo Zemomislao Duci Cuyaviensi restituto, illud, ne a quopiam hostium intercipi contingeret, igne adhibito iussit deleri.

Ducibus Pomeraniae Msczugio et Warcislao de divisione discordibus, fratrem Msczugius capit: cui reconciliatus partem dat Ducatus. Qui ulturus iniuriam, a Cunrado Marchione Brandeburgensi suppetias petens, illi castrum et civitatem Gdansk tradit, tandem moritur.

Gliscente primum inter Msczugium ab una, et Warcislaum fratres ger-

[1] Cracoviensis et Sandomiriensis *Cod. Roer.* [2] consorte *deest in Cod. Aut.* [3] est *deest in Cod. Aut.* [4] decertandi *Cod. Roer.* [5] inter *Cod. Roer.*

manos Swantopelci filios et Pomeraniae Duces partibus ab altera [1]), de Principatu dividendo discordia, mox etiam odium hostile alterius in alterutrum [2]) coortum est, maiore natu Msczugio et superbe et arroganter se erga Warcislaum fratrem natu minorem gerente, et Principatus Pomeraniae differente ex aequo partitionem, quam milites Pomerani, quibus Warcislaus fuerat in odio, fieri dissuadebant, Principatum Warcislai quam maxime perosi. Ob quam rem veritus in se Msczugius a Warcislao excitari aut seditionem aut guerram, Warcislaum nihil hostile suspicantem, a militibus suggestus et inductus, capit et in vincula coniicit. Qui apud Redzk aliquanto tempore tenebatur captivus et vinculatus, quique [3]), faventibus sibi [4]) Msczugii militibus, carceres evadens, confluentibus ad illum plurimis Pomeranis novarum rerum spe sollicitatis, fratri Msczugio bellum infert. Sed certamine cum Msczugio inito, cum Msczugius probatos et exercitatos milites, aciem insuper magis frequentem et instructam haberet, Warcislaus tirones et hos quidem raros, parvo negotio a Msczugio fusus in silvas refugit, moxque de alio exercitu instaurando animum intendit. Verum omnibus Pomeranis stragem mutuam execrantibus et in militiam aegre euntibus, Msczugius placitare cum fratre Warcislao compulsus, indicta ob id die, Pomeraniae Ducatum ex aequo cum fratre Warcislao in praesentia militum partitus, reconciliatione mutua habita, civile abrogat bellum. Non quievit tamen Warcislai animus in Msczugium magnopere exulceratus, sed captivitatis suae dedecus magno furore, magnaque indignitate [5]) prosecutus, militibus etiam suis suapte ignito animo ampliores flammas adiicientibus, bellum in Msczugium tam proprio quam externo milite id gesturus, anxius et sollicitus apparat, non quieturus primum, donec vel Msczugium captum ea quae ipse pertulerat, vincitum pati cogat, aut ex Pomeraniae terra effugiat. Quod ut maturius expleat, Marchionem Cunradum Brandeburgensem, filiam Przemislai Posnaniensis olim Ducis matrimonio habentem, ad ferendum sibi contra fratrem Msczugium suffragia, enixius non tam precibus, quam praemiorum oblatione sollicitat. Cunradus autem Brandeburgensis Marchio, vir et ambitiosus et industrius, castellania Santhoczensi in vim dotis sibi data iam pridem inescatus, ad alias quoque Polonorum terras occupandas spem et animum porrigit, et laturum se Warcislao contra Msczugium solatia [6]) non abnuit, dummodo vel oblata praemia, vel certitudinem super illis acceperit. Warcislaus autem Dux pecuniae et ipse ac donativi inops, conditionem tamen Cunrado Marchioni Brandeburgensi de praemio dando (tantus fuit ulciscendi de fratre Msczugio ardor) impletu-

---

[1]) partibus ab altera *deest in Cod. Aut.* [2]) in alterum *Cod. Rozr.* [3]) qui *Cod. Aut.* [4]) illi *Cod. Rozr.* [5]) indignatione *Cod. Rozr.* [6]) auxilia *Cod. Rozr.*

rus, castrum, civitatemque Gdansk, quae sibi in sortem cesserant, Cunrado Marchioni [1]), donec summam, de qua inter illum et Cunradum Marchionem [2]) convenerat, exsolveret, obligat. Castroque Gdansk fortissimo Cunrado Marchioni [3]) tradito, in castrum aliud Wischegrod, bellum fratri [4]) movendum apparaturus, secedit, ac gravi valitudine et morbo correptus est; post paucos dies decedit, in Iunioremque Wladislaviam a militibus delatus, apud fratrum Minorum monasterium sepelitur. Reintegratum sibi Msczugius Dux morte Warcislai fratris ratus Principatum, etsi tam Wischegrod quam Tsczow, Gnyew, Swyecze et aliae munitiones atque castra, quae pro sua sorte Warcislaus acceperat, morte Warcislai secuta, in suam ditionem sponte concederent, castri tamen Gdanensis et oppidi possessionem repetenti, a Saxonibus Cunradi Marchionis nomine illud occupantibus responsum est: castrum et oppidum Gdansk ad ius et proprietatem Marchionis sui Cunradi, ex pactis cum fratre suo Warcislao initis, et graves impensas ad multa millia aestimatas ob id factas, recidisse; proinde abiret, et sua se in quiete possidere sineret. Quo offensus et irritatus responso, quid agendum expediret, cum suis consultabat. Et nonnullis quidem videbatur castrum Gdansk obsidione continua et impugnatione a Saxonibus evincendum esse: sed locus et natura et arte satis emunitus, longam obsidionem et difficilem expugnationem portendebat. Occurrebat et hostium respectus, ne Cunradus Marchio fortiori fretus potentia, obsidentes obterreret. Implorandum igitur omnes Boleslaum Pium Calissiensem Ducem, ex matertera Msczugii genitum, Principem ea tempestate tam animo quam militia pollentem, ut fratri [5]) Msczugio opem ferat, et portionem tam insignem Pomeraniae Ducatus, in quem ipse Msczugio mortuo et successorem non relicturo, successurus erat, abrumpi dolis et vafricie Saxonum non permittat. Ea sententia ab omnibus comprobata, ad Boleslaum Pium Calissiensem Ducem itum est, et solatia [6]) sua in recuperationem castri Gdansk expetita. Quae etsi, deliberatione cum suis habita, Boleslaus Pius, veteribus obliteratis offensis, conditionem Msczugii fraude Saxonum violati miseratus, se edixisset praestiturum: hieme tamen appetente, anni tempus sequentis ad obeundam rem huiuscemodi consignat: facilius aut indurata glacie aqua, aut solis fervore calidata, quam caduca et fragili, vicesque varias mutante aura, expugnationem castri praefati perfecturus.

---

[1]) Marchioni Brandeburgensi praefato *Cod. Rozr.* [2]) Conradum praedictum *Cod. Rozr.* [3]) Marchioni Brandeburgensi *Cod. Rozr.* [4]) Msczugio fratri *Cod. Rozr.* [5]) fratri suo *Cod. Rozr.* [6]) auxilia *Cod. Rozr.*

Lestkoni Nigro in corona baronum impotentia obiicitur a coniuge, quae illo relicto, in monasterio fratrum Minorum Cracoviae pro virgine se gessit.

Consors Lestkonis Nigri Siradiensis Ducis, Ducissa Griphina, filia Rosczislai Russiae Ducis, quamvis prope sex annis in viri sui Lestkonis Nigri contubernio degens [1]), virginem tamen se [2]) in eam diem, nec a viro suo cognitam, impotentiam et frigiditatem [3]) illi obiiciens, baronum et militarium, matronarumque Siradiensium concione advocata, agente etiam Lestkone Duce coram et accusationem silentio profitente, deduxit: peplo, quo caput obvolvere ut nupta solebat, in monasterio fratrum Minorum in Cracovia sub multorum praesentia detracto, virginem se deinceps, intecto capite deambulans, gerere, Lestkonisque Ducis consortia evitare coepit, coniugii huiusmodi divortium quaesitura.

Bellum inter Bohemos et Hungaros repetitur; superiorque factus Bohemiae Rex, spoliis onustus redit in Austriam.

Bela Hungariae Rege fatis absumpto, et in locum eius filio eius Stephano per insignitionem diadematis surrogato, bellum inter Hungaros et Bohemos et pactis et affinitate compositum, mox reintegratum est. Idibus siquidem Aprilis Bohemiae Rex Premislaus alias Ottokarus, castrum Przeszburg ad fluenta Danubii situm, hostiliter illud invadens, conquirit. Capit et Tarnawiam et Nitram, et eis spoliatis, in caeteras munitiones et regiones igne et spoliis saevit. Habita quidem sunt inter suos et Hungarorum milites particularia certamina, variam sortem partibus afferentia; in congressum tamen universae dimicationis uterque Regum venire distulit, ponteque in flumine Raab abrupto, Premislaus Bohemiae Rex praedis et spoliis onustus, in Austriam, quae tunc in sua ditione consistebat, multis militibus amissis, rediit. Quae eo ex Hungaria discedente, multis et variis tam spoliis quam incendiis, per Hungarorum milites vexata atque lacessita est.

Electio Papae Cardinalium discordia in biennium producitur; tandem Gregorius decimus eligitur.

Prima Septembris die, Cardinales Ecclesiae Romanae, qui, satore zizaniae

---

[1]) degeret *Cod. Rozr.* [2]) se gessit *Cod. Rozr.* [3]) fragilitatem *Cod. Rozr.*

serente inter illos discordiam, de eligendo Summo Pontifice plusquam biennio, identidem conclave ingredientes (quamvis a Philippo Francorum et Carolo Siciliae Regibus personaliter aditi, de expedienda electione sollicitarentur) convenire non poterant. De Simbaldo archidiacono Leodiensi absente agentes conclave, conveniunt, qui natione Lombardus de civitate Placentina et domo Vicecomitum [1]), etiam de archidiaconatu suo Leodiensi ab episcopo Leodiensi (quem postea iustius sede sua privavit) expulsus, ex devotione in Sanctam Terram transfretavit. Et electione sibi praesentata, Viterbium, ubi adhuc degebat, collegium Cardinalium venit, Papatuque acceptato [2]) vadit [3]) Romam, ibique coronatur et consecratur. Mirae vir in saecularibus experientiae, quamvis modicae literaturae: non pecuniarum lucris, sed eleemosynarum in pauperes largitioni operam dans, in consecratione autem Gregorius nominatus decimus.

Cunradus Glogoviensis Dux superducta alia coniuge, eidem tria castra et oppida dotis nomine obligat; qui a Boleslao fratre Legniczensi Duce, quin captivaretur, parum aberat.

Orbatus uxore prima Salomea, filia Wladislai Ottonis Maioris Poloniae Ducis, Cunradus Glogoviensis Dux aliam superducit, Brigittam filiam Theodrici Marchionis Missnensis, relictam quondam Cunradi nepotis sui, ex filio Cunrado Romanorum Imperatoris Friderici a Carolo Siciliae Rege victi et in Neapoli capite caesi, magnam et in pecunia et in supellectili secum dotem ferentem. Cui ratione nuptiarum pro dotalitio et dote accepta Cunradus Glogoviensis Dux Krosznam, Greyfensten [4]) et Przin castra et oppida obligavit et inscripsit. Rememoratus autem captivitatis suae Boleslaus Saevus Legniczensis Dux, quam a [5]) Cunrado Glogoviensi Duce pertulerat, oppidum Boleslawicze [6]) intercipit, ubi se pariter et Cunradum Ducem intercepturum rebatur; parum quoque abfuit, ut Cunradus caperetur. Quiescebat enim in eo suo oppido securus, sed de adventu hostili Boleslai fratris sui paullulum ante praescius, cum paucis exiliens, evasit.

Wolimirus episcopus Wladislaviensis moritur, Albertus succedit.

Wolimirus Wladislaviensis episcopus, cum annis tribus et viginti sedis-

---

[1]) Vicecomitum erat *Cod. Roxr.* [2]) accepto *Ed. Lips.* [3]) petiit *Cod. Roxr.* [4]) Greifenstein *Ed. Lips.* [5]) a germano suo *Cod. Roxr.* [6]) oppidum eius Glogow *Cod. Roxr*

set, moritur et in Wladislaviensi ecclesia sepelitur. Cui Albertus decanus Wladislaviensis, concorditer electus, nobilis de domo et familia Perstina sive Wyenyewa [1]), succedit, per Gregorium decimum provisus.

Paulus episcopus Cracoviensis vitae exemplo malus, divinarum et humanarum legum contemptor, per Ottham et Zegotham de armis Bipennium capitur, et ad Siradiense castrum portatur, indeque emissus per concordiam, castigatis captivatoribus et magna poena per Boleslaum Ducem episcopo soluta.

Ad illicitos et statui, culminique pontificali adversos abusus, Paulus Cracoviensis episcopus episcopali gravitate pessundata, conversus, lasciviam primum et voluptates sectatus, sanctimoniali quadam ex Lapide Sanctae Mariae violenter abstracta pro concubina abutebatur, violentus tandem et intolerabilis subditis et vicinis, Principi vero suo Boleslao Pudico Cracoviensi et Sandomiriensi Duci et iudiciis contumax et rebellis, assiduus in silvis tractando venationes [2]), rarus in ecclesia et officio, divinam et humanam contra se ultionem provocabat. Neque solum cum adversariis Ducis Poloniae baronibus, sed et cum Lithuanis et barbaris, connubiis et affinitate sibi allicefactis, quo adversus Ducem et leges tutus et impunis consisteret, sentire coepit. Consistentem illum in villa episcopali et curia Kunow, et tam salutifera [3]) monita Ducis Boleslai et praelatorum canonicorumque Cracoviensium, quam legum et iudiciorum scita contemnentem, duo militares Ottha et Zegotha de domo Bipennium (conscione [4]) et mandante Duce Boleslao Pudico, an iniussu eius, incertum est) aggressi, captivant, et rebus suis inter se partitis, captivum episcopum in Siradiense castrum per silvas et nemora, amicorum, fratrum, consanguineorum et familiarium episcopi, vim et adversitatem veriti, transportant: ubi a Duce Lestkone Nigro Siradiensi et eius officialibus susceptus, sub honesta custodia captivus mense integro detinebatur. Quod maiorem suspicionem et coniecturam in Boleslaum Pudicum auxit, captivitatis pontificalis ipsum fuisse auctorem, cum Lestko Niger Siradiensis Dux neque susceptorem, neque observatorem se captivi, nisi voluntatem Ducis Boleslai Pudici habuisset exploratam, praestitisset. Captivitatem illius Ianussius Gnesnensis archiepiscopus, ut par erat, detestatus, omnem Gnesnensem provinciam ecclesiastico [5]) interdicto subiecit. Ea necessitate et probris populorum Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux affectus, Paulum episcopum a captivitate solvit, et in Quadragesima cum illo per mediatores et ar-

[1]) Wieniawa *Ed. Lips.* [2]) in silvis venationibus operam dando *Cod. Rozr.* [3]) salutaria *Ed. Lips.* [4]) consentiente *Cod. Rozr.* [5]) ecclesiastico *deest in Cod. Aut.*

bitros [1]), Magistrum Dersicrayum [2]) praepositum et Walterum canonicum Cracovienses, sub certis conditionibus concordavit, quarum hae fuere insigniores: ut captivatores episcopi Ottham et Zegotham puniat et a suo consilio et communione sequestret, ut ducentas marcas argenti illi solvat, ut sortem ducalem in Dzerzanszna [3]) illi donet. Quae singula Boleslaus Pudicus Cracoviensis [4]) Dux executus, etiam Ottham et Zegotham captivatos in vincula coniecit ac per mensem unum vinctos tenuit. Qui tandem amicorum et fratrum soluti suffragiis, et pudorem illis illatum, et episcopi, suorumque fratrum [5]) impendentes insidias evasuri, haereditatibus, quas in Cracoviensi et Sandomiriensi Ducatibus obtinebant, venditis, ad Wladislaum Ducem Opoliensem commigravere, et in Opoliensi regione acceperunt incolatum.

ANNUS DOMINI 1272.

Msczugius Pomeraniae Dux cum auxilio Boleslai Pii castrum et oppidum Gdansk vi et armis recuperat.

Saxonicam et Marchionis Brandeburgensis Cunradi affinis sui perfidiam, in occupatione castri et oppidi Gdansk depromptam, Boleslaus Pius Calissiensis Dux repressurus, delectu expeditorum militum ex Maioris Poloniae et Cuyaviae terris habito, primum in Pomeraniam, ubi se illi Dux Msczugius Pomeraniae cum universo suo Pomeranico exercitu coniungit, quintadecima mensis Ianuarii die venit, ex inde aciebus instructis ad Gdansk applicat et castrum Gdansk tam aqua quam terra gravi obsidione constringit. Quod cum diebus aliquot tormentis et bombardis frustra quassasset, proiectionem tormentorum structuris castrorum sua firmitate elidentibus, nona demum die ad expugnationem castri milites educit. Et testudinibus ex asseribus frequentibus, ne subeuntes superne obruerentur, dispositis, castrum milites aggressi, varie illud impugnant. Et hi quidem testudinibus castro applicatis, securibus parietes violant, alii ignes parietibus adhibent, defensores fumo et flamma repulsuri [6]), alii scalis [7]) moenia conscendunt, sagittariis mira pertinacia tela in Saxones iacientibus in suorum tutelam. Neque Saxonibus minor animus inerat tam se quam castrum ex impendenti periculo tutandi, quin et ipsi saxis in grandinis modum emissis, ferventi aqua et pice Polonos et Pomeranos acrius insistentes, ferirent et prosternerent. Expugnatione tandem in

---

[1]) arbitros videlicet *Cod. Rozr.* [2]) Dersicragium *Cod. Rozr.* [3]) Dzierzna *Cod. Rozr.* [4]) Cracoviensis et Sandomiriensis *Cod. Rozr.* [5]) et fratrum ipsius *Cod. Rozr.* [6]) repulsant *Cod. Rozr.* [7]) scalis appositis *Cod. Rozr.*

longum diei protracta, cum in sauciorum et desideratorum locum Boleslaus Pius Dux, singula oculis et diligentia lustrans, novos et recentes milites succedere iuberet, Saxones, telis saxisque deficientibus, pugnam et defensionem remittunt. Propter quod Polonorum et Pomeranorum milites, spatio dato, castrum in locis aliquot perforant et perstringunt, clamoreque valido et quem victores edere solent, sublato, castrum irrumpunt et obvios quosque Saxones, tum perfidiae, tum acceptorum vulnerum memores, suis etiam parentaturi desideratis, obterunt et obtruncant. Pauci in turrim editiorem evadunt, qui vitam tantummodo pacti, armis et quae obtinebant deditis, compedibus et captivitati miserae addicti sunt. Poloni et Pomerani castro fortissimo praeter spem, in cuius expugnatione [1]) se longum tempus absumpturos portendebant, brevi potiti, etiam spoliis Saxonum potiuntur. Castro expugnato, et oppidum quod a solis civibus sine militum praesidio tenebatur, Msczugio Duci suo deditionem fecit. In hunc modum Saxonum perfidia ulta, et castro Gdansk suo Duci Msczugio restituto, Calissiensis Dux Boleslaus [2]), prosequente illum Msczugio Duce et se in eius fide, obsequio et clientela perpetuo una cum terra Pomeraniae mansurum repromittente, in Ducatus suos, exercitu licentiato, abiit. Msczugius autem Pomeraniae Dux in nonnullos cives Gdanenses [3]), et signanter in Arnoldum et Iacobum, eorumque cognatos, fratres et affines ultionem exercens, ipsos capite damnavit, bonaque eorum singula redegit in fiscum, quoniam hi et in mortem suam et suorum baronum conspirasse, propensiusque Marchioni Brandeburgensi adhaesisse, et maiorem hostilitatem Duci Msczugio ferebantur monstrasse. Duas autem villas, quae ad illos partinebant, Skrobothow et Withomyno [4]), ecclesiae Wladislaviensi et suo tunc episcopo Alberto, perpetuo donavit, beneficia divina recogniturus.

Stephanus Hungariae Rex moritur: cui filius Wladislaus succedit.

In maiori insula Budensi in Beginarum loco, Stephanus Hungariae Rex, germanus Kunegundis Cracoviensis Ducissae, cum annis duobus tantummodo regnasset, moritur et apud Albam Regalem sepelitur, duos filios Wladislaum et Andream relinquens. Cui celebratis ex more exequiis, Wladislaus maior natu in Regnum successit, septima post obitum paternum die praelatorum et baronum Hungariae favore ad regium culmen suffectus. Alter vero germanus suus Andreas cum et minorennis esset, ducale tantum nomen sortitus, sub Regis ditione fovebatur.

---

[1]) oppugnatione *Cod. Rozr.* [2]) Boleslaus Pius *Cod. Rozr.* [3]) cives civitatis Gedanensis *Cod. Rozr.* [4]) Vichomino *Cod. Rozr.*

Boleslaus Pius, misso Przemislao Posnaniensi Duce cum copiis, omnem oram Brandeburgensem vastat, duoque castra Strzelcze et Drdzen capit.

Quiete militibus ad expedienda [1]) arma, curandaque corpora, quatuor mensium concessa, Boleslaus Pius Calissiensis Dux alteram rursus omnibus passim terris suae ditionis expeditionem in Saxones et Brandeburgenses Marchiones, iniuriam occupationis castri Santhok prosecuturus, indicit. Ad quam Sexto Calendas Iunii, copiis equestribus et pedestribus convenientibus, ire aspernatus, in locum suum Przemislaum Ducem Posnaniensem, nepotem suum sextum decimum iam agentem annum, surrogat. Curam tamen traducendi et regendi exercitus, et omnem iubendi potestatem, Przedpolkoni palatino Posnaniensi et Iohanni, qui et Ianek appellatus, castellano Calissiensi, et ingenio et manu promptis, et quorum aestimatio apud caeteros supereminebat, demandat. His itaque ducibus exercitus Polonicus terras a Saxonibus occupatas, ultra Drdzen sitas, ingressus, castrum Strzelcze noviter a Cunrado Marchione Brandeburgensi fabrefactum, quod primum terras hostiles ingredientibus occurrebat, oppugnare aggressus, impetu et fervore expugnandi ingenti adhibito, capit. Et fere omnes Saxones ad praesidium illic relictos caedit, interimitque: paucis vita tributa est, quibus ut parceretur, Przemislaus Posnaniensis Dux furentes milites assidua interpellatione aegre [2]) pervicit. In tecta deinde et in agros igne et spoliis saevitum est, et omnis ora Saxonica citra Odram sita, hostiliter et usta [3]) et populatione vexata. In Poloniam denique cum praeda pecorum et spoliorum reversuro, et iam exercitu iuxta castrum Wyelen [4]) agente stativa, nuntiatur, castrum Drdzen parvo militum teneri praesidio, a Kassubitis quoque, qui in Polonico exercitu erant, navigio castrum aggressis et primam portam adortis, igne apposito incensum esse: militibus, quibus iam discedendi in penates facta erat per duces licentia, ex itinere revocatis, ad castrum Drdzen admovit exercitum. Sed Saxones ad praesidium illius relicti, extrema, quae et suis in castro Strzelcze acciderant, se passuros castro conquisito veriti, vitam tantummodo et libertatem pacti, Przemislao Duci de castro Drdzen deditionem faciunt: quod illico, excedentibus de illo Saxonibus, et ne violarentur, specialibus militibus ad terminos terrarum conductis, a Duce Przemislao firmo militum praesidio locatum est. Dux ipse Przemislaus Posnaniensis, tyrocinii sui primitiis duorum castrorum conquisitione insignitis, ad obeunda caetera bella prospero successu initiatus, ovans rediit.

---

[1]) expediendum *Cod. Rozr.* [2]) vix *Ed. Lips.* [3]) exusta *Ed. Lips.* [4]) Wieliun *Cod. Rozr.*

Prutheni a Cruciferis vincuntur.

Duobus Comitibus de Iulich et de Marka in Prussiam cum gentibus in die Sancti Vincentii, in solatium [1]) Fratrum Cruciferorum, qui iam biennio integro graves et assiduas clades a Pruthenis barbaris pertulerant, venientibus, aciebus ordinatis in terram Sambiensem fit descensus. Nec Sambienses detrectavere pugnam, occurrentesque Christianorum exercitui acerrime dimicant, ad extremum tamen multis hinc inde cadentibus, vincuntur barbari, et ad villam Sklunen [2]) diffugiunt, ubi certamine innovato, residui confliguntur, et Cruciferis plena cessit victoria.

Gnesnensi archiepiscopo mortuo, sex annis sedes vacavit.

Ianussius Gnesnensis archiepiscopus, cum annos duodecim in pontificatu exegisset, moritur et in ecclesia Gnesnensi sepelitur, vicesima sexta die mensis Augusti rebus absumptus humanis. Post cuius mortem licet Capitulum Gnesnense electionem celebrando, Gnesnensem praepositum Philippum concorditer et canonice elegisset, electio tamen sua, et propter Sedis Apostolicae frequentes et diuturnas vacationes et propter alias causas, non fuit confirmata. Quapropter ecclesia Gnesnensis annis circiter sex, sub quibus magna in suis bonis pertulit dispendia, viduata extabat pastore.

Glogoviensi Duci altera uxor moritur: cuius dotalitia bona parens occupat et archiepiscopo Magdeburgensi vendit.

Breviusculam et non diuturnam Cunradus Glogoviensis Dux voluptatem altero matrimonio expertus, Brigittam secundam sponsam suam Theodrici Marchionis Missnensis superiori anno traductam filiam, fato interceptam amisit. Genitor autem illius Theodricus Marchio Missnensis, morte filiae cognita, dotalia illius bona, per Cunradum Glogoviensem Ducem inscripta, videlicet Krosznam, Greyfensten [3]) et Przin, missis officialibus, Cunrado Glogoviensi Duce nequicquam prohibente, occupat. Et illorum nactus possessionem, Cunrado archiepiscopo Magdeburgensi dicto de Steymberk, ea in decem florenorum millibus vendit et obligat, et ipsum Cunradum archiepiscopum et

---

[1]) auxilium *Cod. Rosr.* [2]) Sklunen *Ed. Lips.* [3]) Greifensteyn *Ed. Lips.*

suam ecclesiam Magdeburgensem, praefatorum bonorum, eo iure quod sibi competebat in illis, instituit dominum, haeredem et successorem.

ANNUS DOMINI 1273.

Premislaus Rex Bohemiae cum Boleslao Pudico de Ducatu Oppaviae concordaturi conveniunt: quam concordiam relinquunt suspensam.

Veteres simultates, differentias et odia Premislaus Bohemiae Rex ab una, et Boleslaus Pudicus Cracoviensis Dux partibus ab altera, quae occasione Ducatus Oppaviensis, a Premislao Bohemiae Rege perperam occupati, inter illos annis superioribus gestae sunt, aequitatis via complanaturi, in Oppavia conveniunt. Et baronibus communibus agentibus, plures viae pro pacificandis Principibus et tollendo dissidio tentatae sunt. Verum cum nulla earum procederet, quoniam neque Bohemiae Rex Premislaus de occupato Ducatu Oppaviae, asserens illum post Myeczslai [1]) Opoliensis Ducis mortem, testamento sibi legatum et relictum, ad se devolutum legitime esse, cedere, neque Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux tam notabilem portionem terrarum Regni Poloniae abrumpi et altero Regno appropriari, assentire vellet, barones communes et consiliarii Regnorum, bella in eorum capita et pericula recisura pro posse evitaturi, Principes quidem invicem reconciliant et amicitiae vinculum inter illos [2]) firmant. Quaestionem autem de Ducatu Oppaviae in annos viginti per sufferentias pacis, in illud tempus duraturas suspendunt.

Auctore Paulo episcopo Cracoviensi multi rebellant milites, Wladislaum Opoliensem Ducem vocantes ad Ducatum. Qua re Boleslaus Pudicus cognita, misso exercitu omnes profligat, superstitibus castigatis.

Redeuntem ex Oppaviensi dieta Boleslaum Pudicum Cracoviensem et Sandomiriensem Ducem civile bellum et militum nonnullorum suorum seditio, dudum quidem gliscens, sed tum primum erumpens, excepit. Author illus principalis Paulus Cracoviensis episcopus insimulabatur, quem per licentiae campos iam tunc gradientem, et gravitate pontificali omissa, venationes per se tractantem, cum Lithuanis quoque et fidei et Polonorum hostibus iungentem publice, quo adversus proprium Ducem et dominum Boleslaum

---

[1]) Myeczszlavi *Cod. Aut.* [2]) eos *Ed. Lips.*

Pudicum securior esset, affinitates et connubia, ecclesiam suam Cracoviensem rarissime officiantem, et conventus nonnullos cum militibus rapto aut furto vivere assuetis, aut iudiciis damnatis, vel aere alieno gravatis, agentem, Dux Boleslaus vel capiendo vel exiliando, restinguere decreverat. Erant et plerique milites Boleslao Pudico suapte infensi, quod quosdam illorum pro demeritis, bonis haereditariis, quosdam capite, nonnullos carcere et captivitate mulctaverat. Rebellaturi itaque Boleslao Pudico suo Duci et seditionem adversus illum atque bellum excitaturi, Wladislaum Opoliensem Ducem per nuntios secrete primum conveniunt, et suis gravaminibus illi expositis, et eo praesertim, quod illis inconsultis et dissentientibus, Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux [1]) sibi successorem Lestkonem Nigrum Ducem Siradiensem, Principem eis ingratum, destinarit, deditionem illi terrarum Cracoviensis et Sandomiriensis offerunt, precantes, ut illam non abnuat suscipere, gratius ipsum quam Lestkonem Nigrum in Ducem et dominum propter multos respectus et vicinitatem, connexionemque terrarum et commoda inde sequentia, habituri. Elatus hac deditione et oblatione Wladislaus Opoliensis Dux, eam parum deliberatus acceptat, sperans se Cracoviensis et Sandomiriensis Ducatuum dominium, et propter Boleslai Pudici Ducis orbitatem et senium, quo propediem moriturus destinabatur, facili negotio assecuturum. Mandat quoque Cracoviensibus et Sandomiriensibus militibus, ut ad se personaliter pro die certo in Opoliam veniant, deditionem ipsam iureiurando et literis firmaturi. Ad rem itaque huiusmodi componendam, de consilio et suasu praedicti Pauli Cracoviensis episcopi, in numero frequenti, et fere omni sua et suorum potentia (invasionem enim a Duce Boleslao Pudico re plurimum vulgata verebantur) progressi, usque in Bogehim villam monachorum pervenerant, ubi illos Boleslai Pudici Ducis exercitus ex curiensibus militibus et nobilibus, qui fidem Duci suo promissam temerare impium ducebant et nefarium [2]), die Veneris Quarto Nonas Iunii consequitur. Fit itaque durum certamen inter utrosque, et tam pugna atroci certatum est, ut fere nemo loco cesserit; propter quod multi mortales ab utraque parte caesi, omnes pectore adverso, loca quae ceperant, mortui occupabant. Inter desideratos Swanthoslaus filius Wladimiri, Rathiborius castellanus de Lukow et alii plures numerati sunt. Cessit tamen militibus Boleslai victoria, licet non incruenta. Pauci qui evaserant, ad Wladislaum Opoliensem Ducem fuga se recipiunt. Sed post victoriam et in vivos et in desideratos rebelles per Boleslaum Ducem animadversum est, et bona eorum singula confiscata, et aut usibus attributa ducalibus, aut victoribus distributa. Extabant et aliae magis principales, magisque urgentes et verificae seditionum causae: calumniarum enim

---

[1]) Dux *deest in Cod. Aut.* [2]) impium et nefas ducebant, collectus *Cod. Rosr.*

virus, Boleslao Pudico Duce et dissimulante et tolerante, per omnia suorum Principatuum loca adeo diffundebatur, grassabaturque, ut plures numero militares viri simplices et iusti per calumniatorum astus et dolos iudiciis damnati et poenis innocenter addicti, aut suis exuerentur patrimoniis, aut iudiciales transgressiones, quas culpas vocitamus, tam Duci et iudicibus, quam actoribus solvere coacti, gravissimis dispendiis subiacerent. Querulantium insuper, et se super suis offensis et iniuriis adeuntium, parum iustus, parumque finalis decisor, munerumque et largitionum sectator, modico accepto munere, facile in partem utramque, cum unius tamen laesione et praeiudicio, praeceps ferebatur. His accedebat, quod canum nimius et immoderatus amator et fotor, venationum quoque excessivus et intempestivus tractator, tam ecclesiasticis quam saecularibus [1]) crebra irrogans et ingeminans gravamina, universis suis subditis, qui pro ea tempestate ad tractandum et prosequendum ducales venationes, ad nutriendum quoque ducales canes erant obnoxii, onerosus et importabilis censebatur.

Lithuani terram Lublinensem praedantur: quod etiam factum fertur suggestione Pauli episcopi Cracoviensis evenisse.

Oppresso civili bello, aliud barbaricum aeque horrendum et detestabile emersit. Lithuani siquidem gentiles, Pruthenorum etiam et Samagitarum coaucti solatiis [2]), hostili et gravi exercitu in terram Lublinensem prima die mensis Iulii descendunt, et Boleslao Pudico Duce tum propter subitum et inopinatum illorum adventum, tum propter diminutam ex civili bello potentiam, suis non ferente opem, grassantur [3]) barbari passim in omnes, et maiorem partem terrae praefatae Lublinensis peragrando, et incendia et stragem miserabilem edunt, et multos mortales cum spoliis et pecore in servitutem abducunt. Insimulatus est etiam et hanc cladem Paulus Cracoviensis episcopus, insimulatione vulgata et notoria, Cracoviensi Duci Boleslao suo adversario et terrae Lublinensi, velut in ultionem eorum [4]), qui ad Bogehim ceciderant [5]), procurasse, et Lithuanos suapte fidei Christianae [6]) et Polonis hostes, ad inferendum Polonis et Ducatibus Boleslai Pudici bellum, tam literis quam nuntiis, tanquam confoederatos et affines suos, incendisse. Occisorum quoque ad Bogehim domestico bello et in Lublinensi terra externo, sanguis adeo illi imputatus est, ut circumstantibus illum in monasterio Sanctae Trinitatis ordinis Praedicatorum in Cracovia tunc commorantem septuaginta viris,

[1]) saecularibus viris *Cod. Rozr.* [2]) auxiliis *Cod. Rozr.* [3]) congrassabantur *Cod. Rozr.* [4]) illorum *Cod. Rozr.* [5]) caesi sunt *Cod. Rozr.* [6]) Christianae *deest in Cod. Aut.*

vox ex aëre ad eum, bonine an mali Angeli [1], prolata scribatur [2] eo ipso in tempore sonuisse: Vae tibi Paule episcope, satius tecum actum esset, si natus non fuisses! Visus est et a quodam religioso per quietem lupus, erectis prioribus in sursum pedibus, vocem humanam contra Paulum episcopum exclamasse: Vae tibi Paule episcope, quoniam cepisti et occidisti! Qua voce et relatione conterritus, plurimum et contritus erat, cum fletibus et lamentis sua scelera in cubiculo solitarius deplangeret, audivit alteram vocem: Ne timeas, inquit, Paule episcope, age quodlibet, in anno septimo moriturus! Cui voci respondit: Optime, inquit, mecum aget Divina pietas, si vitam mihi usque in septennium protelaverit, infra illud tempus de forefactis [3] meis digna poenitentia expiationem obtenturus. Hae voces adeo fuerunt sonorae [4], ut etiam ab his, qui fores cubiculi observabant, patenter exceptae sunt.

Terrae Polesitarum et Pruthenorum a Ducibus christianis populantur.

Lithuanis terrae Lublinensis vastationi intendentibus, Lestko et Cunradus Cuyaviae et Masoviae Duces, terras Polesitarum et Pruthenorum forti potentia ingressi, ipsas igne, spoliis et caedibus populantur. Nullam quoque a barbaris experti resistentiam, magnum captivorum et spoliorum numerum in propria deducunt, et vicissitudinem dignam in Lithuanos pro terrae Lublinensis vastatione, foenore geminato reddunt.

Ulturus ambitionem Ducatuum suorum Ducis Opoliensis, Boleslaus Pudicus cum magnis copiis omnem Ducatum illius praedatur.

Cladium, quas pertulerat ad Bogehim et in Lublinensi ora, Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux [5], magnum et principalem occasionem Wladislaum Opoliensem Ducem, quod militibus Cracoviensibus et Sandomiriensibus rebellionem et novas res molientibus faverat et rebellionis eorum receptator [6] extiterat, fore ratus, omnem iram in illum, velut suorum Principatuum ambitorem vertit, contractisque ex omnibus suis provinciis copiis, ferentibus illi personalia solatia [7] Boleslao Pio Calissiensi et Maioris Poleniae, et Lestkone Nigro Siradiensi, Ducibus, terram Opoliensem infesto agmine in festo [8] Sanctorum Simonis et Iudae [9] ingreditur, et vastationem

---

[1]) Angeli, incertum, *Cod. Rozr.* [2]) ferebatur *Cod. Rozr.* [3]) factis *Cod. Rozr.* [4]) sonorosae *Cod. Rozr.* [5]) Dux *deest in Cod. Aut.* [6]) acceptator *Cod. Rozr.* [7]) auxilia *Cod. Rozr.* [8]) die *Cod. Rozr.* [9]) Simonis et Iudae Apostolorum *Cod. Rozr.*

latius quo potest, vicos urendo et oppida, extendit. Ad ipsam quoque civitatem Opoliensem accedit, et omnia suburbana eius pervastat et inflammat; ab expugnatione et obsidione abstinet, urere tantummodo tecta et depopulari agros contentus. Non poterant multiplices fumi et flammantes aedes Wladislaum Opoliensem Ducem [1]) elicere ad pugnam: evidens enim periculum, cum tribus simul Ducibus expeditos et probatos milites habentibus, si ipse cum paucis decernere [2]) statuisset, metuebatur. In pabulatores tamen et milites, qui longius a castris progressi agebant praedas, saepius irruens et palatos [3]) passim per agros milites devincens, multis incommodis, caedibusque Boleslai exercitum et caeterorum Ducum secum una militantium affecerat, et multos aut obtriverat aut coeperat. Ab Opoliensi oppido continuato itinere versus Koszle et Rathiboriam itum est, nec ante vastationis finis datus, donec omnes terrae Wladislao Opoliensi Duci [4]) parentes pervastatae sunt [5]).

Nicolaus episcopus Posnaniensis moritur; Iohannes Wiskowyecz succedit.

Nicolaus Posnaniensis episcopus, cum annis novem pontificatum exercuisset, Posnaniae moritur et in Posnaniensi ecclesia [6]) sepelitur. Cui Iohannes primus dictus Wiskowyecz [7]) canonicus Posnaniensis per electionem canonicam successit, a Gregorio Papa decimo per favorem et intercessionem Boleslai Calissiensis dicti Pii [8]) et Przemislai Posnaniensis, Maioris Poloniae Ducum, provisus, nobilis genere Polonus, de domo et familia...... [9]).

Przemislaus Posnaniensis Dux matrimonii contrahendi gratia in terras Slavorum descendit, matrimoniumque perficit.

Matrimonium propter relinquendum successorem (unicus enim erat) Przemislaus Posnaniensis Dux a Boleslao Pio Calissiensi Duce patruo suo, qui et ipse, quo ad virilem sexum infoecündus, persuasus et instigatus, cum annum tunc sextum decimum explevisset, contracturus, in Slavorum terram et ad oppidum Stetin, ad Ducem Slavorum Barwin, neptem suam, filiam videlicet filiae, natam Henrici Ducis de Wisczimirz [10]), vel quemadmodum aliis placet,

---

[1]) Ducem *deest in Cod. Aut.* [2]) decertare *Cod. Rozr.* [3]) palantes *Cod. Rozr.* [4]) Wladislai Opoliensis Ducis dominio *Ed. Lips.* [5]) sunt. *deest in Cod. Aut.* [6]) et ibidem *Cod. Rozr.* [7]) Wiszkowiecz *Cod. Rozr.* [8]) Boleslai Pii Calissiensis Ducis *Cod. Rozr.* [9]) *Nomen familiae Iohannis episcopi Posnaniensis deest in omnibus Codd.; hic tamen de domo stemmate* Navis (Łodzia) *insignita ortum suum duxisse, a nonnullis scriptoribus perhibetur.* [10]) Wisczimicz *Cod. Rozr.*

Nicolai Kassubitarum Ducis, nomine Lukerdem, visurus, descendit. Et cum tam mores quam forma virginis illi complacuissent, accipit illam in coniugium, celebratisque in oppido Stetin nuptiis, illam in Posnaniam septima Iulii die advehit: quae et processionis honore a cathedrali Posnaniensi et a caeteris ecclesiis, et a Boleslao Pio Calissiensi Duce, item Nicolao Posnaniensi episcopo, item [1]) baronibus et optimatibus Maioris Poloniae, obviam illi euntibus, digna reverentia excepta est.

ANNUS DOMINI 1274.

Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Wladislaus Opoliensis Duces reconciliantur.

Recrudescebat inter Boleslaum Pudicum Cracoviensem et Sandomiriensem Ducem, et Wladislaum Opoliensem Ducem, anno superiori coeptum [2]) et gestum bellum, et unus in alterius perniciem copias expediebat et arma, vicinosque Principes et vicinas gentes aut necessitatis vinculo, aut donativo, summo studio contrahebat, maioribus prope odiis quam armis bellum gesturi: cum Boleslaum [3]) Cracoviensem Ducem [4]) indignitas facti, quod Wladislaus Dux [5]) in suarum terrarum occupationem aspiraverat et a nonnullis Cracoviensibus militibus iniustam deditionem acceperat, Wladislaum vero Opoliensem Ducem exusti, spoliatique Principatus et recentes cineres atque favillae in sua et baronum suorum ora recidentes, ad inferendum bellum stimularent. Boleslaus interim Pius Calissiensis Dux, quamvis partium Boleslai Pudici Cracoviensis [6]) Ducis esset, dissidentes Duces coepit ad pacis et aequitatis viam reducere et utrique pacem persuadere: quorum per plures tractatus et fatigas flamma tandem restricta, aequis conditionibus, quod apud nonnullos vix possibile videbatur, redditis hinc inde captivis et damnis compensatis, pacem composuit.

Fundatio monasterii ordinis Cistercicensis in Polplyn, vel potius translatio per Msczugium Pomeraniae Ducem.

Quarto Nonas Ianuarii, Mstivogius [7]) Dux Pomeraniae in castro suo Szwyecze [8]) agens, monasterium in Polplyn [9]) in terra Pomeraniae et terri-

---

[1]) nec non *Cod. Rozr.* [2]) coeptae dissensiones *Ed. Lips.* [3]) Boleslaum Pudicum *Ed. Lips.* [4]) Ducem *deest in Cod. Aut.* [5]) Opoliensis Dux *Ed. Lips.* [6]) Cracoviensis et Sandomiriensis *Cod. Rozr.* [7]) Msczugius *Cod. Rozr.* [8]) Szwiecie *Cod. Rozr.* [9]) Polpin *Cod. Rozr.*

torio Thimaviensi [1]), sub titulo et honore Beatae Mariae Virginis, ordinis Cisterciensis, olim Nowin Dobrany appellatum, fundat vel potius transfert. Dudum enim Samborius Dux Pomeraniae patruus germanus dicti Mstivogii [2]) illud fundaverat et bona Pogothkow, Kobylow et Koszmyn donaverat: quod propter inhabilitatem loci Msczugius in Polplyn transtulit et ampla dote ac libertatibus magnificavit.

Puer hora nativitatis suae et dentes habet et loquitur: verum in baptismo mox amittit utrumque.

In Cracoviensi territorio prodigium nuntiatum plures in admirationem sui convertit. Puer enim natus masculus ipso nativitatis suae die et hora dentes habere, verbaque articulate proferre compertus est, et utrumque illi, videlicet tam dentes quam sermo ad baptismum mansit. Quamprimum vero fonte sacro renatus exstitit, illico excidentibus dentibus, etiam sermo et loquela intercidit; triennio tandem expleto, vitam quoque amisit.

Lugduni frequens Concilium celebratur, in quod legati Graecorum et Thartarorum venientes, illi ad unitatem fidei redeunt, isti vero baptizantur.

Gregorius Papa decimus pro utilitate Terrae Sanctae, cuius recuperationi decreverat personaliter intendere, ex Urbe et Italia in Gallias descendit, et in Lugduno in Calendis Maii Concilium, quod ante biennium indixerat, celebravit, in quo et Graecorum et Thartarorum celebres interfuerunt nuntii. Et procurante Pallialogo, qui tunc Constantinopoli imperabat, Graeci ad unitatem fidei redire repromittunt. In cuius signum, Symbolum alta voce et cum solennitate decantaverunt, profitendo Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere. Nuntii vero Thartarorum intra Concilium baptisati, ad propria redierunt. Numerus autem praelatorum, qui interfuerunt huiusmodi Concilio, fuit quingentorum episcoporum, septuaginta abbatum et aliorum praelatorum mille. In quo Concilio multa salubria in subsidium Terrae Sanctae sancita sunt, et tam transfretantibus in illius recuperationem, quam conferentibus suas substantias, gratia anni Iubilaei concessa, et trunci in ecclesiis cathedralibus Poloniae ad colligendas eleemosynas instituti.

---

[1]) Tunaviensi *Cod. Rozr.* [2]) Msczugii *Cod. Rozr.*

Radolphus in Regem Romanorum electus per Papam confirmatur.

Sub idem tempus Radolphus Comes de Anesburgh [1]) circa partes Basileae [2]), homo inter Almanos humilis sortis et generis, sed animi magni et celebris, in Regem Romanorum eligitur. Quam electionem Gregorius decimus in favorem Terrae Sanctae confirmat, et pro eiusdem Regis Radolphi quiete in Regno et subsistentia, Alphonsum Castellae Regem de iure Imperii, pro quo deducendo multos sumptus et fatigas impenderat, cedere et in suis manibus renuntiare, prece et persuasione impellit. Qui quietatus in Regno et confirmatus, Cruce illico cum pluribus Princibus et baronibus Almaniae se insignivit.

Prutheni, Culmensi terra vastata, Henricum Magistrum Prussiae vincunt.

Culmensis terrae gravem vastationem, quam illi Prutheni barbari Nactagenses [3]) per caedes varias, praedas et ignes inferebant, Magister Prussiae Henricus prohibiturus, congesta omni sua potentia, barbaros praedam ingentem vehentes insectari coepit: quos apud Lubaviam offendens, illorum agmen invadit. Verum barbari fuga simulata, in vicinum nemus abeunt, ex quo fortius Cruciferorum exercitum, vicisse se ratum et ob id solutis ordinibus dispersum, invadunt. Et licet durum et longum certamen commissum foret inter utrosque, Prutheni tamen Henrico Magistro et Theodrico marsalco, pluribusque aliis de exercitu Cruciferico occisis, evasere victores, sed et praedam quam tulerant, in suam regionem transvexerunt. Et licet in subsequenti tempore Dux Brunszwiczensis, item Lantgravius Thuringiae, item Rex Bohemiae, item Marchio Brandeburgensis cum filio, cum suis potentiis Christianis venissent in solatium [4]), nulla tamen re memorabili propter hiemis mollitiem et intemperiem edita, in regiones suas abierunt. Marchio tamen Brandeburgensis castrum et oppidum constituit, quod Brandenburg appellavit.

Thomas de Aquino ad Concilium Lugdunense vocatus in itinere moritur.

Clarissimus et rarae excellentiae vir tam in doctrina quam in vita, Thomas de Aquino ordinis Praedicatorum, Doctor insignis, post multos scrip-

---

[1]) Rudolphus Comes de Anesburg *Cod. Rozr.* (de Habsburg *rectius*). [2]) Basilicae *Cod. Lis.* [3]) Noctagenses *Cod. Aut.* [4]) auxilium *Cod. Rozr.*

turarum sacrarum, quibus Ecclesiam Dei multipliciter illustravit, labores, ad Lugdunense Concilium per Gregorium Papam [1]) vocatus, dum ex Neapoli, ubi degebat, in Lugdunum perrecturus, discedens in Campaniam pervenisset, gravi languore correptus, cum sui ordinis monasteria de prope non extarent, ad monasterium Cisterciensis ordinis, quod Nova fossa appellatur, divertit. Et ingravescente aegritudine, et cum ingenti devotione, mentis quoque et corporis, qua semper splenduit, puritate, moritur et in presbyterio altaris maioris monasterii praedicti honestissime sepelitur. Cuius sanctitatem clemens Dominus multis miraculorum illustravit splendoribus.

ANNUS DOMINI 1275.

Griphina consors Lestkoni Nigro per Boleslaus Pudicum reconciliatur.

Separationem, qua se Griphina Ducissa Lestkonis Nigri Ducis Siradiensis consors, obiecta illi frigiditate et impotentia, quadriennio iam transacto seiunxerat, Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux moleste ferens, dedecus et ignominiam propterea fratri suo Duci Lestkoni Nigro inustam abstersurus, in Siradiam personaliter descendit, et tum per se, tum [2]) per barones Cracovienses, qui illum comitabantur, tractatibus interpositis, Griphinam Ducissam Duci Lestkoni Nigro sexta mensis Augusti conciliat, et altercationes inveteratas et iurgia inter illos provida ordinatione rescindit, et coniugalem inter utrosque instaurat et ordinat charitatem, quae extunc ab utroque sincere et custodita et usque in diem mortis servata est.

Boleslaus Calvus alteram ducit uxorem, quae adulterium illius perosa, ad patrem regreditur.

Hedvigis filia Henrici Comitis de Anhalth, uxor Boleslai Calvi seu Saevi Legniczensis Ducis, moritur et in monasterio Fratrum Praedicatorum in Legnicz per praefatum Boleslaum Ducem [3]) Legniczensem fundato sepelitur. Quamvis autem ex illa prolem tam virilis quam feminei sexus suscepisset, in alteras tamen nuptias convolat, et Adleydam virginem filiam Samborii Ducis Pomeraniae sibi assumit laevo et infelici auspicio in uxorem. Haec etsi honestis moribus fuerit, propter consuetudinem tamen stupri, quod cum

[1]) Papam decimum *Cod. Rozr.* [2]) et tam per se, quam *Cod. Rozr.* [3]) Ducem *deest in Cod. Aut.*

muliere adultera virum habente, habuerat Boleslaus, illam habuit multipliciter infensam et exosam: quae et viri contumelias et pellicis indignitatem non ferens, Boleslao deserto, in domum paternam, dum aliter nequiret, peditando rediit. Adeo enim praefatae concubinae et adulterae Boleslaus ipse per incantationes et carmina infascinatus et illaqueatus ferebatur amore, ut alioquin vir natura severus et ferox, libidine illius domitus, omnia ex suo arbitrio egerit. Ex cuius etiam concubitu filium spurium susceptum, Iaroslaum vocavit.

Concilio Lugdunensi finito, Gregorius decimus Papa moritur et fulget miraculis.

Lugdunensi Concilio in Galliis exacto, Gregorius Papa [1]) decimus ex Lugduno in Viennam venit, abinde Lausaupim [2]), consequenter in Lombardiam divertit, ex Lombardia Tusciam, Aretium perveniens, infirmatur, et ex languore continuo Quarto Idus Ianuarii moritur et in ecclesia maiori Aretii sepelitur. Cui gratia coelestis etiam illam virtutem praestitit, ut per invocationem sui nominis operetur in plerisque locis miracula. Sedit autem annis quatuor, diebus decem, accipiendo tempus quo Pontificio usus est, non quo fuit creatus; inter creationem siquidem et acceptationem tres menses effluxerant.

Puer semestris Thartarorum adventum Cracoviae praedixit.

Prodigium eo anno nuntiatum multos pavore nimio concussit. Apud Cracoviensem siquidem urbem, puer vix semestris in vocem articulatam prorumpens, Thartaros superventuros et Polonorum capita praecisuros, praedixit. Quaesitus ab astantibus, unde id nosset: Divino oraculo se fretum ista nosse, respondit. Interrogatus deinde, an et ipse Thartarorum adventum pertimesceret? Quam maxime se timere adiecit, cum etiam inter alios suam forent cervicem praecisuri.

---

[1]) Papa *deest in Cod. Aut.* [2]) Jausaupum *Cod Rozr.*

ANNUS DOMINI 1276.

Castra Kroszna, Greyfensten et Przin ad ecclesiam Maydburgensem devoluta, per Henricum Wratislaviensem Ducem ab obligatione lieberantur.

In grave et molestum fastidium castrorum et oppidorum Krosznae, Greyfensten [1]) et Przin, in manus externas devolutio, apud Ducum Slesiae pectora ascendens, ne castra et oppida huiusmodi a Poloniae alienarentur per succedentia tempora Regno, assiduam sollicitudinem, scrupulumque, non Ducibus solum, sed et baronibus, militaribusque Slesiae iniecit. Magnitudo quoque et gravitas summae, sed et conditio spiritualis et ecclesiastica, cui per obligationem addicta erant, quoties recensebantur, et anxietatem ampliorem, pavoremque pro alienatione, et desiderium altius pro rehabitione, accendebant. Quis tamen foret liberandi castra et oppida obligata modus, non satis prospici poterat, et Cunrado Glogoviensi, de cuius proprietate et sorte erant, et Boleslao Legniczensi, Ducibus, et tenues facultates habentibus et alieno aere gravatis. Henrico itaque quarto, Henrici secundi a Thartaris occisi ex filio Henrico tertio nepoti, Wratislaviensi Duci, munus id destinabatur: quod et sorte sui Ducatus praestantior et pecunia in pubertatis tempore a curatoribus collecta opulentior censebatur. Is itaque et consiliis baronum suorum, et spe dilatandi finium sui Principatus [2]) instigatus, Cunrado Maydburgensi archiepiscopo decem aureorum [3]) millia exsoluit, et castra atque oppida Krosznam, Greyfensten et Przin de obligatione liberans, sui iuris facit. Quod quantum commoditatis rebus publicis Polonorum praestitit, tantum dispendii praefati Henrici Ducis Wratislaviensis privatis causavit, utroque Duce, et Boleslao Legniczensi et Cunrado Glogoviensi, iam tunc felicitati et incrementis rerum suarum vehementer invidente.

Mors militis cuiusdam Poloni infelicissima.

Miles quidam Polonus saevus et impius in proprios subditos et exteros, de vita futura nihil pensi gerens, cum assiduis praevaricationibus in [4]) Deum peccaret, conterri [5]) et poenitere pro ludibrio ducens, etiam [6]) iras in se coelestium coacervasset, in gravem incidit languorem. Sed nec tum quidem scele-

---

[1]) Greifensteyn *Cod. Rosr.* [2]) Ducatus *Cod. Ros.* [3]) florenorum *Cod. Rosr.* [4]) contra *Cod. Rosr.* [5]) confiteri *Cod. Rosr.* [6]) etiam *deest in Cod. Aut.*

rum conscientia actus, quicquam sibi de impetranda propitiatione divina, ratus se supervicturum et suas transgressiones resumpturum, prospexit. Invalescente tandem morbo, Fratres Praedicatores per consortem illius pro sananda aegra mente acciti, militem ad poenitendum multifarie per salutifera [1]) monita persuadebant [2]). Quibus miser homo commotus: Serius, inquit, ad poenitendum me impellitis, serius confessionem iudicato iam et damnato suadetis, cum poenitentiae et gratiae tempore effluxo, confessionis et poenitendi spatio mihi subrepto, iusto Dei iudicio in potestatem traditus sum Spiritibus [3]) tenebrarum. Urgentibus deinde maiori instantia aegrum Fratribus, et ne qua desperatione commissorum facinorum a confitendo et poenitendo abstraheretur, opem divinam, si confiteri et poenitere vellit, pollicentibus, extremam edidit vocem. Frustra, inquit, ingeritis de confitendo monita, proprio exuto et despoliato arbitrio, etiam in Daemonum potestate consistenti, a quorum catervis superimminentibus torquendus et flagellandus iam appetor. Auditae illico sunt percussiones horrendae, ictus frequentes et atrocissima ex sonitu et collisione atque reciprocatione flagellantium verbera, et in aegri corpore livores, plagae, vulneraque a Fratribus et aliis circumstantibus visibiliter, ab invisibilibus tortoribus illata, conspecta: inter quae ille infelix et execrandus homo, nec vocem nec gemitum edens, miserabiliter exspiravit. In quo beatissmi Augustini sermo pro divino oraculo cuilibet peregrinanti retinendus, impletus est: Haec est, inquit, iustissima Dei lex, ut qui vivendo obliviscebatur Dei, moriendo oblivisceretur sui.

Hiems insueta tempore insolito Cracoviae.

Frigore immenso et sine exemplo Cracoviensem provinciam in fine Septembris mensis premente, sexta deinde Octobris die tanta nivium congeries descendit, Alpibus Sarmaticis, qui Poloniam et Hungariam dividunt, et aliis, quos Thatri appellamus, ad Keszmark sitis, insolitum coeli rigorem augentibus, ut omnem regionem spissitudine grossa vestiret et pro autumno gelidam hiemem induceret.

Boleslai Pii Calissiensis Ducis filia Anna nata.

Helena alias Ioheleth Ducissa, consors Boleslai Pii Calissiensis Ducis, partum femineum, dum maxime virilis desideraretur, apud Kalisch castrum

[1]) salutaria *Cod. Rozr.* [2]) inducebant. *Cod. Rozr.* [3]) Spirituum *Cod. Rozr.*

effudit [1]). Ob quod quidem puerperium Boleslaus [2]) Calissiensis Dux, solennitate baptismalium [3]) instituta, plures dies in hilaritate deduxit et natam filiam Annam nominavit.

Rudolphus Romanorum Rex quarundam provinciarum repetendarum gratia in Austriam venit: cum Premislao tandem reductus in gratiam, eam affinitatis iure confirmat.

Romanorum Rex Rudolphus, Austriam, Stiriam, Carinthiam, Portum Naoniae et Forum Iulii, quae a Premislao alias Ottokaro Bohemiae Rege, propter matrimonium cum Margaretha filia Leupoldi Austriae Ducis contractum [4]), licet temporis processu dissolutum [5]), possidebantur, asserens ad Imperium pertinere, mittit nuntios, qui requirerent, ut faceret terrarum huiusmodi cessionem. Quo superbius respondente, Rudolphus Romanorum Rex, potentiis Imperii coadunatis, armis terras negatas se proponit quaesiturum. Ad cuius transitum prohibendum, dum Premislaus Bohemiae Rex exercitum de suis, solus ipse domi venationes tractaturus, versus Teplam transmisisset, Rudolphus Rex Romanorum per alteram partem Danubii Austriam ingressus, multas civitates et castra aut per vim, aut per deditionem conquirit. Qua re Premislaus Bohemiae Rex permotus, et ipse personaliter in campum descendit. Et Rudolpho Rege stativa circa Lincz habente, ipse in altera Danubii parte castra ponit: ubi per Imperii et Bohemiae barones pax inter Reges tractata et conclusa, affinitas [6]) etiam, quo diuturnior esset [7]), firmata est, ut Rudolphus filio suo filiam Regis Bohemiae Agnethem, et filius Regis Bohemiae filiam Regis Romanorum Rudolphi Guttham, uxores desponsent, Bohemiae Rex terris, pro quibus bellum natum est, cedat. Qua quidem pace ordinata, uterque exercitus suas regiones repetiit.

Innocentius V. Papatum quinque mensibus tenens, moritur: cui Adrianus V. succedit. Hic brevius multo vivens decedit; tertius eligitur et Johannes XXI. vocatur.

Ad Sedem Romanam ex morte Gregorii decimi vacantem, vicesima prima Ianuarii mensis die frater Petrus de Tarantasio ordinis Praedicatorum,

---

[1]) peperit. *Cod. Rozr.* [2]) Boleslaus Pius *Cod. Rozr.* [3]) baptismati *Ed. Lips.* [4]) contracti *Cod. Aut.* [5]) dissoluti *Cod. Aut.* dissolutum erat *Cod. Rozr.* [6]) affinitate *Cod. Rozr.* [7]) foret *Ed. Lips.*

natione Burgundus, episcopus Cardinalis Ostiensis, vir magnae religionis et doctrinae, apud Aretium Cardinalibus conclave celebrantibus, electus est et Innocentius quintus appellatus. Qui post electionem de Aretio cum curia recedens, venit Romam, ubi in ecclesia Sancti Petri [1]) coronatione suscepta, transfert se in Lateranum, ubi quinque tantum modo mensibus et duobus diebus in Papatu exactis, cum multa et insignia in animo facere destinasset, praeter suam et aliorum spem moritur vicesima secunda Iunii die, et in magna gratia collegii, praesente Rege Siciliae Carolo, in Laterano sepelitur. Vicesima deinde et octava Iulii [2]) die Ottobonus [3]) diaconus Cardinalis, natione Ianuensis et Innocentii quarti nepos, in Palatio Lateranensi in Papam assumitur et Adrianus quintus vocatur, qui solum in Papatu uno mense et novem diebus vivens, antequam ordinaretur in sacerdotem, sine coronationis et consecrationis munere Viterbii moritur et in monasterio Fratrum Minorum Viterbii sepelitur. In cuius locum in fine mensis Septembris Petrus Iuliani dictus Hispanus, Cardinalis episcopus Tusculanus, natione Portugalensis, de civitate Ulixbona ortus, et Iohannes vicesimus primus nominatus, suffectus est: clericus universalis, sed in sermone praeceps et parum in moribus gravis, religiosis quoque minus favorabilis, doctrina medicinae multos antecellens.

Vicesima pars proventuum per Papam a clero Poloniae exigitur.

Nondum Innocentio Papa quinto rebus humanis absumpto, misit praefatus Innocentius quintus fratrem Gothfridum Theutonicum, ordinis Praedicatorum, unum ex poenitentiariis minoribus, in Poloniam: qui ab episcopis et universo clero ecclesiae Polonicae vicesimam partem redituum, iuxta veterem ecclesiarum et beneficiorum taxam, pro subsidio Romanae Ecclesiae exegit, quam Innocentio quinto mortuo, succesori suo Adriano quinto praesentavit.

ANNUS DOMINI 1277.

Boleslaus Calvus Legniczensis Dux invidens auctis nepotis Henrici probi Ducis Wratislaviensis divitiis, illum per insidias captivat: quem liberaturi Wratislavienses, cum auxilio omnium Poloniae Ducum contra Boleslaum arma movent, et a filio eius superantur, capto Duce Posnaniensi. Tandem donata civitate Kloczsko perpetuo Regi Bohemiae, fit concordia per Regem inter Duces, et Henricus liberatur, datis multis oppidis Duci Legniczensi.

Amplitudinem tam Principatuum quam opum, qua Henricus quartus

---

[1]) in Sancto Petro *Cod Aut.* [2]) Iunii *Ed. Lips.* [3]) Othobanus *Ed. Lips.*

Wratislaviensis Dux vocatus Probus, tum ex paterna et patrui successione in universum Wratislaviensem Ducatum, tum ex coëmptione districtuum Kroszuensis, Greyfensten [1]) et Przin, ad invidiam usque creverat, Boleslaus Calvus seu Saevus Legniczensis Dux, patruus suus germanus, non ferens, cum nonnullis Wratislaviensibus militibus, his praesertim, qui Henricum tertium, patrem Henrici quarti, et patruum Wladislaum archiepiscopum Salczburgensem insimulabantur veneno sustulisse, in captivitatem Henrici Probi Wratislaviensis Ducis [2]), verentibus militibus facinus in patre et patruo patratum a filio ultum iri, conspirat, asserens Henricum Probum nepotem, ex morte Wladislai archiepiscopi Salczburgensis, portionem Wratislaviensis Ducatus aeque ad se et Cunradum Glogoviensem Ducem [3]) alterum fratrem devolutam, praeter aequum et iustum usurpasse. Opportuno itaque tempore, quo destinata exequeretur [4]), explorato, Henricum Probum Wratislaviensem Ducem, nihil minus quam patrueles verentem insidias, securius in curia et villa sua Ielczhe quiescentem, missis satellitibus et latrunculis, feria quinta ante Dominicam Quadragesimae Reminiscere, Duodecimo Calendas Martii, in nocte soporatum a lecto abstrahit et capit, et captum in castrum suum Lehen deductum, in dira vincula coniicit, ratus onere et gravamine vinculorum Henricum nepotem ad cedendum de certis castris, oppidis et districtibus impelli posse. Captivitatem Ducis sui Henrici Probi barones et militares [5]) Wratislavienses ulturi et illius liberationem procuraturi, bellum contra Boleslaum Calvum Legniczensem Ducem [6]) indicunt, et pro illo gerendo, quo maiore possunt vi et conatu, armantur. De propriis autem viribus diffisi, a Boleslao Pudico Cracoviensi et Sandomiriensi, Boleslao Pio Calissiensi, Przemislao Posnaniensi et Gnesnensi, Cunrado Glogoviensi et Wladislao Opoliensi, Ducibus, variis supplicationibus interpositis, obtinet se iuvari. Duces enim praefati, scelus Boleslai Saevi Legniczensis Ducis [7]) in nepote contra ius fasque admissum magna execratione detestati, Wratislaviensibus [8]) petita et promissa gentium suarum solatia [9]) destinarunt. Boleslaus autem Saevus Legniczensis Dux, sentiens adversum se per Wratislavienses magnum apparari bellum, et quinque Poloniae Duces suis gentibus Wratislavienses adiuturos, coepit et ipse apparare enixius bellum, et Missnenses, Bavaros, Suevos, Saxones donativo in sui solatium conducit [10]). Tulisset et Iohannes Marchio Brandeburgensis cum sua gente Boleslao Duci [11]) Legniczensi suffragium, sed Wratislavienses barones a ferendo subsidio illum aversuri, quatuor marcarum dare illi millia paciscuntur;

---

[1]) Greifensteinensis *Ed. Lips.* [2]) Ducis *deest in Cod. Aut.* [3]) Ducem *deest in Cod. Aut.* [4]) perficeret *Cod. Rozr.* [5]) milites *Ed. Lips.* [6]) Ducem *deest in Cod. Aut.* [7]) Ducis *deest in Cod. Aut.* [8]) Wratislaviensium *Ed. Lips.* [9]) subsidia *Cod. Rozr.* [10]) auxilium inducit. *Cod. Rozr.* [11]) Duci *deest in Cod. Aut.*

et cum parato aere pacta servare non possent, castrum et oppidum Krosznam in summa promissa illi obligant. Boleslaus itaque Legniczensis Dux [1]), ne conducta ex Almanis gens copiosa frustra stipendium perciperet, primus copias suas, adiuvantibus illum filiis suis, Henrico [2]), Boleslao et Bernhardo, eduxit, et terram Wratislaviensem hostili vastatione aggressus, spoliis et incendio vexare coepit. Contra quem Wratislaviensium copiae, populationem agrorum suorum prohibiturae, egressae, in campestribus inter Skorolcz et Proczanum concurrunt, Sabbato quoque in Sancti Georgii die [3]) infestis signis pugnam committunt. Magnis viribus ab utrisque certabatur, tantusque fuit pugnandi utrisque ardor, ut pene usque ad interemptionem partis utriusque, neutra parte pedem referente, conflictus duraret. Caede quoque ingenti Boleslaus Legniczensis Dux [4]) suorum conspecta, ad extremumque suos suspicatus vincendos, cum uno tantummodo comite, ne in Wratislaviensium veniret manus, e praelio diffugit. Filius tandem suus maior natu Henricus, et Ducis et militis officium gerens, pugnam in locis pluribus vel destitutam vel labantem restituit. Animo deinde pertinaci, constantem se exhibens, Wratislavienses et eorum auxiliares Cracovienses, Sandomirienses, Calissienses, Posnanienses, Glogovienses et Opolienses milites pervicit et debellavit, et plures de militibus auxiliaribus, turpe fugere ratis, cepit. Strages in eo praelio maior quam pro numero edita est, ut Legniczenses quamvis victores, cruenta victoria obtenta, victis insultare nequiverint. In eo praelio Przemislaus Posnaniensis Dux capitur et plures milites suae ditionis.

Perculsi ea clade Wratislavienses ad Premislaum alias Ottokarum Bohemiae Regem solatia [5]) petituri divertunt. Et quo fidior parti eorum esset, cum velut avunculus germanus Boleslaum Legniczensem Ducem [6]) arctiori affinitate contingeret, castrum et oppidum Kloczsko [7]) morte sua in Henricum quartum Ducem Wratislaviensem revolvendum, tradunt. Cuius interpositione et opera, constituto apud Kloczsko placitorum die, pax inter Boleslaum Legniczensem et Henricum Probum Wratislaviensem, Duces [8]), sub his conditionibus, licet Henrico quarto Probo parum aequis (iam enim Boleslaus Legniczensis Dux [9]) ex victoria insolentior factus fuerat) componitur: Ut Boleslaus Legniczensis Dux [10]) nepotem suum Henricum Probum Ducem a captivitate solvat, Duci quoque Przemislao Posnaniensi et militibus in praelio ad Skorolcz captis, captivitatem remittat; Henricus Probus patruo suo Boleslao Legniczensi Duci [11]) de castris et civitatibus Strzegom, Novo foro, Strosza, Grei-

---

[1]) Dux *deest in Cod. Aut.* [2]) Henrico videlicet *Cod. Rozr.* [3]) festo *Ed. Lips.* [4]) Dux *deest in Cod. Aut.* [5]) auxilia *Cod. Rozr.* [6]) Ducem *deest in Cod. Aut.* [7]) Kloczko *Cod. Rozr.* [8]) Duces *deest in Cod. Aut.* [9]) Dux *deest in Cod. Aut.* [10]) Dux *deest in Cod. Aut.* [11]) Duci *deest in Cod. Aut.*

fenberk, Przin et Geswindorff, perpetuo cedat. Quibus stabilitis et ab utroque Duce acceptatis, Henricus quartus libertati pristinae restitutus, Krosznam a baronibus suis Iohanni Brandeburgensi Marchioni, ne arma contra eos ferret, obligatam volens redimere, coactus est praefato Iohanni Marchioni damna, sumptus et expensas iniustas computanti, sex millia marcarum persolvere, cum tantummodo in quatuor millibus extiterat pignorata [1]). Nonnullos vero suos milites, et signanter Ianussium de Mich [2]), Thomam, Iohannem, Zerzucham et alios, qui cum Boleslao Legniczensi Duce [3]) contra eum sensisse insimulati sunt, captivat et gravi carcere mulctat. Ex eo autem tempore arx et oppidum Kloczsko in Premislai Bohemiae Regis usque ad diem obitus sui consistebat potestate, et in proprietatem Regni Bohemiae, quantum ad temporale dominium, in ditionem vero et diocesim Pragensem, per vim et nefas usque ad nostra tempora concessit, a Regno Poloniae quantum ad temporalia, a diocesi vero [4]) Wratislaviensi quantum ad spiritualia, Thoma secundo episcopo Wratislaviensi iniuriam huiusmodi et suae diocesis mutilationem notabilem ferente magis quam rescindente, abstracta.

Lithuani terram Lanciciensem impune vastant.

Cladi ex civili Ducum Poloniae bello accidenti, alia aeque foeda, quasi una super alteram, in eum annum cumulante fortuna, clades accessit. Lithuani enim gentiles in multitudine gravi terram Lanciciensem, quae tunc a Duce Kazimiro [5]), filio Kazimiri Ducis olim Cuyaviensis, fratre germano Lestkonis Nigri Ducis Siradiensis, tenebatur, subito et inopinate in festo Sancti Lucae Evangelistae [6]) ingressi, eam gravi caede, gravique spolio, tecta etiam urendo, pervastant: ad satietatem quoque, nemine opponente resistentiam, in eius depopulatione grassati, caesis senibus et impuberibus, magnum utriusque sexus mortalium numerum ad quadraginta millia animarum aestimatum, simul cum pecore et supellectili in servitutem miserabilem abducunt.

Coelum media nocte apertum.

Apud Cracoviensem urbem in Circumcisionis Domini nocte media apertum coelum luce ingenti resplenduit, et non solum Cracoviensem civitatem, sed et universam, delectabiliter iuxta ac in media die, Cracoviensem regionem illustrans, brevique decidens, prodigii loco habitum est.

---

[1]) obligata. *Cod. Rozr.* [2]) Mish *Cod. Calv.* [3]) Duce *deest in Cod. Aut.* [4]) autem *Ed. Lips.* [5]) Zemomislao *Cod. Rozr.* [6]) Apostoli et Evangelistae *Cod. Rozr.*

Iohannes Papa vicesimus primus, dum in se ipso delectatur, ab aedificio collapso oppressus Nicolaum tertium post sex menses electum, habuit successorem.

Iohannes Papa vicesimus primus, cum mensibus octo et diebus aliquot sedisset et in Viterbio cum curia consisteret, ingressus cameram, quam praeter pontificale palatium Viterbii splendide nimis ipse aedificaverat, respiciebat se ipsum, ac totus solvebatur risu, quasi glorians in se ipso. Tunc subito camera super eum collapsa, ipsum oppressit, et ipse [1]) inter lapides et ligna collisus, sexta die post casum exspirat, sua intentione frustratus, quoniam credebat, in sua confidens tum arte, tum prudentia et doctrina (quemadmodum multoties ipsemet asserere solebat), longo se tempore in Papatu victurum. Vir etsi parvae sapientiae, humilis tamen, et qui cum singulis quantumcunque tenuibus, dummodo literati essent, conversari non dedignabatur. Sepultus est autem Viterbii apud ecclesiam Sancti Laurentii; et vacavit Sedes propter discordiam eligentium per sex menses, videlicet ab hebdomada Pentecostes, usque ad festum Sanctae Catherinae: in quo festo Iohannes Gaiethani tituli Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus Cardinalis, natione Romanus de domo Ursinorum, electus est et Nicolaus tertius appellatus. Qui statim Viterbio egressus et Romam veniens, in Basilica Sancti Petri, in die beati Stephani Protomartyris, in presbyterum ordinatus et subsequenti die Dominico coronatus est. In moribus vir multum compositus, unde et apud multos El Composto appellebatur, de pulchrioribus mundi clericis unus, de magna prudentia et matura responsione commendatus, religiosorum, sed praesertim Minorum et Praedicatorum, singularis fautor et amator, praecipuus eleemosynarius, qui constitutionem Gregorii decimi de non assumendis de domo Columnarum Cardinalibus revocans, Iacobum de familia Columnarum creavit in Cardinalem.

Theodrico Magistro Prussiae mortuo, Cunradus in locum illius eligitur: sub quo dum duo duces Prussiae suspenderentur, tertius terram Culmensem vastat, cum Cunrado et Cruciferis congressus victoriam obtinet et tria castra comburit.

Absumpto Magistro Prussiae octavo Theodrico de Gatirslewe, Cunradus de Tirberg nonus assumitur. Sub quo duces Pruthenorum, unus Henricus de Nactaga, alter Clappe [2]) dictus de Sczenawa, regionibus, capti, a Cruciferis in patibulum acti, vitam iugulo consummant. Tertius Divan [3]) de Barthena duorum necem miserabilem ulturus, terram Culmensem cum copiis tam eque-

[1]) qui *Cod. Rozr.* [2]) Clippe *Cod. Rozr.* [3]) Diuam *Cod. Rozr.*

stribus quam pedestribus subintrans, gravi exterminio sub paucis diebus in illam grassatus, a Cunrado Magistro Prussiae et eius exercitu invasus est. Pugna autem conserta, licet Cruciferi pro referendo triumpho operam navassent, duodecim tamen Cruciferis et quingentis Christianis caesis, caeteris cum Cunrado Magistro in fugam versis, barbaris victoria [1]) obtigit. Non multo post tempore effluxo, Prutheni barbari castrum novum, quod inter Culmense et Pomezaniense oppida a Magistro Cunrado magnis sumptibus erectum erat, item castrum Radzim, item castrum Wartemberg, fortissima et constanti impugnatione usi, conquirunt, et omnes Cruciferos et Christianos in praefatis castris repertos, rabie barbarica interimunt; castra vero conquisita, neque tenere, neque tueri ausi, igne consumunt [2]).

ANNUS DOMINI 1278.

Boleslaus Pius Calissiensis Dux terras Brandeburgenses depopulatur et copias Marchionis frangit.

Castri Santhok, quod in eam usque diem a Brandeburgensibus Marchionibus detinebatur, iniustam exstructionem Boleslaus Pius Calissiensis Dux ulturus, frequentes insuper iniurias, quibus Saxones Poloniae fines lacessebant, restricturus, bellum contra Brandeburgenses Marchiones indicit, et non solum ex proprio Calissiensi, sed et nepotis sui Przemislai Posnaniensis Ducis Principatibus equestres et pedestres copias in id bellum armat; sed et Msczugium fratrem suum Pomeraniae Ducem, cum omnibus Pomeranicis gentibus personalem sibi facere assistentiam requirit. Omnibus tandem copiis et Maioris Poloniae et Pomeranicis convenientibus, Boleslaus [3]) Calissiensis Dux, Przemislao Posnaniensi Duce in Ducatibus ad omnes casus relicto, ipso Duce Pomeraniae Msczugio comitatus, in terras, quas Brandeburgenses Marchiones citra Odram occupant, descendit, et illas igne et spoliis vastare coepit. Cum autem usque Soldinum processisset, Otto Longus, filius Ottonis tertii, cum Saxonibus et aliis [4]) auxiliaribus illi occurrit: ubi praelio commisso, cum multo inferior viribus esset, facile a Boleslao et suo exercitu victus, in castra et munitiones refugiens, fortunam belli amplius tentare distulit. Boleslaus Dux et victoria et spoliis, multis captivisque potitus, omni terra citra Odram [5]) per-

[1]) victoria *deest in Cod. Aut.* [2]) consumunt et in propria remeant. *Cod. Rozr.* [3]) Boleslaus Pius *Cod. Rozr.* [4]) aliis suis *Cod. Rozr.* [5]) Odram fluvium *Cod. Rozr.*

vastata, et sufficienti pro suis iniuriis reddita ultione, in terras suas, spoliis ex aequo cum Msczugio Duce et Pomeranis partitis, remeavit.

Pertulit Dux Samborius frater Swantopelci et filius Msczugii, nepotis sui Msczugii gravem persecutionem, quem illi Deus in adversarium suscitaverat: qui ab eo fugatus de terra et a Cruciferis recollectus, in Thorun aliquanto tempore stetit. Ab inde vero sub dissimulato habitu, intercipi enim se a Cruciferis verebatur, discedens, ad filiam suam Cuyaviae Ducissam confugit, et illic defunctus, apud Iuniwladislaviam extat tumulatus.

Boleslaus Calvus Dux Legniczensis moritur: cuius mores et vitia explicantur.

Brevi et modica ex castris, oppidis atque possessionibus, quae Boleslaus Calvus Legniczensis Dux a nepote suo Henrico vocato Probo Wratislaviensi Duce, post victoriam de eius gente obtentam, exegerat, voluptate et usu potitus, ex languore et senio apud Legnicz moritur et in monasterio fratrum Praedicatorum a se fundato sepelitur. Vir violentus et in proprios et exteros, foedo pellicis amore usque ad mortem vincitus, adeo corrupti et velocis sermonis, ut plerumque audientes in risum et cachinnum solveret. Tortuosus in factis et moribus, et in iudicando non cognita iustitia, in causis praesertim sanguinis, praeceps, unde non solum Saevus, sed et R o g a t k a, quod in Polonico cornutus sonat [1]), a plerisque vocitatus. Tres filios superstites, quarto Cunrado in pueritia mortuo, ex Hedvigi filia Comitis Henrici de Anhalth [2]) susceptos relinquens, videlicet Henricum Legniczensem, qui Crassus et Ventrosus, quasi abdomine [3]) pinguis, appellatus, Boleslaum Swidniczensem et Bernhardum Agilem. Tanta siquidem illi inerat agilitas, ut quatuordecim robora in aliquo aedificio in sursum locationis ordine erecta, cursu praepeti conscenderet, et resiliens in pedibus fixus staret. Habuit ex praefata Hedvigi de Anhalth prima uxore sua quatuor filias: quarum unam [4]) Agnetem Comiti de Wartemberk tradidit, alteram Hedvigim Cunrado Masoviae Duci filio Semoviti filii Cunradi desponsavit, tertia Anna in Trzebniczensi monasterio ordinem professa et tandem abbatissa, quarta Catherina in iuventute mortua, apud Praedicatores in Legnicz sepulta.

---

[1]) significat *Cod. Rozr.* [2]) Hanhalt *Cod. Rozr.* [3]) abdominis *Cod. Rozr.* [4]) unam ex eisdem filiabus *Cod. Rozr.*

Boleslaus Masoviae Dux Henrici Glogoviensis Ducis copias sternit, fugatque.

Boleslaus Masoviae Dux anni huius aestate, habens secum in solatio [1]) et comitiva Wladislaum Siradiensem Ducem, Henrico Glogoviensi Duci bellum infert et circa castrum Czirwin secum confligit, omnemque potentiam prosternit Ducis Henrici, a Martino abbate Lubensi et Ieszoviensi de hostium clandestina irruptione avisatus. Cuius beneficii Dux Masoviae Boleslaus memor, praefato Martino et monasterio suo Lubensi et Ieszoviensi, de consensu Semoviti et Troydeni, plures libertates privilegio suo contulit.

Nicolaus tertius Papa in archiepiscopum Gnesnensem, neglecto praesentato, fratrem Martinum ordinis Praedicatorum eligit et confirmat.

Nicolaus Papa tertius, quamvis ad providendum vacanti ecclesiae Gnesnensi de pastore, per literas Boleslai Calissiensis et Przemislai Posnaniensis Principum [2]) Maioris Poloniae, de persona Philippi praepositi Gnesnensis sollicitaretur, ipse tamen cum esset in fratres Praedicatores enixi favoris, fratri Martino ordinis Praedicatorum, genere Polono, uni ex minoribus poenitentiariis de illa providit. Sed is Urbe, in Archiepiscopum consecratus, egressus, dum in Poloniam pergeret, in Tusciae partibus apud Bononiam infirmitate correptus, fato absumptus est et in Bononiensi conventu fratrum Praedicatorum prope sacristiam sepultus.

Monstrum in lacu apud Cracoviam captum.

Apud Cracoviensem diocesim lacus quidam et in longum et in latum notabili spatio porrectus, ex infestatione Daemonum a piscatura et usu illius homines variis terroribus et impedimentis arcentium, infamis habebatur. Cum itaque eo anno hiems solito asperior provenisset, piscaturam lacus praefati tentaturi viciniores, quinque Crucibus et Sanctorum reliquiis atque vexillis assumptis, lacum accedunt. Et laxatis retibus in capturam, prima quidem vice magna adnitentia et labore sagenam velut gravidam trahentes, tres tantummodo pisciculos percipiunt. Altera laxatione sagena in orbem contorta [3]), casso labore sudarunt. In tertia vero, quae et ipsa maximam ingerebat trahentibus fatigam, captum et extractum monstrum terribile apparuit, cuius

[1]) auxilio *Cod. Rozr.* [2]) Ducum *Cod. Rozr.* [3]) contorta, contractaque *Cod. Rozr.*

oculi rubri, ignei et flammigeri, cervix in caprarum caput desinebat. Quo viso universi qui convenerant, tam ingenti pavore attoniti sunt, ut crucibus et vexillis relictis, palati et tremebundi, quo quemque sors ferret, diffugerent, quorum nonnulli morbidis ulceribus fuere attacti. Monstrum autem terrore hominibus ingesto, in aquam subtus glaciem desiliens et per lacus amplitudinem quasi pennigero volatu discurrens, strepitum etiam et sonitum horribilem edebat.

Premislaus Bohemiae Rex fracto foedere cum Radolpho Romanorum Rege, Austriam cum exercitu ingressus, a suis proditus, per Radolphum sternitur et occiditur: cui filius eius succedit.

Pactis et foedere, quibus Premislaus alias Ottokarus Bohemiae Rex pacem cum Radolpho [1]) Romanorum Rege composuerat, irritatis, vexabant enim Premislaum cordacis spiritus virum, Austria, Stiria, Carinthiaque [2]) ademptae, bellum itaque ex integro, spe recuperandarum ademptarum terrarum, a nonnullis etiam baronibus Bohemiae callido magis quam sano consilio ad id bellum incendentibus, renovans, cum omni Regni sui potentia in Austriam venit, et eam rapinis et incendiis vastare coepit. Admoto deinde exercitu ad castrum Droszendorff, illud celerrime expugnat. Quo Radolphus Romanorum Rex comperto, exercitum et ipse ex omnibus Imperii terris congregat, et Danubio transito, Premislaum Bohemiae Regem ad flumem Morawa stativa agentem occupat, et multitudine exercitus fretus, corona cingit. Erat Premislao Bohemiae Regi baro quidam Bohemus Milotha de Diedicz [3]) ex inveterato odio et rancore infestus, cui nihil hostile Premislaus suspicatus, Moraviae gubernationem commiserat. Is cum nonnullis aliis ad novandas res aspirantibus proditorie se gerens, Radolphum Romanorum Regem de singulis, quae apud exercitum Bohemicum agebantur, avisabat, spondens se etiam in favorem suum, proprium Regem Premislaum, si decernendum duxerit, deserturum. Radolphus interea Romanorum Rex caedem Catholicorum horrens, mittit ad Premislaum Regem nuntios, qui monerent, ut ad bonam mentem rediens, cum fortiori, suorum etiam insidiis satis septus, signa conferre omitteret. Sed Premislaus eo nuntio inflatior, altera die illucescente, quae fuit vicesima septima Augusti, cum Rege Radolpho dimicat: et multis [4]) hinc inde caesis, Radolphus praevalet, et Premislaus a Milotha et aliis eiusdem factionis Bohemis desertus, fortissime ut pugnam labantem restitueret, dimicans, occidi-

---

[1]) Rudolpho *Cod. Rozr.* [2]) Carinthiaque, provinciae *Cod. Rozr.* [3]) Dziedzicz *Cod. Rozr.* [4]) multis in conflictu *Cod. Rozr.*

tur, et in Pragam reductus, in maiori ecclesia sepelitur. Cui in Bohemiae Regno Wenceslaus filius quinque annorum puer successit, cuius et Regni tutelam Brandeburgensis Marchio Otto Longus (ita enim pater vivens disposuerat) gessit, et tam parvulum Wenceslaum, quam matrem eius Reginam Kunegundem, ex Praga in castrum Bezdyesz [1]) nocte deducit, et Bohemis amotis, Saxones in eorum obsequia surrogat. Ex tutoria tamen huiusmodi, prementibus Saxonibus Bohemos, ad miserabilem conditionem Bohemia redacta est. Grassari Radolphus Rex in Bohemiae Regnum post victoriam disponebat, sed precantibus Bohemis, et pax et affinitas iuxta pacta superiora reintegrata, filiam suam Guttham [2]) occisi Regis filio Wenceslao desponsante.

Henricus quartus Wratislaviensis Dux Kloczsko repetit et uxorem ducit.

Occisione et morte Premislai Bohemiae Regis secuta, Henricus quartus vocatus Probus Wratislaviensis Dux castrum et oppidum suum Kloczsko [3]), quod sui barones Wratislavienses Premislao Regi pro danda parti eorum contra Boleslaum Rogatkam Legniczensem Ducem [4]) assistentia et favore, ad vitae tempora contulerant et inscripserant, repetiit. Et ne ab aliquibus possessio per Premislaum Regem temporaliter habita ad perpetuitatem traheretur, non Wratislaviensem solum se Ducem, sed etiam dominum de Kloczsko, pro rescindenda omni [5]) ambiguitate futurorum, titulavit. Accepit et tunc in consortem Mechtildim virginem filiam Ottonis Longi Brandeburgensis Marchionis, qui propter gubernationem Regni Bohemiae famosus et celebris ea tempestate habebatur.

Lithuani et Prutheni terram Culmensem praedantur, castraque aliquot conquirunt.

Filius Ducis Lithuaniae vocatus Trinote, copiis Lithuanorum et Pruthenorum, quae triginta millia pugnatorum explebant, recensitis, eas trifarie [6]) dividit: unam in Masoviam, duas vero in Culmensem terram transmittit. Hae autem turmae, quibus Culmensis terra obtigerat, castro Bergelow sub Cruciferis conquisito et incenso, omni terra Culmensi pervastata, multas Christianorum animas in servitutem barbaricam abducunt. Eodem anno Prutheni bar-

---

[1]) Bezdzie *Cod. Roer.* [2]) Gritham *Cod. Roer.* [3]) Kłoczko *Ed. Lips.* [4]) Ducem *deest in Cod. Aut.* [5]) omnium *Ed. Lips.* [6]) trifariam easdem *Ed. Lips.*

bari Sandowitae cum duce eorum Skomand [1]), Culmensi terra repetita, duo oppida illius Lubaw et Chelm obsessa et bombardis expugnata conquirunt, et terram Cuyaviensem circa oppidum Kowalye praedantur. Sed et Lanciciensis civitas anno eodem a Lithuanis subita irruptione venientibus, perpessa est spolia et damna.

ANNUS DOMINI 1279.

Boleslaus Pius Dux Calissiensis relictis tribus filiabus, moritur: cui in Ducatu Przemislaus nepos Dux Posnaniensis succedit.

Magnae charitatis in patriam, magnique animi Princeps Boleslaus Pius Calissiensis Dux, febribus correptus in languorem incidit: quem cum in dies augeri sensisset, nepotem suum germanum Przemislaum Posnaniensem Ducem accersit, eique Calissiensem Ducatum, consortem Helenam et tres filias, videlicet Hedvigim, Elisabeth et Annam, ex ea susceptas, commendat. Omnibus tandem sacramentis devote perceptis, apud castrum Calissiense die Veneris Septimo Idus Aprilis moritur, in Posnaniamque relatus, in maiori ecclesia in patrum suorum tumulo, Przemislao Duce nepote iusta funeri solvente, sepelitur. Post cuius mortem Przemislaus Posnaniensis Dux in Calissiensem Ducatum successit, et totius Maioris Poloniae Principatum nactus, et [2]) relictam Boleslai Pii Calissiensis Ducis, et [3]) filias, datis sumptibus et dote abundanti, emancipavit. Et relicta quidem Boleslai Pii [4]) Helena alias Ioheleth, parum apud Kalisch morata, omnibus rebus et supellectili, quae ad eam pertinebant, sumptis [5]), in Cracoviam ad sororem germanam Kingam, devotionis et religionis singularis feminam, Boleslai Pudici Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis consortem, Deo de caetero famulatura, concessit. Przemislaus autem Maioris Poloniae Dux neptium suarum curam gerens, Hedvigim seniorem Wladislao, qui ob nimiam brevitatem corporis, Cubitalis in Polonico L o k t e k appellatus, filio Kazimiri Cuyaviae, Duci Brzestensi, alteram Elisabeth Henrico Legniczensi Duci Ventroso appellato, filio Boleslai Calvi seu [6]) Rogatka, locat in consortem, tertia Anna in virginitate diem obiit.

---

[1]) duce suo Skomanth *Cod. Rozr.* [2]) tam *Cod Rozr.* [3]) quam *Cod. Rozr.* [4]) Pii Calissiensis Ducis *Cod. Rozr.* [5]) sumptis *deest in Cod. Aut.* [6]) vulgo *Ed. Lips.*

Boleslaus Pudicus Dux optimus moritur Cracoviae: cuius uxor cum sorore, Boleslai Pii uxore, vitam monasticam complectitur. Huic nepos Lestko Niger Dux Siradiensis in Ducatu succedit.

Excessum Boleslai Pii Calissiensis Ducis e vita, alter Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux secutus est, quasi annus hic Ducibus Poloniae id nomen Boleslaus sortitis, fuisset fatalis. Qui cum pluribus libertatibus, privilegiis, praeeminentiis et gratiis ecclesiam Cracoviensem multipliciter extulisset et nonnullas ecclesias, monasteria et pia loca fundasset, corpore suo ab omni illecebra custodito, et pudicitia tam sibi quam coniugi suae Kingae, per omnes annos, quo [1]) suum connubium nactus fuerat, servata, ob quod insigne virtutis meritum Pudicus Boleslaus, quod nemini alii Principum Poloniae reor contigisse, cognomen sortitus, caelebs et virgo, die Solis, Septima Decembris alias Quarto Idus Decembris, devotissime apud Cracoviam, cum annis septem et triginta regnasset, moritur et in monasterio Sancti Francisci Fratrum Minorum, quod ipse primus fundaverat, in choro ecclesiae ad aquilonarem partem sepelitur. Pompam funeris sui et Lestko Niger Siradiensis Dux ab eo in filium et successorem adoptatus, Paulus Cracoviensis episcopus, Kinga sua, et Helena Boleslai Pii Calissiensis Ducis, relictae, Griphina consors Lestkonis Nigri, barones et milites singuli, clerus et populus magna frequentia et concursu, nec secus atque in domestico luctu, moerentibus publice cunctis, honorarunt, efferentes laudibus mortuum, quantis ne vivum quidem atque praesentem extulerant. Nec a propriis tantummodo, sed a vicinis quoque populis per lugubres fletus et lamenta, ob probitatis et modestiae opera in omni vita exhibita, desideratus. Non tulit relicta sua Ducissa Kinga amplius mundanis actionibus se miscere, sed corpore mariti Ducis Boleslai Pudici vix funerato, cum Helena germana, Boleslai Pii Calissiensis Ducis [2]) relicta, in ecclesia Sancti Francisci ordinem Sanctae Clarae professa, caput velavit, ostendens se ad eam religionis perfectionem dudum aspirasse, et quamprimum coniugali vinculo [3]) solutae licuit, illico culmen illius apprehendisse. Nec fluere aliquam lachrymarum permisit, sed solum Christum sponsum cogitans, gratiarum actiones in illum assidue celebrabat, quod illam grandi onere liberasset. Pluribus quoque utriusque sexus hominibus excessum Boleslai Pudici deplorantibus, sola Kunegundis nullum tristioris animi argumentum ostendit, ita se convertens ad Deum, ut videretur mortem optasse. Omnem corporis cultum et vestium, adhuc calente mariti

---

[1]) ex quo *Ed. Lips.* [2]) Ducis *deest in Cod. Aut.* [3]) vinculo, iugoque *Cod. Rozr.*

corpore, proiiciens, vilibus se induit, et omnibus pretiosis gemmis, unionibus et clenodiis venditis, in viscera egenorum recondidit. Successit Boleslao Pudico nepos illius ex fratre patruele germano Kazimiro Duce Cuyaviensi, Lestko Niger Siradiensis Dux, tam Pauli Cracoviensis episcopi, quam omnium baronum, militarium uniformi concordia, et quod Ducem Boleslaum Pudicum strictiori consanguinitate contingeret et [1]) ab eo adoptatus et designatus successor fuerat, et quod Princeps frugi et comis, Principatuque dignus habitus, electus est. Ducissa Kinga Boleslai Pudici relicta, et a Lestkone Nigro Duce et a baronibus magnis impetebatur supplicationibus, ut Cracoviae residendo, summam administrandae Reipublicae assumeret. Sed dum nullis precibus posset expugnari, geminatus dolor apud ecclesiasticos et milites coortus est, querentium se pro uno tempore et optimo Principe, et optima coniuge sua orbatos esse. Quamvis siquidem mortem mariti moleste ferret, eo tamen uno solabatur, quod liberius esset Domino coeli de caetero servitura. Quapropter assumpta sorore sua Ioheleth Ducissa Calissiensi, in coenobium sanctimonialium Sandeczense abiit et residuam illic in operibus sanctis, multa sanctitatis ostendendo prodigia, exegit aetatem, castitatis et religionis exemplo provocans studia tam virorum quam feminarum. Erat autem Boleslaus Dux [2]) vir moribus clemens, sed in decisione causarum varius, et a corruptela munerum parum purus, vultu placidus, sobrius, venationum pro tempore sectator, vitae nitidae atque castae, et a Venere, contactuque feminae prorsus alienus: propter cuius praestantiam, universali sententia Pudici cognomen sortitus, vir bonus, ingenii simplicis, neque ulla simulatione fucati.

Wlostiborius in Gnesnensem archiepiscopum eligitur.

Substituturi in locum Martini Gnesnensis archiepiscopi superiori anno mortui, alium praesulem Praelati et Canonici Gnesnenses, electione apud Gnesnam celebrata, Wlostiborium decanum Gnesnensem, moribus et genere nobilem, in archiepiscopum per scrutinii formam eligunt. Qui licet Principis Maioris Poloniae Przemislai assistentia, favore et intercessione adiutus, enixius suam electionem per Sedem Apostolicam confirmari laborasset, pluribus tamen impedimentis illum obruentibus, perditum iri suas impensas et conatus videns, negotii sui prosequendi et voluntatem et fervorem omisit. Videbat enim et sentiebat Lestkonem Cracoviensem et Siradiensem Ducem, qui cognominabatur Niger, iam tunc Regni Poloniae Monarcham, infestum sibi adversarium fore, cum quo et caeteris Ducibus Poloniae, qui cum Lestkone

---

[1]) et quod *Ed. Lips.* [2]) Pudicus *Cod. Rozr.*

sentiebant, quamvis optimo iure fretus, cum esset vir modestus et mansvetus, ducebat indignum litem trahere.

Miraculum de duobus Cruciferis a barbaris Lithuanis editum.

In particulari quodam certamine et congressu Cruciferi de Prussia et domo Theutonica a Lithuanis gentilibus devicti, cum inter alios captivos duos quoque offendissent Cruciferos, utrumque exquisitis cruciatibus destinarunt necandum. Propositum itaque executuri, primum in editiori arbore proprio equo alligatum, vivum cum equo una cremandum, altero coram in spectaculum adducto, distendunt. Et igne ingenti exstructo, equus quidem illico torrente igne videbatur voratus et consumptus, super Crucifero vero aperto coelo splendor coelestis demissus, ignis ardorem in varias partes restrigens, corpus Cruciferi reddidit inustum. Coelum tandem splendor ille, ex quo prodierat, repetiit, cum quo simul et corpus Cruciferi in similitudine virginis pulcherrimae, mirantibus et stupentibus cunctis barbaris adeo, quod nec ullum corporis illius relinqueretur vestigium, conscendit. Verum dum perfidia Lithuanica, non virtute id divina actum, sed carminibus et incantatione procuratum censeret, alter superstes Crucifer in arboris rimam, per secures et cuneos violenter introductam, includitur, elisisque et excussis cuneis, arbore in suam naturam redeunte, durissima pressione ab arbore tortus, pyra exstructa vivus urebatur. Hunc quoque avis quaedam niveo candida colore, nunquam alias conspecta, de flammae medio ereptum deferre (attonitis supra modum barbaris, et Christianorum Deum magnum, suisque cultoribus benigna et propitia dona largientem, profitentibus) visa est in coelum.

Masoviae Dux Boleslaus, filius Semoviti, accepit in uxorem de Lithuania virginem Sophiam filiam Ducis Lithuaniae Troydeni, et nuptiarum solennitatem in Ploczensi civitate agit [1]).

Kunegundis Regina Bohemiae nupsit nobili.

Regina Bohemiae Kunegundis ex castro Bezdyesz, in quo cum filio [2]) Wenceslao servabatur, quasi anniversarium mortuo marito actura, Pragam venit, et abinde ad Nicolaum Oppaviae Ducem, filium sui mariti naturalem, divertit. Eo quoque procante [3]) Zawischium de Krumlaw, de genere Witkonidum seu de Roszemberk, accepit in maritum, ex quo gravidata filium ge-

[1]) egit. *Ed. Lips.* [2]) filio suo *Cod. Rosr.* [3]) precante *Ed. Lips.*

nuit, paterno nomine Zawisza vocitatum. Quod singulis fere Bohemiae militaribus [1]) execrantibus et pro ludibrio ducentibus, cessit in singulare fastidium et livorem.

In Italia motus terrae maximus septem oppida absorbet, et nubes rorant sanguinem.

Vicesima quinta Aprilis die ex repentino et gravi terrae in Italia motu septem oppida simul cum habitatoribus absorpta sunt, audiebanturque quatriduo voces vociferantium identidem ex abysso: Misericordiam Deus misericordiam! Eodem etiam terrae motu, qui in dies quindecim tendebatur, nonnulla castra simul cum montibus, in quibus sita erant, eversa, montes excelsi ad planitiem, non sine strage proximorum vicorum, deducti et solo aequati, monasterium sanctimonialium Cisterciensis ordinis, exanimatis quinquaginta sororibus, deleverunt. Ipse insuper terrae motus duos montes, flumine inter fluenta distinctos, commisit, et undis fluvii retrorsum conversis, et agros et villas subvertens, inundatione vastavit. In Alpibus quoque Bononiensibus ros sanguineus quantitatis insolitae decidit.

Prutheni molendino Elbingensi obsidione cincto, quo cives praecipui confluxerant, illud conquirunt et omnes crudeliter necant.

Glomerati Prutheni barbari in aliquot cuneos, pro conquirendo castro et oppido Elbyang [2]) adveniunt, sed cum difficilis expugnatio videretur, molendinum Elbingense, in quod principaliores cives Elbingenses, defensuri illud se contulerant, obsidione coarctant. Non ferentibus autem Cruciferis quod se laturos spoponderant praesidium, eo necessitatis ventum est, ut datis viginti quinque obsidibus ex pacto, reliquis civibus in molendino conclusis patere debebat et vita et libertas. Sed caduca et fluxa est apud barbaros, dum prospera fortuna utuntur, fides. Obsidibus enim contra ius gentium crudeliter enecatis, etiam universos, qui in molendino constiterant, vario carnificio exstingvunt. In quorum ultionem Prussiae Magister Cunradus regiones Pruthenorum ferro et igne aliquot hebdomadis vastans, etiam castrum Heilsberg [3]) conquirit.

---

[1]) baronibus et militaribus *Cod. Rozr.* [2]) Elbiąg *Cod. Rozr.* [3]) Elsberg *Cod. Rozr.*

ANNUS DOMINI 1280.

Leonem Ducem Russiae Regnum Poloniae forti potentia ingressum exercitus Lestkonis Nigri miraculose profligat, illumque depopulando Russiam usque Leopolim sequitur, et cum maxima spoliorum copia domum revertitur.

Successionem novam Ducis novi Lestkonis Nigri in Cracoviensem, Sandomiriensem et Lublinensem Ducatus, novi motus, novique bellorum stridores ab externis et propriis illico sunt insectati [1]), dum fortunae Lestkonis Nigri et in tot Principatus pro una vice successioni, a domesticis iuxta ac forensibus invideretur. Primum itaque Leo Ruthenorum Dux, Danielis olim Regis Russiae filius, qui inter Ruthenorum Duces ea tempestate tam militia quam terris et dominiis potior habebatur, et multitudine gentium et opum fretus, ad occupandum Cracoviensem, Sandomiriensem et Lublinensem Ducatus in animum induxit. Conductoque ex Thartaris, Lithuanis et Iaczwingis, caeterisque gentilibus [2]) et voluntario et mercenario milite, tribus exercitibus et pedite et equite refertis, in gravi multitudine terram Lublinensem ingressus, eam vastare intempestive et hiberno tempore (tanta vis animum stimulabat bellandi) coepit: qua pervastata, terram Sandomiriensem, Wisla ex hieme glaciebus gelata praebente iter, introiit, et quaeque obvia corripiens et affligens, ad Sandomiriense castrum et oppidum pervenit. Cuius expugnatione tentata, militibus Polonis egregie moenia tuentibus, dum secus quam speraverat provenisset, od praedandum et vastandum vicos et oppida, et urendum tecta rursus se convertit. Quo apud villam Goszlicze, duobus a Sandomiria milliaribus positam, habente stativa, exercitus Polonicus, quem Warsius castellanus Cracoviensis, Petrus filius Alberti Cracoviensis, et Ianussius Sandomiriensis, palatini ducebant, in raro et infrequenti numero (iussu enim Lestkonis Nigri Ducis in alium copiae locum convenerant) occurrit. Et in solo coelesti praesidio spe reposita, cum hostiles copias multifario numero se excedere viderent, cum Leone et eius exercitu die Veneris tertia Februarii confligunt, temerarie dicerem magis quam animose, nisi pro Polonis et eorum facinore [3]) tam audaci quam insigni fortuna stetisset. Certamine siquidem inito, his qui apud Ruthenorum exercitum primos ordines ducebant, per Polonos caesis, reliquos repente tanta trepidatio divinitus in barbaros immissa conterruit, ut velut lymphatici, proiectis armis, fugam omnes passim inirent. Thartari parva et brevi oppositione facta, mox et ipsi in fugam aguntur.

---

[1]) consecuti *Cod Rozr.* [2]) gentibus *Ed. Lips.* [3]) facto *Cod. Rozr.*

Poloni per multa milliaria fugientes insecuti, paucis captis, reliquos necabant. Octo millia caesa, duo capta, signa militaria septem eo praelio intercepta referuntur. Leo principalis Dux cum paucis itinerum expertis fugiens et confusus evasit. Lestko Niger repellere bellum nisi inferret, parum ratus, post dies quindecim exercitibus adunatis et recensitis, cum triginta millibus equitum et duobus peditum magis expeditorum Leonem insecutus, terras suas Russiae invadit, multaque castra a Ruthenis deserta, aut minus iusto praesidio locata, occupat, expugnat et evertit, et usque ad Leopolim terra populata, praedam frequentem tam hominum quam pecorum, Leone in ulteriora Russiae diffugiente et decernere [1]) non audente, Poloniam adduxit. In populatione ipsa quinque millia caesa, quatuor millia in captivitatem abducta scribuntur.

Thomas episcopus Ploczensis moritur, Goslaus succedit.

Thomas alias Thomka Ploczensis episcopus cum annis octo sedisset, moritur et apud Ploczensem ecclesiam sepelitur. Cui Goslaus successit, per conformem capitularem electionem electus via scrutinii, nobilis genere de domo Griffonum, a Martino quarto Summo Pontifice Romano, Ducibus Masoviae Semovito, Kazimiro et Boleslao consentientibus, confirmatus et propter Gnesnensis ecclesiae diuturnam vacationem provisus.

Novo genere mortis Nicolaus Papa tertius moritur.

Nicolaus Papa tertius cum annis duobus, mensibus novem, diebus tribus sedisset, ad castrum Surianum [2]) supra Viterbium ad unius leucae distantiam situm, quod cuidam nobili sub praetextu haereticae pravitatis abstulerat et consanguineis donaverat, se transferens, singulari et nova moritur morte, privatus subito omni sensu et [3]) motu, vicesima tertia Augusti. Cuius corpus Romam translatum, in Basilica Beati Petri et in capella Beati Nicolai, quam ipse aedificaverat, sepultum est. Post cuius mortem variae seditiones Romae inter Ursinos [4]) et Hanibaldenses fieri coeptae sunt.

---

[1]) decertare *Cod. Rozr.* [2]) Szurianum *Cod. Aut.* [3]) atque etiam *Cod. Rozr.* [4]) Ursiones *Ed. Lips.*

Brevi tempore quatuor Prussiae Magistri mortui; quintus vero Cunradus de Vuchtewange eis succedens Marienburg aedificat.

Decimus Prussiae Magister Poppo de Osterna [1]) Cunrado de Tirberg vel per Pruthenos occiso, vel excedente e vita, succedit. Quo brevi moriente, Haymo substituitur; sed cum is quoque absumptus esset, Herthmanus de Hoderuge [2]) in officium assumptus, duodecimum sortitur locum. Cui Cunradus de Vuchtewange [3]) successit; quo libere cedente, Manegolde Commendator Kinsbergensis suffectus est. Sub cuius regimine in loco castri et oppidi Czanthir [4]), veteri nomine abrogato, castrum Marienburg erectum est.

ANNUS DOMINI 1281.

Henricus Probus Wratislaviensis Dux captivitatem suam ulturus, sub specie consilii Posnaniensem, Glogoviensem et Legniczensem Duces captivat. Lestko autem Niger fratris Przemislai Ducis Posnaniensis captivitatem dolens Wratislaviensem omnem terram populatur. Tandem nacto districtu Welunensi a Duce Posnaniensi et aliis depactatis, Henricus illos liberos dimittit.

Cruciatus quondam suos et passiones, quas in captivitate apud Boleslaum Saevum Legniczensem Ducem vocatum Rogatka, Henricus quartus Probus appellatus Wratislaviensis Dux, pertulerat, omnibus conatibus expetens ultum iri, cum aperte id se consecuturum parum et difficile speraret, ad fraudes et dolos animum intendit. Et quo facilius cogitatum et diuturno iam tempore agitatum in se facinus perficiat, conventum in villa Baricz instituit, et tam Maioris Poloniae et Cracoviae, quam Slesiae Duces, literis et nuntiis illic conventuros et de pace atque bono statu et ordine Principatuum, deque nonnullis aliis rebus arduis per ipsum proponendis, bonum et profectum publicum concernentibus, tractaturos, invitat. Et caeteris quidem Ducibus varias occupationes pro excusatione allegantibus, Przemislaus Maioris Poloniae, Henricus Legniczensis, Henricus [5]) Glogoviensis, in Dominica Septuagesimae (is enim dies ab Henrico Wratislaviensi Duce [6]) ad conveniendum indictus [7]) erat), nullam fraudem de Henrico Wratislaviensi Duce [8]) suspicati, cum omnes tres

[1]) Ostiria *Cod. Aut.* [2]) Hermanus de Hodernge *Ed. Lips.* (Hartmannus de Heldrungen). [3]) Vnchtenange *Ed. Lips.* (Feuchtwangen). [4]) Czantrin *Ed. Lips.* [5]) Conradus *Cod Rozr.* [6]) Duce *deest in Cod. Aut.* [7]) dictus *Cod. Aut.* [8]) Duce *deest in Cod. Aut.*

arcta affinitate contingeret, cum modesto familiarium et militum numero conveniunt. Henricus autem Wratislaviensis Dux, etsi dolore ingenti ageretur [1]), quod pauciores quam animo destinaverat, Principes ad suam capturam convenissent, non distulit tamen cogitatum exequi facinus, sed praefatos Maioris Poloniae, Legniczensem et Glogoviensem Duces, et iure hospitii et iure gentium, iure quoque divino et humano profanato, primo adventus eorum die locum consilii ingressos, scelerate per se et milites suos, quos in grandi numero secum advexerat [2]), captivat, et captos in Wratislaviam deductos, arctae custodiae et vinculis singillatim includit. Quos cum usque ad festum Pentecostes vinctos observaret, et multis Principibus pro eorum relaxatione fatigas et instantias suas interponentibus nihil modesti responderet, Lestko Niger Cracoviensis, Sandomiriensis et Siradiensis Dux, fratris sui Przemislai Maioris Poloniae Ducis liberationem, quam precibus et intercessionibus nequiverat [3]), armis effecturus, cum omnibus suis et terrarum suarum copiis [4]) in Wratislaviensem terram descendit. Cui Msczugius Pomeraniae Dux, item omnes milites Maioris Poloniae, solatium [5]) praestituri, adveniunt. Triplici itaque agmine Wratislaviensem terram ingressus, eam spoliis conficit et incendiis, et omnium Polonorum pectore, iusta pro Ducis sui Przemislai captivitate indigna effervescente ira, plura crudelia eduntur facinora. Nulli siquidem vico, nulli oppido, quod sub Henrici Wratislaviensis Ducis [6]) ditione consistebat, parsum est, sed universo Wratislaviensi Ducatu flammis dato, etiam in suburbana Wratislaviensia saevitum. Saxeum tamen Henrici Wratislaviensis Ducis, et obstinatum pectus neque tot incendia in conspectu ab eo visa, neque suorum militum et subditorum frustra suam opem flagitantium fletus et lamenta, vel ad opponendum resistentiam, vel ad componendam pacem et relaxandum captivos, liquescere potuerunt, quin in proposito suo temere perseverans, neque cum hoste decernere [7]), potentiam hostilem et suorum casum veritus, neque suorum militum non tam lachrymis, quam variis contumeliis et increpationibus illum pro iniusta Ducum captivitate incessentium, potuit ad compassionem aut ad aequitatem inflecti. Quo in sua obstinatia perseverante, Lestko Niger Cracoviensis, Sandomiriensis et Siradiensis Dux, universo Wratislaviensi Ducatu in favillam redacto, et praeda ingenti de pecore et aliarum rerum supellectili congesta, in terras suas, Henrico Wratislaviensi Duce in castro Wratislaviensi se continente, rediit. Duces autem qui captivi ab Henrico tenebantur, molestias captivitatis diuturnae evasuri, cum illo per pacta de liberatione sua conveniunt. Et a Przemislao quidem Maioris Polo-

---

[1]) angeretur *Cod. Rozr.* [2]) adduxerat *Cod. Rozr.* [3]) obtinere nequiverat *Cod. Rozr.* [4]) potentiis *Cod. Rozr.* [5]) auxilium *Cod. Rozr.* [6]) Ducis *deest in Cod. Aut.* [7]) decertare *Cod. Rozr.*

niae Duce, quamvis frater suus amitalis fuerit, terram Rudensem, quae nunc Welunensis appellatur, asserens illam sui iuris esse et ad se pertinere, suis quoque praedecessoribus iniuste ablatam, depactat et extorquet. Ab Henrico vero Legniczensi, et Henrico [1]) Glogoviensi, Ducibus [2]), fratribus patruelibus, cum exactionare aliquas sortes terrarum non posset, servituros se sibi per quinquennium cum triginta lanceis contra quemlibet hostem et in qualibet necessitate, obligat; datisque per Duces de implendo pacto obsidibus, et iuramento ab omnibus exacto, ne occasione suae captivitatis quicquam contra illum per se vel alios hostile molirentur, tum primum illos ex captivitate laxatos in Principatus suos remisit.

Prutheni a Masovitis funduntur.

Pruthenorum primates et animosiores milites in forti exercitu terram Masoviae ingressi et castrum Ploczense subita expugnatione adorti, in magnae temeritatis suae superbia capere illud, et terram Masoviae caedibus, spoliis et flammis affligere nitebantur. Sed a Duce Masoviae Boleslao et gentibus suis invasi, paucis evadentibus, conflicti, temeritatis suae penderunt poenas.

Papa Martinus quartus eligitur et in veteri Urbe coronatur.

Semestri spatio a vacatione Ecclesiae Romanae effluxo, vicesima prima Februarii Simon Turonensis tituli Sanctae Caeciliae presbyter Cardinalis, in Viterbiensi palatio in Papam eligitur et Martinus quartus appellatur, Turonensis dictus, quia inde, ut tradunt historiae, originem traxit [3]), vel quia ibi nutritus referebatur. In sumptibus magnificus et religionum amator. Post electionem autem ex Viterbio discedit, Viterbienses [4]) perosus: quod Cardinalem Mathaeum in privata camera tempore electionis per contumeliam [5]) recluserant; et venit in Urbem veterem, et illic coronatur, et residentia per biennium facta, in Perusium [6]) transiit.

---

[1]) Conrado *Cod. Rozr.* [2]) Ducibus *deest in Cod Aut.* [3]) eum traxisse *Cod. Rozr.* [4]) Viterbiensem mansionem *Cod. Rozr.* [5]) cives Viterbienses per contumeliam *Cod. Rozr* [6]) Parisium *Ed. Lips.*

Wladislaus Hungariae Rex, relegata uxore, Comanas paganas in concubinas accipit et se earum moribus accomodat; a quibus, cum per Nuntium Papae retrahi non posset, a suis capitur, et expulsis concubinis, cum uxore in Wischegrad includitur.

Hungarorum Rex Wladislaus ad lasciviam et varias illecebras se resolvens, cum Comanorum tunc gentilium habitu et moribus una cum militia sua uteretur, etiam et vitiis eorum se capi et foedari permisit. Uxore siquidem filia Caroli Siciliae Regis contempta, Andanam Kuptehk [1]), et Mandalam, pluresque alias Comanorum mulieres forma praestantes, accepit in concubinas, et ritu barbarico illis coepit abuti. Periculum fidei Martinus Papa quartus veritus, Philippum episcopum Firmanum [2]), virum magnae prudentiae et doctrinae, in Hungariae et Poloniae Regna Nuntium cum potestate Legati de latere destinat. Qui in Pannonias primum perveniens, Rege Wladislao adito, multifariis et salutaribus consiliis, precibus et monitis illum obsecrat, quatenus [3]) habitum et mores Comanicos deserens, Catholicis se Regibus non in habitu solum et moribus, sed et in vita conformet, et repudiatis concubinis barbaris, ne cor illius a puritate Catholicae fidei depravent et seducant, legitimam uxorem resumat, et in casto pudicoque thoro iustae consortis vivat; Comanos insuper, quorum consiliis regebatur [4]), a se abdicet, et Catholicorum potius baronum consilia sectetur. Qui salutarem doctrinam, mulierum et concubinarum devinctus amore, irridens et contemnens, Nuntium apostolicum parum honeste tunc tractavit, expost vero in conspectum non admisit. Ille gravitatem et rigorem se et Apostolica Sede dignam observans, duos episcopos, qui Regis opera foeda mulcebant et aut dissimulatione, aut consensu nutriebant, de eorum sedibus deponit. Regem autem primo, secundo et tertio commonitum, dum desiperet et aurem ad corripientem se obturaret, excommunicatione primum, deinde anathemate, velut ethnicum et ethnicis consentientem, involvit. Qui ob id insolentior factus, apostolicum Nuntium praefatum Philippum episcopum Firmanum, missis satellitibus impiis et Comanis, captivat, et aliquibus illi contumeliis irrogatis, in curru illum extra Hungariae fines educit, interminans illi necem si redeat. Barones autem Regni Hungariae, temeritatem Regis sui, et illius varias in Deum et homines praevaricationes compressuri, illum capiunt, et omnibus suis concubinis cum ignominia relegatis, in castro Wischegrad [5]) illum cum uxore legitima po-

---

[1]) Kuptehk Kuptohk *Cod. Aut.* Ruptek *Ed. Lips.* [2]) Firminum *Ed. Lips.* [3]) ut *Cod. Rozr.* [4]) utebatur *Cod. Calv.* [5]) Viszegrod *Cod. Rozr.*

nunt et claudunt, certis baronibus sua et castri custodia commissa: ut vel sic lubricitate sua inhibita, ad iura matrimonii custodienda animum intenderet, dareturque Reginae foecunditas, et Regnum iusto haerede et successore non frustraretur.

Pragensis maior ecclesia a Marchione Brandeburgensi tutore Bohemiae, nullo obstante, omnibus opibus exuitur.

Maiorem Pragensem ecclesiam Otto Brandeburgensis Marchio et Bohemiae tutor, certo certius cognoscens, multis opibus et varia ac pretiosa rerum diversarum supellectili, quas tam nobiles quam cives et agrestes, ecclesiastici et saeculares illuc velut in locum tutum deposuerant, refertam esse, mittit Saxones, qui omnibus seris perfractis, et opes et clenodia, omnesque nobiles et pretiosas sarcinas auferunt et in Saxoniam deportant, Bohemiam fere omni auro, argento, margaritis, gemmis et quicquid pretiosum aut concupiscibile in ea erat, facili negotio exuunt et denudant. Sed nec repertus est aliquis ex Bohemis, qui tam grandis iniuriae genus, singulis nec muscitare audentibus, peteret rescindi, omnibus ea tempestate Saxonum formidine constrictis.

Prutheni in terra Culmensi quinque castra conquirunt.

Pruthenorum exercitus pedestri et equestri milite [1]) collecto, terram Culmensem ingressus, tanta caede, tantisque flammis et spoliis in eam, Magistro et Cruciferis neque decernere neque resistere audentibus, grassatus est, ut quinque castris, videlicet Grudzancz [2]), Mariewerder, Czanthir [3]), Cristburg et Clementh expugnatis et conquisitis, singulos homines permiscui sexus, quos in eisdem repererant, nulli conditioni, sexui parcendo vel aetati, miserabiliter trucidarent.

---

[1]) ordine *Cod. Rozr.* [2]) Grudziąndz *Ed. Lips.* [3]) Czartyrn *Ed. Lips.*

ANNUS DOMINI 1282.

Lithuani cum Iaczwingis Lublinensem terram per quindecim dies vastant: quos cum praeda redeuntes Lestko Niger per Angelum hortatus, cum parva manu consecutus, nullo ex suis amisso, profligat, et reversus ecclesiam parochialem in civitate Lublinensi fundat.

Iaczwingorum reliquiae, quae se Lithuanis iunxerant, cladem suam et exterminium, a Polonis propitia Divinitate inflictam, ulturae, cum Lithuanorum copiis, quae ad quatuordecim equitum et peditum millia aestimabantur, in terram Lublinensem clandestinis itineribus et subito, vicesima quarta Septembris die perveniunt, et illam caedibus et spoliis, exercitu tripartito, et populatione latius extensa, vastant, occisisque sacerdotibus et ministris Christi, et duobus fratribus ordinis Praedicatorum, senibus et lactantibus, maximum hominum et pecorum numerum congerunt. Et quindecim diebus in eius vastatione et praedatione demorati, praedam ingentem in Lithuaniam secum referebant. Agebat pro ea vice Lestko Niger Cracoviensis et Sandomiriensis[1]) Dux Cracoviae, iura reddens populis. Quamprimum vero nuntius invasionem barbaricam terrae Lublinensis denuntians ei allatus esset, illico caeteris rebus postergatis, cum militibus, qui secum una Cracoviae morabantur, ex Cracovia egressus, versus Lublinensem terram celerrimo cursu, conquirens et colligens in itinere milites, procedebat, existimans barbaros in Lublinensi terra se reperturum, vel hostes vincere exaestuans, vel mortem [2]) oppetere. Verum in Lublinensem terram perveniens, nihil praeter miserabiles reliquias opem suam implorantes (iam siquidem barbari praeda onusti de illa excesserant) offendit. Quid itaque ageret, persequereturne hostes numero et potentia superiores, in silvas et lacus, caeteraque loca, nullam pabulationem sibi et militibus suis praebitura, progressos, an subsisteret et [3]) rediret, sugillationem et insectationem multiplicem suae expeditionis subiturus? fluctuantem illum consiliique inopem visio angelica, quae se Archangelum Michaëlem [4]) profitebatur, per soporem monstrata monet: ut quolibet respectu et cunctatione abiectis, non differat persequi hostes, certamque illi futuram victoriam promittit. Ea visione universis militibus in concione vocatis exposita, etiam timidos et meticulosos, persequique barbaros detrectantes, exhilarat. Nihil enim aeque animos militum et popularium confirmare solet, quam denuntiata religio. Sump-

---

[1]) Sandomiriensis et Siradiensis *Cod. Rosr.* [2]) mortem *deest in Cod. Aut.* [3]) vel *Cod. Rosr.* [4]) Gabrielem *Cod. Rosr.*

tis itaque tam cibariis quam armis, impedimentis vero, quae escas et pabula ferebant, se subsequi iussis, recentia barbarorum vestigia intuentes, qua ampliori possunt celeritate vecti, barbaros insequuntur. Et licet illos et Bug et Narew flumina praetergressos comperissent, certi tamen de oraculi visione, et ipsi iisdem fluminibus superatis, barbaros inter Narew et Nyemyen [1]) flumina consistentes (neque enim propter praedarum multitudinem facile agmen barbarorum movebatur) tredecima die mensis Octobris consequuntur. Terruit supra modum omnes barbaros Polonorum conspectus, et multo maiorem quam pro numero Polonorum exercitum, eundemque audacem et animosum, moridestinatum aut vincere, animo et cogitatione metiebantur, paucos et timidos in tam abdita et remota loca nullatenus penetraturos [2]). Habebat Lestko Niger Dux in suo comitatu sex Polonorum de pedite et de equite, inter quos plures equites erant, millia, copias haud contemnendas, omnes tamen in unum agmen coactas. Neque enim locus, in quo certandum erat, plus silvarum quam camporum habens, dividi copias in plures acies patiebatur. Quibus adhortatis, ut non tam pro patria, coniugibus et liberis, quam pro fide Iesu Christi, de coelesti securi praesidio, viriliter pugnarent, maximo impetu in barbaros, metu et subito Polonorum conspectu attonitos, insilit. Et quamvis barbari primos Polonorum impetus excepissent, et aliquanto tempore tolerassent, primis tamen et secundis ordinibus obtritis, reliqui referre pedem, post vero verti in fugam coeperunt. Caedes deinde non pugna in omnes passim fugientes edebatur, quam non solum milites Polonorum, sed a barbaris capti Poloni, quos ex Lublinensi terra in utroque sexu duxerant [3]), operose promovebant. Terruerat et barbaros canum, quos simul cum captivis duxerant, viso Polonorum exercitu, ululatio et vociferatio speciem exultantium praeferens, sublata, qui et certamine durante et in fuga diris morsibus, quasi nossent quos insectari deberent, lacessebant. Caede ingenti et usque ad satietatem edita, nox superveniens prosequendi fugientes finem dedit. Reliquias Iaczwingorum ea clade usque ad interemptionem ultimam deletas esse (hi enim soli pertinacius restiterant) certum est. Plures insuper tam ex Iaczwingis quam Lithuanis, qui fuga evaserant, pudore acti, dum in penates proprios aut metuunt aut erubescunt reverti, partim laqueo, partim fame, partim aquarum suffocatione, mortem sibi consciscunt: ut ex illo frequenti barbarorum exercitu pauci fuerint superstites, qui aut Polonorum gladiis non ceciderint, aut sibi ipsis mortem miserabilem non consciverint. Mirum dictu et vix credibile, apud Polonorum exercitum scrupulosius recensitum nemo repertus est in eo praelio et in persequendo cecidisse. Quae res oraculum Lestkoni Duci per quietem factum, non phantasticum, non humanum, sed divinum et coeleste, eo pro-

---

[1]) Niemen *Cod. Rozr.* [2]) penetrare posse *Ed. Lips.* [3]) abduxerant *Cod. Rozr.*

digio monstravit. Lestko Dux, et de hostium strage, et sui exercitus incolumitate, suorum insuper, quos gentiles ex terra Lublinensi captivos duxerant, liberatione, Dei omnipotentiam glorificans, eiusque laudes cum omni exercitu suo identidem resonans, spoliis etiam hostium potitus, ovans in suos Principatus rediit: ab eoque tempore beatum Michaëlem sui triumphi et successuum felicium auctorem singulari prosequebatur veneratione et cultura. Ex Lithuanorum quoque clade reversus, in Lublin Basilicam parochialem Sancto Michaëli fundat et eius nomini dicari procurat, quae etiam in diem hanc beneficia angelica, tunc collata Polonis, et cladem barbaricam attestatur.

Palatinus et castellanus, militesque Sandomirienses, Cunrado Masoviae Duce vocato, illi terras Sandomirienses tradunt. Is tamen audito adventu Lestkonis Nigri, castris et civitatibus relictis, ad sua revertitur, et Lestko Dux omnibus reconciliatur.

Ex Lithuanica et Iaczwingorum expeditione Lestkonem Nigrum Cracoviensem et Sandomiriensem Ducem in Cracoviam reversum et paulisper illic commoratum, militum Sandomiriensium, quorum Ianussius palatinus, Cristinus castellanus, Sandomirienses, erant duces et capita, cum quibus et Paulus Cracoviensis episcopus astruebatur sensisse, rebellio excepit. Qui ad novandum res dudum proclivi, Cunradum Masoviae Ducem et Lestkonis Nigri patruelem germanum, quasi ille post Boleslai Pudici Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis obitum tam iure quam aetate ad succedendum potior censeretur, in terram Sandomiriensem inducunt, et tam Sandomiriensem et Zawichostensem, quam aliorum terrae Sandomiriensis castrorum et civitatum illi tradunt effectualem possessionem. Nihil ea novitate et rebellione Lestko Niger Dux territus, exercitu de curiensibus et terrae Cracoviensis armigeris raptim et tumultuario more congesto, versus Sandomiriam processit, cum Duce Cunrado patrueli fratre pugnaturus. Cunradus autem et de causa, et de militum animis fluxis et ambiguis diffisus, Lestkonis Nigri fratris sui adventum per exploratores sibi nuntiatum sentiens, in Masoviam excedit, cum ampliori potentia et copiis reversurus. Lestko interim et castra singula, quae Cunrado dedita erant, recuperat, et Ianussium palatinum, Cristinum castellanum, Sandomirienses, caeterosque milites defectionis autores sibi conciliat, et prudenti industria sine armis vincit, et omnem submovet et opprimit rebellionem. Astruunt nonnulli authores Lestkonem Nigrum Ducem ob seditionem militarem in Hungariam, seditionum autoribus eum propellentibus, diffugisse, et post aliquantulum temporis, quo illic moratus est, reconciliatione inter Du-

cem Lestkonem celebrata, in Cracoviam, et suorum et Hungarorum agmine comitatum, feliciter revertisse [1]).

Fames vehementer in Poloniam, Bohemiam et Almaniam saevit, quam pestis insequitur.

Ad intestina et externa bella fames horrenda, non in Poloniam solum, sed et [2]) in Bohemiam, Almaniam, caeterasque regiones horribiliter desaeviens accessit. Quae adeo sui atrocitate agrestes et plures e plebe integro biennio afflixit, ut mortem et perniciem famis vitaturi, laribus, uxoribus et pignoribus relictis, aliqui in Hungariam, nonnuli in Russiam, stipem quaesituri diffugerent. Sed utrobique crudelior illos pestis et pernicies possedit: qui enim in Hungariam diverterant, ab Hungaris, Comanis tunc barbaris venundati sunt; qui vero Russiam [3]), traditi Thartaris pro tributo: ut aliquando satius fuerit, famis morte in Polonia defungi, quam miserabilem et perpetuam servitutem apud barbaras nationes experiri. Nefanda et execrabilis Ruthenorum, magis tamen [4]) Hungarorum, qui verum ritum observant, conditio, quod in suam ditionem et fidem fugientes vicinos, calamitate afflictos, ampliori calamitate (nulla commiseratione, quae etiam brutis et pecoribus inesse solet, ostensa), iure hospitii, iure gentium pessundato, non indignum putarunt involvere, Saevior aliquanto fames Bohemos vexabat, qua pressi, matres pietatis oblitae, quam etiam belluae non sunt solitae negligere, foetus suos, famem exclusurae, mandebant [5]). Famis malum vulgatis in corporibus, esurie aut herbis, arborumque foliis et superfluitatibus nocivis cibis, morbis tabefactis et infectis, saevissima omnium epidimia secuta est [6]).

Apostolicus Nuntius exclusus Hungaria, in Poloniam veniens, humanissime tractatur.

Philippus episcopus Firmanus et apostolicus in Hungariae et Poloniae Regna Nuntius, a Wladislao Hungariae Rege et suis ignominiose tractatus et exclusus, Poloniam advenit, et tam a Duce Lestkone Nigro, quam ab universis ecclesiis, cum magno honore exceptus est. Et per omne tempus, quo in Poloniae provincia demorabatur, omnibus necessariis a pontificibus abunde procuratus, maximis laudibus Poloniae Duces, pontifices et nationem Poloni-

---

[1]) reversum fuisse. *Ed. Lips.* [2]) etiam *Cod Rozr.* [3]) ad Russiam *Ed. Lips.* [4]) magis quam *Cod. Rozr.* [5]) manducabant. *Cod. Rozr.* [6]) est *deest in Cod. Aut.*

cam universam, Romam reversus, extulit et celebravit, munificam liberalitatem et civilitatem Polonorum praedicans coram universis.

Comanorum exercitus a Wladislao Hungariae Rege profligatur.

Oldamir Comanorum Dux in superbam iactantiam elevatus [1]), et credens se universum Hungariae Regnum propter Wladislai Regis pravos et leves mores subacturum, Hungariam invadit. Cui Wladislaus Hungariae Rex circa lacum Hood occurrens, secum confligit. Et praelio acri inter utrosque durante, tempestas ingens coorta, ora et vultus Comanorum verberans et obcaecans, magno adiumento Hungaris fuit, ut vincerent. Victus tandem est ab Hungaris Oldamir, et omnis suus exercitus, paucis, qui fugiendo ad Thartaros evaserant, exceptis, deletus.

ANNUS DOMINI 1283.

Lithuanos terram Sandomiriensem vastantes in magna potentia, Lestko Niger Dux parva manu comitatus, profligat et omnem praedam recuperat.

Exacerbati clade ad Narew fluvium accepta, Lithuani dolore continuo vexabantur, stimulabanturque ad referendam Polonis vicem et talionem. Decreta autem et indicta expeditione, id pro sui desiderii faciliori consummatione ponebant in prospectum, quatenus Polonos in intempestivo et non prospecto tempore, velut incautos invaderent. Quam sententiam et consilium secuti, aestate transfluxa, multo maioribus copiis quam ante, resistentiam veriti, quarta Octobris die, Sandomiriensem terram per Lukowiensem regionem et silvas in ea consistentes, subito et improvise irrumpunt, et multa caede passim patrata, per vicos et oppida discurrunt; interfectisque senibus et impuberibus, viros et feminas, caeterosque puberes, pecus quoque et armenta capiunt, et citra sex millia Polonorum, tum nobilium et civium, tum agrestium, pluribus trucidatis, in servitutem abducunt. Milites autem Sandomirienses, etsi non in parvo numero Sandomiriam convenissent, tueri tamen tantummodo castrum et civitatem Sandomiriensem contenti, Duce Lestkone Nigro, qui tum Cracoviae agebat et colloquium et conventum, de Lithuanorum hostili irruptione per celerem nuntium avisato, a certamine propter sui paucitatem et hostium numerosam multitudinem abstinebant, propter quod barbari liberius

[1]) elatus *Cod. Calv.*

in caedes, praedas et spolia grassabantur. Lestko itaque Niger Cracoviensis et Sandomiriensis Dux de Principatuum suorum vastatione plurimum angustiatus, cum omnibus baronibus, militibusque, qui illuc confluxerant, armis correptis, de Cracovia exilit, et tam nocte quam interdiu gemebundus et tristis, alta pro captivis qui abducebantur cum suis militibus edens suspiria, iter quam celerius potest, rectiori gressu versus barbaros [1]) conficit, praemissis nuntiis, qui et eos, qui in arcem Sandomiriensem confugerant, et caeteros milites in castris et munitionibus suis consistentes, se ocyus subsequi iuberent, sciens barbaros rapta praeda velociter discessuros. Adunato itaque et ex his qui illum ex Cracovia comitabantur, et ex his qui Sandomiriam observabant, militibus, qualicumque exercitu, assumptis insuper agrestibus, ut species iustioris exercitus videretur, sciens omnem victoriam non in multitudine, sed in solius Dei consistere arbitrio et potestate, exercitum universum confessionis et Eucharistiae Sacramento, se quoque primum, communit. Propitiato quoque Deo, qui illi anno superiori non speranti, de eodem hoste trophaea contulerat, et militibus in concione animatis, hostes, qui nondum metas Principatus sui ab exploratoribus nuntiabantur excessisse, prosequitur, ratus exercitum suum, spiritualibus et materialibus instructum armis, audacissime et feliciter cum barbaris pro patria, pro templis, pro focis, proque gente et natione sua in captivitatem ducta, pugnaturum. Quos cum in Lukowiensi regione consecutus esset, graves praeda, eoque impeditiore agmine incedentes [2]), Lithuani perniciem superioris cladis vitaturi, ne simul et cum Lestkone Duce eius quoque exercitu, et cum captivis, quos ceperant, pugnare cogerentur, in silvas proximiores, vastas quidem, densasque et limosas secedunt, ubi illos Poloni, veluti in munimento forti consistentes, periculum et propter hostilem potentiam et locorum iniquitatem veriti, distulerunt invadere, magnaque ob id anxietate acti, quod hostem e conspectu emisissent. Eadem pene anxietas apud barbaros versabatur: nam et obsideri se a Polonis in silva, in qua delitescebant, et si hinc evaderent, Polonos se usque in Lithuaniam secuturos portendebant. Captivis igitur, ne Polonis adiumento forent, in silva durissime alligatis, et sarcinis ac impedimentis illic sub custodia paucorum et imbecillium relictis, e silva glomerati, aciebus ordinatis prodeunt, et ad stationes Polonorum, qui in loco Rowne appellato consistebant, vociferationes emittentes barbaras et inconditas, perveniunt. Terruit Polonos subitus eorum adventus, et quos fugere putaverant, bellum ultro sibi inferre videbant; magis tamen multitudine hostili, ad suam paucitatem comparata, movebantur, propter quod timidiores et inexercitati in fugam spectare coeperant, nisi Lestko Niger Dux prudenti oratione pavorem militarem excussisset, astruens nullum

---

[1]) barbaros *deest in Cod. Aut.* [2]) procedentes *Cod. Rozr.*

mortis genus sanctius praestantiusque fore, quam quod pro fide, pro patria et penatibus esset susceptum. Gavisuros illos potius, quam trepidaturos, quod ea occasio pugnandi illos teneret, per quam honestissime apud futura saecula, sive vincerent [1]), sive interirent, versarentur [2]). Recolerent insuper anni transacti victoriam e coelo sibi praestitam, et nunc quoque eadem et ampliori spe pro victoria adniterentur, postquam cum eodem hoste recenter et identidem ab illis victo, esset certamen [3]). Moverentur captivorum miserabilibus singultibus, qui in eorum dexteris fiduciam suae liberationis reponunt. Se insuper nihil saluti suae parsurum, sed pro exercitu suo et gente gratissime se cuique morti expositurum. In duas tandem alas exercitu partito, quarum unam Zegothae palatino Cracoviensi, alteram Ianussio palatino Sandomiriensi committit, in hostes insilit et obvios quosque prosternit, primasque hostium acies adeo obterit, ut etsi caeterae in eadem pugnandi constantia aliquanto tempore constiterint, Poloni tamen iam quasi se putabant, primis ordinibus debellatis, victores. Durante praelio ala Zegothae palatini Cracoviensis (in ea enim curienses Ducis et exercitatiores milites erant) primum vincere coepit, a qua tandem et ad aliam eadem sors pervenit. Fusi itaque Lithuani fugatique, et plura eorum millia eo praelio in stragem data sunt, quamvis et de Polonis aliquot insignes milites conciderint. Praelio obtento, ad silvas et captivos, sarcinasque Lithuanorum itum est, et solutis captivis, sarcinis quoque Lithuanorum in milites divisis, omnis praeda, quam ex Sandomiriensi terra tulerant, relata est. Legebantur et per plures dies captivi Lithuani et spolia, qui locorum ignari fugiendo oberraverant. In hunc modum propitia Divinitate, et hostis funesta clade obtritus, et omnis praeda erepta. Sed nec cognitu facile erat, prudentissimine imperatoris, an strenuissimi militis in pugna illa Lestko Niger Dux opera ediderit.

Fundatio monasterii fratrum Praedicatorum in Opatowyecz.

Duodecima mensis Augusti, Thomas monasterii Thinciensis [4]) abbas in oppido suo Opatowyecz, Cracoviensis diocesis, cooperante et instante Lestkone Nigro Cracoviensi, Sandomiriensi et Siradiensi Duce, monasterium fratrum Praedicatorum fundat et erigit, et ipsis fratribus agros nonnullos et terram donat et largitur pro praedio et cultura, cum omni libertate.

Preislawa [5]) Ducissa genere Ruthena, consors Semoviti Masoviae Ducis,

[1]) vincerent, viverentque *Cod. Rozr.* [2]) versarentur, dicens: *Cod. Rozr.* [3]) certandum. *Cod. Rozr.* [4]) Thinecensis *Cod. Rozr.* [5]) Przeislawa *Cod. Rozr.*

moritur Secundo Idus Aprilis; et oppidum Gostinin per Cunradum Masoviae Ducem vastatur.

Sophia Ducissa consors Boleslai Masoviae Ducis filium enixa est, cui nomen Semovitus, dum baptisaretur, datum est [1]).

Paulus episcopus Cracoviensis iussu Ducis Lestkonis Nigri iterum captivatur.

Invasionem Lithuanorum eo anno et superiori patratam, Paulus Cracoviensis episcopus procurasse, multorum assertione insimulatus, mandato Lestkonis Nigri Cracoviensis et Sandomiriensis [2]) Ducis, per milites, dum in oppido Lagow ageret, capitur et vinctus in castrum Siradiense altera vice deportatur: ubi aliquanto tempore honeste et humane habitus est. Neque ob sui captivitatem (vacabat enim tunc Gnesnensis sedes) provincia Gnesnensis censuris interdicti subiacuit.

Fundatio hospitalis ante Kalisch.

Pridie Calendas Ianuarii, Przemislaus secundus Dux Maioris Poloniae fundat hospitale ante portam oppidi Kalisch, pro recollectione infirmorum et miserabilium personarum, et illud cum dote ei collata libertat, fratribus Iohannitis illud dans in curam et regimen.

Lukerdis uxor Przemislai Maioris Poloniae Ducis a pedisequis misere interficitur: cuius necis scelestae fama erat, conscium fuisse ipsum Ducem Przemislaum.

Quarta decima Decembris die, Lukerdis [3]) Ducissa, consors Przemislai Maioris Poloniae Ducis, et filia Nicolai Kaszubitae [4]), in Posnaniensi castro diem obiit, a propriis familiaribus et ancillis iugulata. Quam etsi maritus suus Przemislaus Dux fleverit et ducales illi celebraverit funebrias, insimulatus tamen est, quoniam sterilis erat, et infoecunditatis gratia, et prolis virilis et successionis desiderio, nonnullas personas in eius mortem subordinasse. Auxit quoque suspicionem dissimulata ultio et praestita autoribus indignae necis impunitas. Sed et carmina publica, usque in aeta-

---

[1]) iubente patre datum est. *Cod. Rozr.* [2]) Sandomiriensis et Siradiensis *Cod. Rozr.*
[3]) Lukardis *Cod. Aut.* [4]) Kaszubitarum Ducis *Cod. Rozr.*

tem nostram decantata, testabantur Ducissam Lukertham [1]), dum se a marito praesensisset destinatam in mortem, flebilibus obsecrationibus rogasse, ne vitam et consorti et feminae innocenti pateretur eripi; sed et pro Dei reverentia, et honore tam coniugali quam ducali, permitteret eam in paternam domum, etiam in unius camisiae tegimento deduci, aequo animo sortem quantumcunque inopem, dummodo relinqueretur vitae, laturam. Facinus suum Dux Przemislaus occultum, perpetuoque tegendum silentio crediderat, velut a paucis consciis et obscure actum: quod tamen Deo efficiente, publico et vulgari carmine in suum dedecus audiebat cantari, quod etiam in nostram usque aetatem constat pertigisse, nostrique saeculi illud concinunt theatra. Trahebaturque praefatus Dux Przemislaus in facinoris praedicti vulgari quidem sed veridico iudicio culpam, et a plurimis carpebatur, quod mors praefatae Lukerdis alieno quidem ministerio, sed suo patrata fuerat mandato et iudicio, neque ducali reverentia, neque prohibitione districta, potuit qualitatem sui facinoris de ore et pectore hominum abstulisse: qui etiam occisione praefatae consortis suae ob sterilitatem, coelestium firmissimum et irretractabile decretum impedire frustrareque conatus, et scelere se foedavit teterrimo, et prole virili, altera uxore superducta, non potuit potiri.

Iacobus Swinka, cassata per Papam Wlostiborii electione, in Gnesnensem archiepiscopum consecratur.

Praelatis et nuntiis Gnesnensis ecclesiae electi sui Wlostiborii decani Gnesnensis, electionem suam per Sedem Apostolicam confirmari petentibus, Martinus quartus Papa [2]), electione eius cassata, Iacobo Swinka Polono et genere nobili de domo Porcaria, quae apud Polonos Swinka id est Sus vocatur, propter familiaritatem, qua illi in minoribus agenti coniunctus erat, providit. Qui anno eodem, die Saturni decima nona Decembris, in oppido Kalisch in monasterio fratrum Minorum ordinatur in presbyterum, et subsequenti die Solis consecratur a quatuor Poloniae episcopis, videlicet Thoma Wratislaviensi, Iohanne Posnaniensi, Goslao Ploczensi, et Wolmiro Lubuczensi, in archiepiscopum. Quam solennitatem consecrationis Przemislaus Dux Maioris Poloniae, exequiis suae consortis peractis, sua cohonestavit praesentia, et novo archiepiscopo Iacobo annulum, gemma et opere insignem, pro munere obtulit.

---

[1]) Lukierdim *Cod. Rozr.* [2]) Papa *deest in Cod. Aut.*

Fundatio monasterii sanctimonialium ordinis Praedicatorum in Posnania et dotatio per Przemislaum secundum Ducem Maioris Poloniae.

Sexto Calendas Ianuarii, Przemislaus secundus Maioris Poloniae Dux fundat monasterium sanctimonialium ordinis Praedicatorum in Posnania: cui tres villas, videlicet Pyanthkow, Rudnycza [1]) et Zaparczicze, item lacum Gostynyno dat in dotem. Coronatus autem in Poloniae Regem, confirmat donationem per Vincentium vicecancellarium ac fratres eius Nicolaum palatinum et Miroslaum de villis Donathowo et Grzmyslawe [2]); item Nicolai palatini Calissiensis de villis Koszczynino, Byalekoszy et Szokolniky [3]) et molendino ante Posnaniam; item Iohannis scholastici de villa Popowo factam, libertando haereditates praedictas.

Albertus episcopus Wladislaviensis moritur; Wislaus succedit.

Nonis Decembris, Albertus Wladislaviensis episcopus cum annos in Pontificatu tredecim [4]) exegisset, moritur et in ecclesia Wladislaviensi tumulatur. Vir spectatae virtutis, et in pauperes religiososque et quoslibet inopes liberalitatis profusae. Cui Wislaus canonicus Wladislaviensis, praepositus Ploczensis successit, anno subsequenti quarto decimo Calendarum Aprilis a Iacobo Swinka Gnesnensi archiepiscopo in monasterio Strzelnensi ordinis Praemonstratensis, Wladislaviensis diocesis, et provisus et consecratus, nobilis genere de domo et familia Zabawa.

Sub tutela Ottonis Marchionis Brandeburgensis Bohemi constituti, Principem suum repetunt, idque nullo suo commodo obtinent.

Variis externis et intrinsecis Bohemiae barones et nobiles vexati incommodis, Principem suum Wenceslaum, sub cura et tutela Ottonis Longi Marchionis Brandeburgensis constitutum, sibi reddi deposcunt. Sed Otto Marchio praefatus, callida ad disserendum ingenia conquirens, Bohemorum expectationem, quam crebris spebus identidem implebat, illudebat, donec Bohemi terrae suae dispendiis dietim ingravescentibus provisuri, paciscuntur Marchioni

---

[1]) Piąnthkow, Rudnica *Cod. Rosr.* [2]) Grzimisław *Cod. Rosr.* [3]) Koszczinino, Białekozy et Sokolniki *Cod. Rosr.* [4]) duodecem *Cod. Rosr.*

Ottoni Marchiam Budissensem cum nonnullis castris et oppidis in perpetuam haereditatem et possessionem, et [1]) triginta quinque millia argenti, se daturos. His duabus conditionibus Otto Marchio motus, postquam sibi a Bohemis effectualiter impletae sunt, Ducem Wenceslaum illis Nono Calendas Iunii in Pragam adductum restituit. Sed hunc [2]) demum genitrix sua Kunegundis, consors Zawissii de Roszemberk, adeo blandimentis maternalibus devinxit, ut totius Bohemiae regimen et gubernationem vitrico suo Zawissio de Roszemberk committeret. Qui fastuosius se erga Bohemiae barones gerens multorum in se livores et odia convertit: contumeliosiusque tunc Bohemia sub eo, quam sub Ottone Marchione, dispendiis quam plurimis afflicta et pressa est.

Tres Msczugii Pomeraniae Ducis fratres Ordinem Cruciferorum subeunt, donatis Ordini sortibus suis: quod per Legatum Papae est infirmatum.

Germanus Msczugii Pomeraniae Ducis et alter filiorum Swantopelci Warcislaus, tenuitate paternae sortis, quae illi obtigerat, considerata, mundo relicto, Ordinem Cruciferorum de Prussia, conferens Ordini [3]) sortem sui Principatus, assumit. Cuius exemplum duo alii fratres Samborius et Rathibor secuti, sortes suas ea conditione Ordini donant, ut Ordo illos in statu et habitu laicali permanentes et servitores eorum, expensis et sumptibus decentibus procuret. Non tulit eam alienationem Msczugius Pomeraniae Dux natu maior, sed omnes tres trium germanorum sortes in suam ditionem redigens, misso speciali nuntio [4]), apud Summum Pontificem Martinum quartum de Magistri et Ordinis Cruciferici notoria ambitione, qua sortes fratrum ad se recisuras occupare nitebantur, querebatur. Qui ad rem inspiciendam Philippum episcopum Firmanum, Legatum in Prussiam transmisit: qui [5]) utriusque partis auditis propositionibus et responsis, donationem per tres Msczugii fratres, Warcislaum, Samborium et Rathiborium Ordini factam, velut iniquam et iniustam infirmavit [6]) et rescidit; Ducem vero Msczugium ad donandum donatione perpetua Magistro et Ordini oppidum et districtum Gnyew cum quindecim tantummodo villis, inducit. Quo sic firmato, Magister et Ordo, castro Puterberk demolito, castrum et oppidum Gnyew [7]) muro aedificant.

---

[1]) nec non *Cod. Rozr.* [2]) hunc ipsum *Cod. Rozr.* [3]) eidem Ordini *Cod. Rozr.* [4]) nuntio *deest in Cod. Aut.* [5]) Legatus autem is *Cod. Rozr.* [6]) retractavit *Cod. Rozr.* [7]) Gmyew *Cod. Aut.*

ANNUS DOMINI 1284.

Castrum Calissiense filius palatini Posnaniensis muneribus corruptus, Henrico Probo Wratislaviensi Duci tradit: quod Przemislaus Maioris Poloniae Dux, dum expugnatione recuperare non potest, tandem oblato pro eo castro Olobok, illud conquirit.

Inescatus Henricus quartus Probus cognominatus, Wratislaviensis Dux, suarum fraudum, quas in Przemislao Maioris Poloniae, Henrico Legniczensi, Cunrado Glogoviensi Ducibus captivandis nequiter commiserat, prospero successu, terra Rudensi alias Welunensi, de qua pro liberatione sui Przemislaus Maioris Poloniae Dux illi cesserat, parum contentus, rursus (ut est natura hominum, qui se cupiditati et avaritiae semel permiserint, avidiori pectore aliena appetere) ad occupandos caeteros Maioris Poloniae Principatus animum intendit, et nonnullos sibi ex Maioris Poloniae baronibus, eos praesertim, qui rerum summae praeerant, tum muneribus, tum amplissimis promissis allicit et conciliat, opportuno tempore eorum opera ad consequendos ambitionis suae et fraudis fructus, usurus. Inter quos cum Sandiwogium Iohannis palatini Posnaniensis spe et largitione corrupisset, Sandiwogius ipse, castrum Calissiense habens a Przemislao Maioris Poloniae Duce in sua fide et tenuta, ob nonnullas insuper simultates Przemislao Duci, et quod in conferendis magistratibus et officiis publicis doleret se ab eo praeteritum, infensus, ultima Septembris castrum Calissiense (civitas siquidem paullulum ante, Septimo videlicet Calendarum Septembris, proprio incendio conflagrarat) Henrico quarto Duci [1]) Wratislaviensi tradit, omnis humanitatis suae et honestatis oblitus. Qua novitate, non secus quam par erat, Przemislaus Maioris Poloniae Dux permotus, universis militibus suorum Principatuum in arma coactis, versus Kalisch procedens, castrum Calissiense, in quo iam frequens ex Slesia militum Henricus Wratislaviensis Dux praesidium locaverat, et tam propugnaculis, quam victualium provisione muniverat, ab omni parte in coronae modum cinxit et vallavit, sperans se aut tractatibus interpositis, fame urgente per deditionem, aut per violentam expugnationem castrum habiturum. Caduceatoribus autem ad milites castrum obtinentes missis, qui persuaderent, ut castro reddito, incolumes omnibus ablatis, abirent, cum nil responderetur pacati, Przemislaus Maioris Poloniae Dux, castris propius admotis, in diem tertium pronuntiavit, ut milites pro expugnando castro parati essent. Quo

[1]) Duci *deest in Cod. Aut.*

adveniente, magna vi, magnoque conatu et impetu ad illius expugnationem universo fere die cassos labores impendit, et loci natura et arte, militumque manu, conatus illius frustrante. Inclinata tandem iam die, cum insignes milites expugnatio huiusmodi aut absumpsisset, aut confecisset vulneribus, signo dato receptui, illam plus dedecoris et damni quam vilitatis ex ea referens, omisit. Interpositi tandem sunt per communes barones pro pace tractatus inter bellantes et dissidentes Duces; et post plures fatigas et labores, sub his tandem conditionibus, Przemislao Maioris Poloniae Duci parum honestis, pax convenit: ut Dux Wratislaviensis Henricus de castro Calissiensi occupato cedat et illud Przemislao Duci Maioris Poloniae reddat; Przemislaus vero in oppido Olobok castrum suis sumptibus aedificet, et illud cum regione, quae circa Olobok consistit, Henrico Wratislaviensi Duci [1]) consignet. In hunc modum pace confecta, obsidio soluta est.

Henricus Probus multa castra et oppida ac alia bona episcopi et ecclesiae, clerique Wratislaviensis vi capit et decimas omnes sibi tribui iubet: quae cum requisitus restituere non curat, pro eorum recuperatione Synodus provincialis ab archiepiscopo Gnesnensi indicitur.

Guerra humana et sociali, licet admodum temeraria et iniusta, Henricus Wratislaviensis Dux, Probus appellatus per antiphrasim, cum illi magis improbitas conveniret, perfunctus, ad sacrilegam et magis detestabilem, sive pectus rerum avidum et insatiabile, sive inflatus plusquam humana superbia et fastu animus id causabat, arma vertit et notabiles pecuniarum summas et subventiones a Thoma episcopo et clero Wratislaviensi sibi dari stricto mandato imperavit: quae cum non praestarentur, magna furia actus, Othmuchow castrum episcopale primum, deinde oppidum Nissa ecclesiae cepit. Et quasi ea parva essent, omnium aliorum castrorum, oppidorum et villarum, quae ad episcopum Wratislaviensem aut eius clerum pertinebant, possessionem per satellites suos, expulsis inde tenutariis et officialibus episcopalibus et ecclesiasticis, apprehendit; decimas insuper universas in suo Principatu (quae soli Deo in signum universalis dominii noscuntur reservatae) sub gravi interminatione et poena iussit sibi praestari. Habebat insuper episcopus et ecclesia Wratislaviensis castrum Edelsten [2]) in certa summa pecuniae sibi pignori obligatum: ad illud quoque rapaces manus extendens, in suam redegit ditionem. Tot adversitatibus et persecutionibus sub uno tempore in ecclesiam Wratislaviensem in cuiusdam tempestatis et procellae modum coortis, Thomas

---

[1]) Duci *deest in Cod. Aut.* [2]) Eldensten *Cod. Aut.* Eudelsten *Ed. Lips.*

episcopus Wratislaviensis provisurus, honestos nuntios ex praelatis et Canonicis Wratislaviensibus ad Henricum Ducem Wratislaviensem mittit, pro restitutione bonorum ecclesiae rogaturos. Qui etsi submisse et humiliter legationem suam illi denuntiassent, superbum tamen et minarum plenum retulerunt responsum. Missi et alii, itemque alii, cum in eodem superbiae et furoris tenore perstare Ducem Henricum monstrassent, ad extremum Thomas ipse Wratislaviensis episcopus, ad mitigandum saevum et trucem animum, ire pergit. Sed a Duce Henrico, quamvis blande et mansuete preces iustas ingeminasset, asperius obrutus, Iacobo Swinka Gnesnensi archiepiscopo suo metropolitano per literas et nuntios suas et ecclesiae suae Wratislaviensis pressuras, provisionem flagitans, intimat. Qui calamitatibus ecclesiae Wratislaviensis paterno et benigno affectu compassus, pro sacra Epiphaniarum die anni subsequentis (neque enim temporis qualitas celerius patiebatur rem obiri) Synodum provincialem Lanciciae instituit, et omnes provinciales coëpiscopos[1]) ad illam invitavit, tam detestabili rei ab Henrico Wratislaviensi Duce molitae, ne in effectum procederet, occursurus.

In Zegano oppido monasterium fundatur.

Quarto decimo Calendas Iunii Przemislaus Sprotaviensis Dux, in Zegano oppido sortis suae monasterium ordinis . . . . .[2]), ad petitionem et instantiam Alberti plebani Zeganensis, fundat et erigit, et condignam illi dotem de villis et introitibus ducalibus largitur.

Burcardus Magister Prussiae eligitur, qui Saracenis a civitate Accon depulsis, ex Terra Sancta reversus, ordini et officio suo renuntiat.

Mortuo Manegoldo Cruciferorum Magistro, Burcardus de Swanden surrogatur. Qui illius probitatis exstitit, ut etiam civitati Accon in Terra Sancta diuturna obsessione Saracenica laboranti, depulsis barbaris, succurreret. Post paucos vero dies de officio, Fratribus nequicquam flexis genibus rogantibus, cedit et Iohannitarum ordinem assumit: in quo parum provide et graviter[3]) habitus, officium in Prussia repetere conatus, repulsam passus est. In cuius locum Memor[4]) de Qwerinworth, natione Saxo, substituitur.

---

[1]) episcopos *Cod. Rozr.* [2]) *Designatio ordinis (videlicet* Canonicorum regularium S. Augustini) *deest in omnibus Cod.* [3]) parum gravide et provide *Cod. Rozr.* [4]) Mamer *Cod. Rozr.* (Meyner).

ANNUS DOMINI 1285.

Synodo celebrata, Iacobus Swinka archiepiscopus Gnesnensis Ducem Wratislaviensem et eius dominia ecclesiastico interdicto subiicit, quod fratres Minores Wratislaviae non observant; a quo tandem Dux ipse absolutus est, nulla satisfactione episcopo Wratislaviensi praestita.

Epiphaniarum festo adveniente, Gnesnensis archiepiscopus Iacobus Swinka in Lanciciensi oppido Synodum tenuit provincialem. In qua Paulo Cracoviensi, Iohanne Posnaniensi, Wislao Wladislaviensi, Thoma Wratislaviensi et Wolmiro Lubuczensi, episcopis, caeterisque inferioribus praelatis et abbatibus in notabili multitudine convenientibus, causa Wratislaviensis ecclesiae per Henricum quartum Wratislaviensem Ducem angustiatae et oppressae, tractari et agi coepta est. Et quoniam omni modestia erga tyrannum Henricum, Thomas Wratislaviensis episcopus [1]) docuit se submissius, etiam quam pontificalem decuerat dignitatem, usum fuisse, Iacobus Swinka Gnesnensis archiepiscopus, de coëpiscorum suorum votis et consilio, processu summario contra tyrannum instaurato, ipsum et omnes suos satellites, familiares et adhaerentes, et singulos, qui eidem praestarent consilium, auxilium vel favorem pro violentia et oppressione, quam ecclesiae Wratislaviensi intulerat, censuras ecclesiasticas extendit et aggravat, et tam Wratislaviensem civitatem, quam omnia alia loca Principatus sui Wratislaviensis, ecclesiastico supponit interdicto. Quod etsi mandatis iustissimis sui metropolitani parendo, universae ecclesiae, universaque monasteria Wratislaviensis civitatis et diocesis observassent et organa divinae laudis suspendissent, soli fratres Sancti Francisci ordinis Minorum in monasterio Sancti Iacobi Wratislaviae illud observare contempserunt: sed pro Ducis Henrici et civium Wratislaviensium favore et beneplacito, non compatiendo, quemadmodum caetera nobilia et iusta membra, capiti, publice et notorie profanabant. Eiectus est igitur tam episcopus, quam omnis clerus Wratislaviensis, eiecti et fratres Praedicatores (quos honoris et virtutis causa specialiter nomino) de Wratislaviensi civitate et aliis oppidis atque villis per Ducem Henricum et cives Wratislavienses, qui secum una sentiebant, et suam fovebant mulcebantque contumaciam et tyrannidem, et omnes in exilium acti, in Poloniae dioceses secesserant, et illic per omne tempus, quo persecutionis detonabat procella, a Polonicae ecclesiae pontificibus, praelatis et clero benigne et humane recollecti et habiti, mora-

---

[1]) Episcopus *deest in Cod. Aut.*

bantur. Soli Minores fratres humana et temporalia lucra sectati, non sine sua et ordinis sui nota et ignominia sempiterna, non apud illa solum, sed etiam apud praesentia et futura saecula detestabilem memoriam habituri, reperti sunt, qui ecclesiasticae disciplinae [1]) nervo temerato, miserabiliter se iniquitati [2]) et tyranno Henrico Duci, eiusque satellitibus et civibus Wratislaviensibus per assistentiam addixerant: apud quos plus valere visa sunt humana quam divina, et iussis salutiferis praestantiores victimae. Thomas autem episcopus Wratislaviensis suam et cleri iniuriam repressurus, ad Lugdunense Concilium personaliter se contulit; sed cum illic quoque speratum non offendisset remedium, Dux quippe Wratislaviensis Henricus, missis procuratoribus, absolutionem a censuris et interdicto Gnesnensis archiepiscopi obtinuit, nulla satisfactione de damnis et malis, quorum non erat numerus, Thomae episcopo impensa, in Poloniam ex Lugduno moestus rediit et in Rathibor a Duce Kazimiro [3]) Opoliensi recollectus habitavit.

Deiecto Lestkone Nigro Duce ab imperio, barones et milites Minoris Poloniae illud Cunrado Masoviae Duci deferunt. Cives autem Theutonici Cracovienses dum fidem cum arce Cracoviensi et coniugem Lestkonis eisdem ab illo creditam, servarent, Cunradus a Lestkone habente Hungarorum auxilia superatur. Lestko autem rebellantibus in gratiam susceptis, fidem civium Cracoviensium praerogativis specialibus remunerans, ipsis insuper civitatem muniri muris et propugnaculis plenariam tribuit potestatem.

Sedata paullulum, vel potius propter [4]) externa et barbarica bella dilata et condita, militaris contra Lestkonem Nigrum Cracoviensem et Sandomiriensem Ducem seditio atque rebellio, quiescentibus bellis, maiori rursum turbine erupit, et tam Paulo Cracoviensi episcopo, quam Warszio castellano, Zegotha palatino, Cracoviensibus, Ianussio palatino, Cristino castellano, Sandomiriensibus, caeterisque primoribus baronibus terrarum Cracoviensis et Sandomiriensis, in illius deiectionem et Cunradi Masoviae et Czirnensis Ducis institutionem, uno voto unoque tenore conspirantibus, Cunradus praefatus Masoviae et Czirnensis Dux, notabilibus fretus copiis, primum Zawichost, deinde Sandomiriam, Paulo Cracoviensi episcopo, qui captivitatis suae ultum iri parans molestias, eam procellam exciverat, et omnibus aliis baronibus obviam illi euntibus, advenit. Ubi diebus aliquot magno celebrato conventu, in verba sua ab universis Cracoviensibus et Sandomiriensibus, Lublinensibusque mili-

---

[1]) doctrinae *Cod. Rozr.* [2]) inquinaverant *Cod. Rozr.* [3]) Wladislao *Cod. Rozr.* [4]) sive potius per *Ed. Lips.*

tibus iuratum est, et omnium castrorum, civitatum et munitionum facta deditio. Una sola Cracoviensis arx et urbs restabat, in qua se Lestko Niger Dux cum Griphina consorte et paucis admodum familiaribus, a caeteris, ne illis perfidiae esset si secum sentirent, desertus, continebat. Ad eam quoque comprehendendam Cunradus Masoviae et Czirnensis Dux ex Sandomiria cum copiis, a Paulo Cracoviensi episcopo et baronibus ac militibus Cracoviensibus et Sandomiriensibus consultus, ire pergit, omnem [1]) victoriam in uno solo Lestkonis Nigri Ducis corpore, si capi posset, autumans consistere [2]). Perniciosa difficultate undique Lestko Niger Dux coarctatus, vario mentis aestu fluctuans, quid sibi agendum restaret, moestus et consilii inops, deliberabat; deliberationem autem metus et denuntiatio hostilis adventus intercipiebat. Arcem quidem Cracoviensem forti defensorum et militum praesidio locandam esse, et ratio et necessitas suadebant: quatenus ea velut capitali retenta, caetera facilius in ditionem redirent. Sed id quoque consilium militum defectio et eorum qui remanserant paucitas, difficilius faciebant. Salubri tandem consilio Lestko Niger Dux inspiratus, ad Cracovienses cives Theutonicos se convertit, et tam Ducissam Griphinam consortem suam, quam arcem in eorum fidem et tuitionem committit, pollicitus fidem eorum in necessitatis articulo praestitam, debellatis hostibus, abunde se praemiaturum. Ipse cum paucis, arce civibus Cracoviensibus tradita, suae deiectionis iniuriam amplexatus, in Hungariam ad Wladislaum Hungariae Regem, solatia [3]) quaesiturus, quanto celeriori potest cursu, quarta decima die Iulii ex Cracovia egressus, contendit. Cracovienses autem cives adversus Cunradum Masoviae et Czirnensem Ducem, adversus quoque proprios barones et milites defendere civitatem, quod et humiles illius tunc muri, et parum provisa moenia essent, et tam arcis quam civitatis tuitio pro uno eodemque tempore periculosa videretur, diffisi, civitate deserta, cum uxoribus, pignoribus et fortunis se in arcem recipiunt, contra quoslibet impetus illam tutaturi. Advenit tandem cum exercitu Cunradus Masoviae Dux, et urbem vacuam offendens, in eam se recepit. Mittit deinde barones ad cives Cracovienses Theutonicos arcem observantes, familiares et notos illis milites, qui monerent, ut arce reddita, et ipsi in Cunradi, quem universale et concors baronum et militarium decretum pro Duce delegisset, ditionem venirent, neque a communi militarium voluntate desiperent, iustum et favorabilem Ducem Cunradum, in eorumque votis, si quae postulare vellent, clementem et propitium, iuxta et amplius quam Lestkonem Nigrum, si secum una sentire coeperint [4]), praesentis quoque facinoris impunitatem perpetuam, sin minus, iratum et formidabilem habituri [5]). Parvo tem-

---

[1]) unam *Cod. Rozr.* [2]) consistere. *deest in Cod. Aut.* [3]) auxilia *Cod. Rozr.* [4]) coeperint, habituri *Ed. Lips.* [5]) relaturi. *Cod. Rozr.*

poris spatio cives Cracovienses ad deliberandum [1]) sumpto, respondent: Non licere illis propter iurisiurandi sacramentum, quod omnibus baronibus Cracoviensibus et Sandomiriensibus Lestkoni Nigro Duci praestantibus et ipsi praestiterant, novo se polluere periurio, et Lestkone vivente, in Cunradi ditionem concedere; non esse rem suae conditionis, suique iuris, obedientiam semel praestitam, Lestkone superstite, variare. Desinerent eos ad rem eam asciscere velle, quam integram, cum illi primum non librassent [2]), se nihil de fide semel Lestkoni Nigro Duci et domino suo praestita, etiamsi extrema urgeret sors [3]), mutaturos. Ea civium Cracoviensium responsione tam Cunradus Masoviae Dux, quam Cracovienses et Sandomirienses barones exacerbati, cum arcis Cracoviensis impugnatio et conquisitio non minus difficilis quam periculosa videretur, conceptas ex responsione civium Cracoviensium iras in tecta eorum innocua vertunt, et igne in locis pluribus adhibito, Cracoviensem urbem saevissimo incendio conflagrant: cuius quondam structuras et ornatum magnopere a Deo, animorum vices versante fortuna, fulsisse optabant. Interim dum ea Cracoviae agebantur, Lestko Niger Dux cum Hungarorum et Comanorum exercitu ex Pannonia redibat: Wladislaus quippe Hungariae Rex, afflictae fortunae suae compassus, et praestantiores ex Curiensibus suis tam Hungaros quam Comanos, solatium [4]) et restitutionem in Principatus sibi praestituros, secum transmisit, et insuper hortatus est, propere ad bellum capessendum incumberet [5]). Huius quoque rei gratia Cunradus Masoviae Dux sibi occursurus et praelium cum eo conserturus, ex Cracovia movit castra, ratus se cum frequentibus copiis suis facile Hungarorum et Comanorum paucitatem oppressurum. Spei tamen suae adversus effectus respondit. In campis siquidem villae Boguczicze, haud procul a flumine Raba, cum Lestkone Nigro Duce et Hungaris, Comanisque adiutoribus suis, collatis signis, secunda die Augusti, cum occasio ipsa nec differendi nec retardandi occasionem daret, pugnans, superatus atque victus est: et strage magna utrinque proveniente, Lestkoni Nigro, qui iustiora arma induerat, cessit victoria. Cunradus Masoviae Dux in aliquorum suorum militum paucitate, quam in hoste contempserat, effugiens, non prius fugam sistere voluit, donec in Masoviam et castra eius se recepit. Errorem autem suum, ea clade, quam divinitus (prout erat) rebatur accidisse, perculsus, recognoscens, impetitionem Cracoviensis et Sandomiriensis Principatuum, velut iniustam et sibi deformem, omisit. Lestko Niger Dux, Hungaris et Comanis, a quibus usque Cracoviam deductus est, pro opera quam in praelio novaverant, munifice remuneratis et in Pannonias remissis, victoria modestissime usus, et captos barones in liber-

---

[1]) deliberationem *Cod. Rozr.* [2]) deliberassent *Cod. Rozr.* [3]) urgerentur pericula *Ed. Lips.* [4]) auxilium *Cod. Rozr.* [5]) incumbere. *Cod. Rozr.*

tatem restituit, et perfugas [1]) veniam deprecantes in priorem statum et gratiam admisit. Expertus tunc in se Lestko Niger Dux Cracoviensis, quod quisquis qui Reipublicae administrationem susceperit, invidias, detrectationes [2]), odia, seditiones, repulsas, exilia, caedesque subeat, oportet. Civibus vero [3]) Cracoviensibus, qui et arcem illi conservaverant, et nulla adversitate ab illius fide poterant divelli, multas libertates praestitit, et Cracoviensem civitatem fossatis, vallis, turribus et muris muniri, et a solis Theutonicis illius regimen et gubernationem obtineri et dirigi (baronibus et militibus magna execratione et stomachatione rem improbantibus, ne quandoque adversus se calcitrarent) illis permisit. Tanta denique charitate et favore Lestko Niger Theutonicos Cracovienses cives ab eo tempore et extulit et coluit, ut se tam coma, quam habitu, moribus illorum conformaret.

Russiam Masovitae primum, deinde Rutheni Masoviam vicissim pervastant.

Boleslaus Masoviae Dux, filius Semoviti, potentiis gentium suarum, tam ex pedite, quam ex equite contractis, terram Russiae ingressus, illam spoliis, igne et caedibus vastat, et magna spolia in [4]) Masoviam refert. Cuius exercitu ad propria dilapso, Rutheni Masoviam repentina irruptione ingressi, illam vastant, et Boleslao Masoviae Duce [5]) detractante pugnam, spolia et ipsi frequentia in Russiam referunt.

Henricus Probus Wratislaviensis Dux innocenter milites suos trucidat et traditores arcis Calissiensis captivat.

Nondum una tyrannide Henricus quartus Wratislaviensis Dux perfunctus, alteram orsus, Iohannem Myenczicz [6]) et germanum suum Petrum, item Sbiluthonem, militares et innocentes viros, quod de violentia ecclesiae Wratislaviensi illata ab eis reprehensus fuerit, trucidat. Sandiwogium vero Iohannis palatini Posnaniensis filium, qui illi Calissiensem arcem tradiderat, item Beniamin militem captivat et in carcerem atque vincula coniicit: quos omnium aestimatione exstinxisse creditus, vitae tandem et libertati reddidit.

---

[1]) profugas *Cod. Rozr.* [2]) obtrectationes *Cod. Rozr.* [3]) autem *Cod. Rozr.* [4]) in *deest in Cod. Aut.* [5]) Duce *deest in Cod. Aut.* [6]) Niemczicz *Cod. Rozr.*

Przemislaus Posnaniensis Dux post iugulationem prioris uxoris suae alteram superducit, filiam videlicet Regis Sueciae.

Succesorem et haeredem Przemislaus Maioris Poloniae Dux exaestuans relinquere, cuius rei contemplatione et respectu, Lukerdim [1]) consortem suam, velnt sterilem, insimulatus est per satellites suos iugulo sustulisse, Richszam [2]) virginem filiam Sueciae Regis accipit in uxorem, et undecima Octobris die adductam, Posnaniae nuptiarum celebrat solennitatem. De iugulatione autem uxoris praefati Ducis Przemislai Lukerdis, quae erat ex prosapia Marchionum Brandeburgensium progenita, in execrationem tam foedi sceleris, Deo permittente, carmina vulgaria, ab agrestibus ruditer composita, lingua Polonica in theatris usque ad nostra tempora canebantur: in quibus praefata Lukerdis obsecrabat Ducem Przemislaum, sibi vitam non eripi, sed in paternam domum etiam in pannis vilibus deduci.

Vermes in Prussia pestiferi.

Pestiferi vermes, caudas velut cancri habentes, in terra Prussiae in magna multitudine circa finem[3]) Iunii mensis ebulliunt, et plures mortales suo tactu extinguunt. Adeo enim eorum tactus lethalis extitit, ut quemcumque rostro pupugerint, altero aut tertio die exanimabatur.

Thartari Hungariam longe lateque pervastant, et multis occissis, quasdam terras Imperii Constantinopolitani occupant.

Maiori autem pernicie Hungaria a Thartaris, quam Prussia a vermibus afflicta est. Hi siquidem a Comanis, quos Hungari vicerant, instigati, Hungariam infra octavas Epiphaniae [4]) adveniunt, et caedibus spoliisque eam usque ad Pest et Budam pervastant, tanta freti multitudine, ut Wladislaus Hungariae Rex congredi cum illis timuerit. Diutius autem Thartari in Pannoniis usque post festa [5]) Paschae commorati, tantum illis [6]) intulerant dispendium, ut pecoribus et iumentis deficientibus, homines bigas trahendo et aratra, vicem pecorum supplerent. Grandis tandem mortalitas, quae multa eo-

---

[1]) Lukerdam *Cod. Aut.* [2]) Riksam *Cod. Rozr.* [3]) in fine *Cod. Rozr.* [4]) Epiphaniarum *Cod. Rozr.* [5]) post festum *Ed. Lips.* [6]) Hungaris *Cod. Rozr.*

rum millia extinxit, secedere illos ex Pannoniis coëgit. Invaserunt et eo anno Thartari Imperium Constantinopolitanum, multasque terras Imperii, caede ingenti in hominibus facta, occuparunt.

Martinus quartus Papa moritur, cui Honorius quartus succedit.

Feria quarta infra octavas Dominicae Resurrectionis, Quinto Calendas Aprilis, Martinus quartus Papa apud Perusium, tribus annis sedens, moritur et in maiori ecclesia sepelitur. Cui Iacobus de Sabello diaconus Cardinalis, natione Romanus, de domo Sabellorum antiquo genere, Honorius quartus vocatus, succedit, vir sapiens et nulli nocivus, qui post creationem Romam recedit, et iuxta Sanctam Sabinam in monte Aventino fabricat palatia; pridie mensis Aprilis apud Perusium in Papam electus. Quarta vero die mensis Maii per Latinum Ostiensem [1]) Cardinalem, primum in sacerdotem promotus, et tandem in Summum Pontificem consecratus est.

Nona Septembris Kunegundis Regina Bohemiae, relicta Ottokari Regis et consors Zawissii de Roszemberk, diem obiit, et apud Sanctum Franciscum Pragae sepulta.

ANNUS DOMINI 1286.

Cunradus Masoviae Dux subornatis Lithuanis et Ruthenis, castrum Gostinin sub Wladislao Loktek conquirit. Iidem ipsi barbari alio tempore Masoviam ingressi Szochaczow et Ploczsko castra exurunt.

Indigne et moleste ferens Cunradus Masoviae et Czirnensis Dux, castrum et districtum Gostinin a sua sorte et Ducatu sequestratum esse, et in ditione atque sorte Wladislai Loktek, fratris patruelis, Brestensis et Cuyaviensis Ducis, consistere, captus illius ambitione, Lithuanos et Ruthenos in eius captionem subducit et subornat. Cuius ut captio facilius proveniret, nonnullos ex suis in Gostinin castrum, tradimentum et fraudem opportuno tempore, de quo inter ipsum et Lithuanos Ruthenosque convenerat, patraturos, submittit. Lithuanis itaque et Ruthenis ad constitutam diem silenter et clanculo advenientibus, novantibus Cunradi Ducis satellitibus pro tradimento operam, Lithuani et Rutheni castrum Gostinin, fraude magis Cunradi Ducis et suorum satellitum, quam robore, expugnant et conquirunt, et tam crudeli [2]) strage

---

[1]) Latinensem Hostiensem *Cod. Rozr.* [2]) et tanta *Cod. Rozr.*

in milites, quos in castro reperierunt, grassati sunt, ut in ore gladii trucidarent plurimos, reliquos in miserabilem ducerent servitutem. Sexcenti et amplius de ingenuis et agrestibus ea clade aut necati aut capti; castrum Gostinin caede et innocenti Catholicorum sanguine a barbarorum truculentia effuso, dotatum, Cunradus Masoviae et Czirnensis Dux accepit: qui etsi cupidine sua potitus sit, ab umbris tamen eorum, quorum stragem effecerat, reor illum per identidem quietem potuisse vexari. Sed nec diuturna Cunrado Masoviae et Czirnensi Duci atque suis militibus fuit ea laetitia: hi enim Lithuani atque Rutheni, qui illum ad conquirendum castrum Gostinense adiuvarant [1]), sub eiusdem anni spatio Masoviam ingressi, et castrum Szochaczow conquirunt, et castrum Ploczsko [2]) negligentius custoditum intercipiunt et exurunt, trucidatis utriusque sexus hominibus, nonnullis vero in captivitatem abductis.

Przemislao Posnaniensi Duci, magna spe filium expectanti, filia nascitur.

Magna spe, magnaque expectatione, Przemislaum Maioris Poloniae Ducem, de futura virili prole, consorte et Ducissa sua Richsza [3]) porrigente in dies uterum, exultantem, femineus partus ab ea prima Septembris die editus, a spe et hilaritate deiecit. Baptismalium tamen solennitatem Posnaniae celebrans, a praelatis et baronibus, quos invitaverat, etiam virilem sexum sperare iussus, coniugis nomen novae filiae Richsza [4]) imposuit.

Wladislaus Loktek castrum Ploczsko sub Cunrado Masoviae Duce expugnat et Gostinin recuperat.

Stragem suorum militum et hominum in castro suo Gostinin per Lithuanos et Ruthenos patratam, Wladislaus Loktek Brestensis et Cuyaviensis Dux ulturus, simulque castrum Gostinin a Cunrado Masoviae Duce occupatum recuperaturus, iusta ira, iustaque indignatione in Cunradum Masoviae Ducem succensus, qui primum fratrem suum germanum Lestkonem Nigrum Ducem de Cracoviensi et Sandomiriensi Ducatibus exturbare et eiicere conatus est, se denique ex castro Gostinin deturbasset, collecto ex pedite et equite exercitu, in Masoviam silenti et latenti agmine veniens, castrum Ploczense sub intempestae noctis spatio aggressus, vigilibus trucidatis aut [5]) comprehensis

[1]) in conquirendo castro Gostinin adiuvarunt *Cod. Rozr.* [2]) Płoczko *Ed. Lips.* [3]) Rikscha *Cod. Rozr.* [4]) Rikscha *Cod. Rozr.* [5]) et *Ed. Lips.*

expugnat et conquirit, et in suam redigit ditionem. Quod non prius Cunrado Duci, cuius erat, restituendum duxit, donec baronum communium, civile et domesticum bellum molestius ferentium et exstinguere pro viribus satagentium, interpositione, et damna singula circa interceptionem castri Gostinin illata, sibi soluta sunt et castrum Gostinin redditum.

Iohannes Wiskowyecz episcopus Posnaniensis moritur; Iohannes Traditor succedit.

Iohannes appellatus Wiskowyecz Posnaniensi episcopus, cum prope annis undecim sedisset, moritur et in ecclesia Posnaniensi sepelitur. Cui eiusdem nominis, sed alterius appellationis vir Iohannes, cognominatus Traditor alias Herbuth vel Gerbisch, Posnaniensis Canonicus, per electionem canonicam via scrutinii celebratam successit: quam Iacobus Swinka archiepiscopus Gnesnensis confirmans, praefatum electum in Landa monasterio ordinis Cisterciensis in episcopum consecravit.

Lithuaniae Dux Pelusza principalem Ducem nuptias celebrantem cum sponsa captivat et plurimos alios Duces crapula soporatos trucidat.

Graviter et iniquo animo Pelusza Lithuaniae Dux ferens iniurias, quae illi a principali Duce Lithuaniae, propinquo sanguine sibi iuncto, inferebantur, easque ultum iri aestuans, ad commendatorem in Kinsberk, Albertum de Missen secreto veniens, dari sibi per Commendatorem viginti viros, quorum duo erant principales, Martinus de Golin et Cunradus Tuvil [1]), in armis exercitatos, ad inferendum molestias Lithuanis, obtinuit. Cumque cum complicibus suis [2]) in interiora Lithuaniae pervenisset, in castrum principalis Ducis, in quod nuptias ex more celebraturi principaliores Lithuani convenerant, nocte irruit, et omnes per ebrietatem et crapulam soporatos inveniens, septuaginta Duces et maiores natu, plurimamque aliam multitudinem [3]) permiscui sexus occidit. Sponsum vero et sponsam cum multis matronis et virginibus captivos, onustus spoliis et clenodiis insignibus, in Kinsberk deducit.

Bernhardus Legniczensis Dux, ob corporis agilitatem et robur, Agilis appellatus, filius Boleslai Saevi Rogatczae [4]) Legniczensis Ducis, moritur et in monasterio Legniczensi fratrum Praedicatorum in sepulchro paterno sepelitur.

---

[1]) Conradus de Tunil *Cod. Rozr.* [2]) suis praefatis *Cod. Rozr.* [3]) multitudinem hominum *Cod. Rozr.* [4]) Rogatki *Cod. Rozr.*

Bohemiae Rex filiam Romanorum Regis ducit uxorem et sororem suam eius filio copulat.

Tertio Nonas Iulii, Wenceslaus Bohemiae Dux Iuttham [1]) filiam Rudolphi Romanorum Regis et patris sui Ottokari occisoris, quam necessitate ductus dudum desponsaverat, accipit uxorem, et pro dote Egra civitas illi a Rudolpho pignori data est. Sororem vero suam Rudolpho primogenito filio praefati Rudolphi Romanorum Regis versa vice tradit in consortem. Iuttha [2]) Wenceslai coniunx viro cautior, inimicitias, quae inter Wenceslaum Bohemiae Regem et Albertum Romanorum consurrexerant, magno labore [3]) interposito diremit.

ANNUS DOMINI 1287.

Districtum et castrum Olobok, quod ex certis pactis in Ducis Wratislaviensis ditionem cesserat, Maioris Poloniae milites, inconsulto Duce suo, recuperant.

Maximum et notorium dedecus (prout erat) milites Maioris Poloniae rati [4]), quod Henricus quartus Wratislaviensis Dux pro restitutione Calissiensis castri, quod suo tractatu et blandimentis, pollicitationibusque, fraude vero Sandiwogii filii Iohannis palatini Posnaniensis interceperat, districtum et castrum Olobok occupabat, iniussu Ducis sui Przemislai Maioris Poloniae, facto agmine, illuc ire pergunt. Et die quarta decima mensis Iunii, castrum Olobok, quod ex conditione foederis Przemislaus Maioris Poloniae Dux aedificare suo sumptu coactus fuerat, expugnare adorti, aliquot de suis desideratis, aliquot vulneratis, magna vi et contentione conquirunt. Et nonnullis militibus Slesiae, qui illuc pro praesidio erant [5]), trucidatis, caeteros omnes in vincula coniiciunt, et tam castrum Olobok quam districtum eius, quod Henricus quartus suo Wratislaviensi Ducatui iniuste annexuerat, in priscam reducunt formam, et suae provinciae, suoque Maioris Poloniae Principatui restituunt. Eam autem conquisitionem etsi Henricus quartus Wratislaviensis Dux acerbe tulisset, missisque ad Przemislaum Maioris Poloniae Ducem fecialibus, castrum et districtum Olobok sibi reddi petiisset, Przemislao [6]) restitutionem abnuen-

---

[1]) Bohemiae Rex Iuditham *Ed. Lips.* [2]) Iuditha *Ed. Lips.* [3]) labore et studio *Cod. Rozr.* [4]) rati esse *Ed. Lips.* [5]) relicti erant *Cod. Rozr.* [6]) Przemislao tandem *Cod. Rozr.*

te, ab armis abstinuit, sperans se dolo, non ferro, iniuriam suam aliquando ulturum. Huius insuper anni tempore, vicesima octava die mensis Decembris, praedictus Przemislaus secundus Maioris Poloniae Dux, dum apud Gnesnam ageret, Cunradum episcopum et suam ecclesiam Lubuczensem notabilibus libertatibus donat, ac bona eiusdem ecclesiae Lubuczensis sub suo Principatu consistentia, ab omni servitute et angaria Polonica libera esse decernit.

Vicini barbari Dobrzinensem civitatem spoliant et incolas illius trucidant.

Dobrzinensem terram, quam Semovitus Dux quintus, et ultimus Kazimiri Cuyaviensis, Lanciciensis et Siradiensis Ducis filius (quemadmodum in superioribus narravimus) in sortem acceperat, Lithuani, Prutheni, Samagitae[1]), caeteraeque gentiles et barbarae nationes furtivo et silenti agmine ingressae, primum principalem civitatem Dobrzin, die Dominico, civibus nihil hostile suspicantibus et divinorum officiorum auditione occupatis, comprehendunt. Spoliata deinde et incensa civitate, trucidatis senibus et lactantibus, caeteros et in civitate et in rure comprehensos, in miserabilem captivitatem abducunt. Caesorum et occisorum numerus ad tria hominum utriusque sexus creditus est ascendisse millia.

Lestko Niger Dux praedicata et concessa a Sede Apostolica Cruce se et exercitum suum ingentem signans, quasi contra barbaros pugnaturus, Masoviam multis caedibus et spoliis affecit; id tamen, Deo illius praevaricationem ulciscente, haud impune tulit.

Recentem Dobrzinensem cladem et vastationem, suas insuper veteres et[2]) transactas invasiones et iniurias, quae et Lublinensi et Sandomiriensi terris a Lithuanis, Pruthenis et Samagitis, caeterisque barbaris inferebantur, Lestko Niger Cracoviensis, Sandomiriensis et Siradiensis Dux ultum et restrictum iri se simulans, generalem expeditionem omnibus suis Principatibus indicit, et tam se, quam milites suos et satellites, Cruce ab Apostolica Sede contra Lithuanos, Pruthenos et caeteros barbaros praedicata et concessa, signat et communit, quasi in barbaricum bellum cum copiis pedestribus et equestribus profecturus. Congesto itaque et recensito exercitu, barbaris omissis, in Catholicos ire pergit, et terram Masoviae Ducis Cunradi, hostis et adversarii sui, fratris patruelis germani, qui illum de Ducatibus Cracoviensi,

---

[1]) Samogitae *Ed. Lips.* [2]) atque *Cod. Rozr.*

Sandomiriensi et Siradiensi exturbaverat, triplici agmine ingressus, crudeli ferocitate eam caedibus, igne et spoliis vehementer, omni clementia et pietate exutus, vastavit, praedasque pecorum et pecudum plurimas, Cunrado Duce Masoviae neque decernere audente, neque aliqualem resistentiam faciente, ex Masovia in Principatus suos devexit [1]). Pro ludibrio autem et simultate, quibus in Deum et Catholicos usus, arma a barbaris in fideles verterat, adeo illum ultio divina persecuta est, ut omni felicitate, quam illi propitiatio divina in bellis et actionibus suis largiri consueverat, amissa, cladibus magis quam victoriis insignior esset. Nam et in ea, quam contra Cunradum Masoviae Ducem egerat, expeditione plures insignes milites et bellatores fluviis, dum eos superare conantur, suffocatos amisit. Grandem deinde Thartarorum invasionem, postremo pestem et epidimiam in universos grassantem, item famem, agrorum et frumentorum alluvionem, mortalitatem quadrupedum, mordacitatem bestiarum et luporum, varias insuper plagas Dei sibi invicem [2]) succedentes pertulit, ut tam sibi quam posteris documento sit et fuerit, ne quis de caetero Deo et suae religioni mentiatur et illudat, et quod sine religione arma, quantumcunque potentia, non vincant.

Pax et reconciliatio inter Henricum Probum et episcopum Wratislaviensem, quem in oppido Rathiboriensi obsidebat, mirabiliter ratione offensarum episcopo illatarum, provenit; et ecclesia collegiata Sancti Thomae Cantuariensis in castro Rathiboriensi per episcopum Thomam fundatur.

In annum quintum Thomae episcopi et sui cleri Wratislaviensis patrata per Henricum quartum [3]) Wratislaviensem Ducem exiliatio, et tam civitatum, oppidorum et villarum, quam decimarum et introituum ecclesiasticorum execranda occupatio tendebatur, tanti tamen temporis spatio satietas suae cupiditatis non poterat expleri, sed nec ecclesiastico interdicto, a Iacobo Swinka Gnesnensi archiepiscopo in terras suas et Principatus promulgato, ambitio sua et tyrannis [4]) restringi [5]). Statum denique suum pontificalem Thomas episcopus Wratislaviensis, et virorum ecclesiasticorum, qui secum una acti erant in exilium, de censibus, decimis et introitibus, in aliorum Ducum Poloniae terris et ditione consistentibus, quos Henricus Wratislaviensis Dux occupare non poterat, sustentans, et in oppido Rathiboriensi suae Wratislaviensis diocesis domicilium agens, quod tunc a Kazimiro [6]) Opoliensi Duce tenebatur, exilii sui et suorum molestias aequanimius perferebat. Conatus illum Henricus quar-

---

[1]) advexit. *Cod. Rozr.* [2]) subinvicem *Cod. Rozr.* [3]) quintum *Cod. Rozr.* [4]) tyrannides *Cod. Aut.* [5]) nequiverat restringi. *Cod. Rozr.* [6]) Wladislao *Cod Rozr.*

tus Dux Wratislaviensis etiam et de sede illa deiicere, multis nuntiis et literis Kazimirum [1]) Opoliensem Ducem sollicitat: ne hostem et adversarium suum Thomam episcopum cum clero Wratislaviensi in oppido suo manere sinat: hostem infestum, si secus agendum duxerit, ex se habiturus. Verum cum a Kazimiro [2]) Opoliensi Duce denuntiationes suas et terrores contemptum et irrisum iri videret, grandi exercitu tam de proprio milite, quam donativo ex pecunia, qua ecclesiam Wratislaviensem mulctaverat, conducto, terram Kazimiri [3]) Opoliensis Ducis hostiliter ingressus, oppidum Rathiboriense, propter praesentiam Thomae Wratislaviensis episcopi et sui cleri, obsidione vallavit. Quam etsi cives ditiores Rathiborienses aliquanto tempore pertulissent, et ampliori se sponderent laturos, vulgus tamen permiscuum in substantiis et victualibus tenue, fame maceratum, continuas lacrimas et voces, gemitusque et suspiria, execrationibus et improperiis refertos, contra Thomam episcopum et suum clerum [4]), dum fames et desperatio in dies crescerent, et praesidium Kazimirus [5]) Opoliensis Dux, potentiam Henrici Wratislaviensis Ducis veritus, ferre cunctando negligeret, emittebat. Quibus episcopus Thomas, benigna pietate, qua semper affluere visus est, commotus, Satius, inquit, est me et clerum meum incidere in manus tyranni, quam hos innocentes fame consumi; liberemus extemplo et obsessos, metu et fame morituros, periculo, et loci huius, qui nos longo tempore sustinuit et aluit, impendentem perniciem nostra captivitate, aut si ita Coelestibus visum fuerit, morte solvamus. Induit deinde vestes sacras, nonnullos quoque ex clero iubet amici eisdem, ac sic tiara et pontificalibus insigniis, cum clero universo suo secum exulante, oppido egressus, ad castra pergit tyranni, iras suas supremo humilitatis genere placaturus. Cuius tyrannus viso a longe adventu, tanto metu divinitus perculsus est, ut de tabernaculo suo exiliens, in occursum pontificis ocyus procurreret, et corruens pronus in terram, quasi divinum aliquid [6]) in episcopo videns, et in specie [7]) illius aeternum Pontificem venerans, transgressionum suarum veniam precaretur. Quem Thomas episcopus ex terra elevans, omnem se illi praevaricationem transactam, dummodo in ea contritione et devotione persisteret, obortis lacrimis, spondet indulturum. Et post flebiles amplexus et oscula hinc inde utrinque praestita, proximam aedem beato Nicolao sacratam Dux et pontifex absque arbitris ingressi, longis et mutuis habitis tractatibus, his demum conditionibus, eoque pacto, pax et reconciliatio, et omnium offensarum [8]) obliteratio convenit: Ut Dux Henricus Wratislaviensis et castra, civitates et oppida, villas, decimas et quascumque sortes ecclesiasticas, quas

---

[1]) Wladislaum *Cod. Rozr.* [2]) Wladislao *Cod. Rozr.* [3]) Wladislai *Cod. Rozr.* [4]) clerum Wratislaviensem *Cod. Rozr.* [5]) Wladislaus *Cod. Rozr.* [6]) aliquod numen *Cod. Rozr.* [7]) in spem *Cod. Rozr.* [8]) offensarum et iniuriarum *Ed. Lips.*

occupaverat, Thomae episcopo et suo clero [1]) redderet, et pro perceptis satisfactione condigna impensa, amplas libertates et immunitates Wratislaviensi ecclesiae, scelus commissum expiando, conferret. Ea reconciliatione secuta, sublato et relaxato per Gnesnensem archiepiscopum Iacobum Swinkam interdicto, et Dux Henricus absolutus est, et divina officia [2]) in eius Principatu resumi coepta. Thomas denique Wratislaviensis episcopus beneficii et hospitalitatis a Kazimiro [3]) Duce Opoliensi exiliationis tempore sibi et clero suo praestitorum memor, ecclesiam collegiatam sub titulo Sancti Thomae Cantuariensis, in castro Rathiboriensi a Duce Kazimiro [4]) Opoliensi rogatus fundat, eamque decimis mensae episcopalis Wratislaviensis dotat: quae processu temporis ex arce in oppidum transvecta est, et plures praebendae largitione Ducum Rathiboriensium in ea circa translationem fundatae.

Thartari tempore hiemis durissimae in Poloniam irrumpunt atque dum Lestko Niger Dux in Hungariam discessisset, Cracoviensem oram versus Sandecz impune vastant et cum praeda ingenti abeunt, monasterio, in quo beata Kinga degebat, eius meritis illorum saevitiam non experiente.

Ferocissima et immanis gens Thartarorum, Pseudo-Mahomethi [5]) spurcissimos et detestabiles ritus professa, tam actione quam nomine Christiano nomini inimica, dum in sedibus suis fame et inedia vexaretur, in gravi multitudine in terras Polonorum, famen sedatura, ducibus Nogay et Thelebuga, processit. Et Ruthenorum quidem terris, per quas iter agebat, tributa illi iam tunc reddentibus, aliquantisper victualium receptione, ut famem excluderet, vexatis, primum in Lublinensem et Masoviae, expost in Sandomiriae, Siradiae et Cracoviae oras et terras, in locustarum numerum et morem pluribus agminibus dispartita, undecima Decembris die, quamvis fortissimis [6]) frigoribus et densissimis nivibus oras omnes Polonicas prementibus, pervenit. Et pluribus monasteriis, ecclesiis et munitionibus, in quas se homines abdiderant, conquisitis et incensis, a castro et civitate Sandomiriensi, in cuius conquisitione dies aliquot immorabantur, cum ignominia et strage repulsa est, militibus qui in praesidio erant, arcem et civitatem strenue protegentibus. A monasterio insuper Sanctae Crucis Calvi montis exercitus Thartaricus se continuit, neque illum locum, suadentibus Ruthenis, qui in eorum comitatu erant, violare, sed nec attingere, ultionem divinam, si secus facerent, non

---

[1]) clero Wratislaviensi *Cod. Rozr.* [2]) officia *deest in Cod. Aut.* [3]) Wladislao *Cod. Rozr.* [4]) Wladislao *Cod. Rozr.* [5]) Machmethi *Cod. Aut.* [7]) fortissimis et maximis *Cod. Rozr.*

evasuri, praesumpsit. Applicaverunt posthaec in vigilia Nativitatis Christi Cracoviam, et illam expugnare orsi, dum aliquot insignes pugnatores amisissent, magno ululatu edito ab ea discedunt et populationem ac spolium latius per vicos et rura, neminem credentes suae multitudini posse aut audere resistere, extendunt [1]). Potuisset Lestko Niger Cracoviensis Dux palantes per agros Thartaros aequo loco, visa opportunitate, invadere: sed et multitudo nivium, et militum imbecillis, fractusque animus, obstabant. Metu itaque nimio correptus [2]) et de viribus suis et militum suorum diffidens, in Hungariam secessionem cum coniuge Griphina et nonnullis baronibus fecit: propter quod Thartari, ex captivis Ducem Lestkonem in Hungariam secessisse docti, omnem Cracoviensis terrae oram versus Sandecz sitam, et usque ad Alpes Pannonicas licentius vastabant. Sub quo quidem tam miserabili tempore, felix Ducissa Kinga, Boleslai olim Cracoviensis Ducis vocati Pudici relicta, cum septuaginta sanctimonialium Sandecensium coetu, nec non et duabus germanis suis, Iolentha Boleslai Pii Calissiensis Ducis et Constantia Danielis Russiae Regis relictis, quae et ipsae sacram religionem et habitum induerant, multisque sacerdotibus et militibus, in castrum Pyenini, quod supra fluvium [3]) Dunayecz [4]) et prope oppidum Kroszczenko [5]) consistens, situm habet natura munitissimum et arte, uno tantum angusto transitu adibile, contulit se, et illic per tempus vastationis Thartaricae secura mansit. Ad quod licet Thartari cum exercitu applicuissent, non tamen illud audebant nedum impugnare, sed nec contingere, Divinitate illis immittente pavorem. Sed nec monasterium suum, quod deseruerat, fuit a barbaris aut incensum aut violatum, efferatam barbariem prece et merito felicis Ducissae Kingae restringente. Terris itaque nominatis, populo Christiano et pecore enormiter spoliatis, senibus, sacerdotibus trucidatis et lactantibus, tam ingentem hominum utriusque sexus, generis Polonici, praedam cepisse comperti sunt, ut praeda apud Wladimiriam [6]) partita, viginti unum millia de virginibus iuvenculis, nondum nuptis, fuere numerata. Ex quo uno magnitudo caeterorum virorum, feminarum et parvulorum in captivitatem abductorum, poterit, habita iustiori aestimatione, conferri [7]). Genus autem pugnae, quo Thartari in bellis utuntur, a caeteris nationibus diversum est. Pugnant siquidem eminus, in gyrum iaciendo sagittas in hostes, praecurrentibus equis aut terga dantibus. Saepe etiam fugam simulant, ut incaute persequentes aut vulneribus, aut oppressione circumveniant. Tympanis utuntur non tubis. Plerumque in ipso certaminis ardore praelia ideo deserunt, ut paullo post repetant, ut cum te maxime vicisse pu-

---

[1]) contendunt. *Cod Rozr.* [2]) Lestko Niger Dux correptus *Ed. Lips.* [3]) fluvium *deest in Cod. Aut.* [4]) Dunagyecz *Cod. Aut.* [5]) Krosczienko *Cod. Rozr.* [6]) civitatem Wladimiriensem *Ed. Lips.* [7]) censeri. *Cod. Rozr.*

tes, tunc tibi discrimen subeundum sit gravius. Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia. Praedarum, spoliorum et largitionum avidi, natura taciti, sed in externos aut in domesticos motus inquieti, in libidinem et crapulam, caeterasque voluptates proiecti; fides dicti promissique nulla, nisi quatenus expedit.

Zemomisl Wladislaviensis Dux, quod exteros suis praeponeret, in exilio obiit.

Zemomisl Cuyaviae alias Wladislaviensis Dux, filius Kazimiri Cuyaviensis, Lanciciensis et Siradiensis [1]) Ducis, annis duodecim exilium de Ducatu suo, quod Polonos odire, Almanos fovere et illos Polonis praeferre solitus erat, iura militarium temerare, haereditates eorum occupare et genus Polonicum eliminare de terra nitebatur, perferens, prima Octobris die mortuus, nullos liberos relinquens. Cuius Ducatus portio ad superstites fratres [2]) pervenit.

Honorius quartus Papa moritur.

Idibus Aprilis, Honorius Papa [3]) quartus, cum annis duobus sedisset et diebus aliquot, Romae apud Sanctam Sabinam moritur et in ecclesia Sancti Petri sepelitur. Inclusis autem pro electione alterius Cardinalibus, et septem ex eis propter temporis qualitatem calidam mortuis, caeteris qui supererant, in varia loca abeuntibus, substitutio Summi Pontificis [4]) in annum alterum fuit [5]) intermissa.

ANNUS DOMINI 1288.

Siradiensis palatinus iussu Lestkonis Nigri, Masovia impune pervastata, dum rediret, a Cunrado Masoviae Duce invasus occiditur, et multis captis, praeda recuperatur.

Furoris et indignationis facibus dudum contra Cunradum Masoviae Ducem, fratrem patruelem, Lestko Niger Cracoviensis, Sandomiriensis et Siradiensis Dux exaestuans, alteram in illum et terras suas expeditionem, dum

---

[1]) et Sandomiriensis *Ed. Lips.* [2]) ad possessionem fratrum superstitum *Ed. Lips.* [3]) Papa *deest in Cod. Aut.* [4]) Papae *Cod. Rozr.* [5]) erat *Ed. Lips.*

superior parum prospere cessisset, moliebatur. Verum Cracoviensibus et Sandomiriensibus militibus, quod et bello eodem iam perfuncti, et clade Thartarica plurimum vexati et extenuati erant, militiam huiusmodi detrectantibus, Lestko Niger Dux iras suas in Cunradum Masoviae Ducem satagens explere, palatinum Siradiensem Mathaeum et terrae Siradiensis tantummodo milites, qui minus vastationis a Thartaris pertulerant, contra Cunradum Masoviae Ducem destinat. Qui etsi Ducis sui Lestkonis Nigri iussa [1]) tam fideliter quam feliciter exequens, universam fere Masoviam spoliis et incendiis pervastasset, Cunrado Masoviae Duce vel ex industria, vel ex impotentia, incertum est, defensionem et repressionem negligente, et belli quod gerebat [2]), Mathaeum palatinum Siradiensem sinendo defungi fortuna, ad extremum tamen grandis periculi et infelicitatis discrimine Mathaeus Siradiensis palatinus et suus exercitus perculsus est. Masoviae siquidem terra vastata [3]), agmine ex praeda et pecore onusto et incomposito [4]) procedentem Cunradus Masoviae Dux et cum militum et agrestium, damna et incendia passorum, multitudine, opportunitatem bene gerendae rei multifarie investigans et explorans, per invia et abdita loca, quo facilius hostes falleret, sectabatur. In confinio tandem Masoviae Mathaeum praefatum palatinum Siradiensem et exercitum eius, stativa agentem, apud quem per crebros exploratores didicerat, omnia, ut fit, a re bene gesta, in negligentiam versa et soluta, secure et custodiis non provisum, quiescentem, in diluculo, Septimo Calendas Iulii, invadit, stratosque somno et fatiga milites repentina invasione adeo perterruit, ut pauci rationis et memoriae compotes, correptis armis, velut lymphantes et attoniti discurrerent, caeteri pavore perculsi fugam maturarent. Mathaeus palatinus Siradiensis, dux exercitus, cum paucis militibus, qui ad se confluxerant, constanter se certamini ingerens, multae probitatis signis editis, pugnans occiditur. Eadem et militum suorum erat fortuna. Cunradus Masoviae Dux, facili negotio Siradiensi exercitu fuso et debellato, et hostium castris, fortunis, armisque potitus est, et omnem praedam de terris suis abactam, nonnullis etiam Siradiensibus militibus captis, recuperavit.

Ducissa Masoviae Sophia genere Lithuana, consors Boleslai filii Semoviti Ducis Masoviae, femina rarae pietatis et devotionis in Deum, moritur et in Ploczensi ecclesia sepelitur.

---

[1]) mandata *Cod. Rozr.* [2]) gereret *Cod. Rozr.* [3]) pervastata *Cod. Rozr.* [4]) incomposito ordine *Cod. Rozr.*

Ex usu aquarum per Thartaros infectarum ingens pestis in Russia provenit.

Ingens pestis et mortalitas in plerisque Russiae terris invalescens, plurimos mortales in sexu utroque extinxit: quae non ex coelestium influentia, neque contagione aut aurae afflatu causata, sed ex aquis malignitate Thartarorum, quos Rutheni superiori anno in vastandis Polonorum regionibus adiuverant, seque illis [1]) associaverant, infectis, scita est iustissimo Dei iudicio provenisse, ut Rutheni sui pessimi obsequii Thartaris in debellationem Polonorum praestiti, condignam exciperent mercedem, pessimo genere exitii ab his conficiendi, quibus contra Catholicos, qui et ipsi Catholici aestimari volunt, praesidium tulerant. Thartari siquidem post partitam et in varias nationes venundatam ex captivis Polonis sexus permiscui praedam, terris Russiae excessuri, et Ruthenis clandestinam, dum apertem, prohibentibus suis Ducibus, nequirent, perniciem irrogaturi, undas eorum et flumina hoc modo inficiunt. Corda siquidem Christianorum [2]) Polonorum ex captivorum grege, quos pro sortilegiorum, divinationum, incantationum et auguriorum officiis, quibus gens illa magnopere dedita est, peragendis, plus quam centum numero occiderant, de cadaveribus occisorum extracta, fortissimis venenis inebriant et inficiunt, et tam in profluentes quam stagnantes aquas, verubus et lignis in longum porrectis [3]), ut diutius durarent, imposita, immergunt: a quibus aquae infectae adeo in Ruthenos, qui aquas illas quocumque usu contingebant, venenum et morbos vulgaverant, ut subito procumbentes, nullis antidotis profectum afferentibus relevati, occiderint. Sero tandem et plurimis per tabem in corpora ingestam consumptis, latens malum deprehensum est, et aquarum usus velut fatalis et pestifer a Ruthenis fastiditus.

Nicolaus quartus Papa eligitur.

Vicesima secunda Februarii die, Cardinales, qui ex infectione apud conclavim proveniente mortem evaserant, iterum conclave, viribus resumptis, pro eligendo Summo Pontifice ingressi, fratrem Hieronymum ordinis Minorum presbyterum Cardinalem, virum religiosum, et ab omni carnalitate in nepotes et consanguineos secretum, ex Marchia Anchonitana et civitate Extulo ortum, Nicolaum quartum appellatum in Papam eligunt. Qui illico ex Urbe se Re-

---

[1]) seque illis *deest in Cod. Aut.* [2]) Christianorum hominum *Cod. Rosr.* [3]) proiectis *Ed. Lips.*

atem contulit, et uno anno illic immoratus, Romam reversus apud [1]) Sanctam Mariam maiorem residentiam usque ad obitum egit.

Monasterium ex Bischovia in villam Smeysche, quae nunc Koronow dicitur, transfertur.

Quarto Calendas Maii, in die videlicet Sancti Vitalis Martyris, Wislaus Wladislaviensis episcopus, sub tempore et regimine Engelberti abbatis Bischoviensis [2]), transtulit monasterium Bischoviense de Bischovia [3]) loco primario suae fundationis, in locum et villam Smeysche [4]), quam appellari voluit Felicem vallem, quae hodie vocatur Koronow. Monasterium autem praefatum primum coepit in Hospitali villa [5]) supra Wislam, e regione civitatis antiquae Wladislaviensis, inde Bischoviam translatum. Ubi cum annis septuaginta durasset, in Koronow, velut locum cultiorem, plures commoditates ob fluvium Dbra [6]), qui praeterfluit [7]), habentem, transfertur.

Henricus Probus Wratislaviensis Dux ecclesiam collegiatam Sanctae Crucis in Wratislaviensi Summo erigit et liberaliter dotat.

Henricus quartus Wratislaviensis Dux, Divinitatem, quam conscientia meliori mente illustrata et discussa, deprehendit, exiliando Thomam episcopum et clerum Wratislaviensem, bonaque ecclesiastica tyrannice occupando, se vehementer offendisse, placaturus, collegiatam ecclesiam in Wratislaviensi Summo, sub Sanctae Crucis honore et titulo, aedificata pulcherrima et insigni ecclesia [8]), fundat et erigit, et certum praelatorum, canonicorum et vicariorum numerum [9]), qui iugiter laudes Deo concinerent et sacrificia offerrent, instituens, dotem unicuique munificam de villis et introitibus suis largitur et consignat. In crastino vero huius fundationis, fratres suos patrueles germanos, Henricum Legniczensem vocitatum Crassum et Boleslaum Swidniczensem, militari balteo accinxit. In eam insuper religionem praefatus Henricus quartus Wratislaviensis Dux [10]), sive praeteritae praevaricationis in Deum et ecclesiam recordatio et gehennae metus, sive orbitas id efficiebat, perductus est, ut civitatem Wratislaviensem cum suis suburbiis universis et appendiis [11])

---

[1]) ad *Ed. Lips.* [2]) Bissoviensis *Ed. Lips.* [3]) Bissovia *Ed. Lips.* [4]) Schmeisse *Ed. Lips.* [5]) in Hospitali in villa *Ed. Lips.* [6]) Obra *Cod. Rozr.* [7]) illum praeterfluit *Cod. Rozr.* [8]) pulcherrimam et insignem aedificat *Cod. Rozr.* [9]) numerum in eadem *Cod. Rozr.* [10]) Dux *deest in Cod. Aut.* [11]) et attinentiis *Cod. Rozr.*

ecclesiae et episcopatui Wratislaviensi perpetua et irrevocabili donatione decrevisset conferre, nisi Thomas Wratislaviensis episcopus donationem ipsam, veritus se civitatem processu dierum ab hostili invasione tueri non posse, patenter et expresse abnuisset.

ANNUS DOMINI 1289.

Lestko Niger Cracoviensis, Sandomiriensis et Siradiensis Dux moritur; post cuius mortem cum barones et milites Boleslaum Masoviae Ducem elegissent et in arcem Cracoviensem induxissent, cives tamen Cracovienses, Henrico Duce Wratislaviensi accersito, civitate ei tradita, in eligendo praevaluerunt.

Variis cladibus et bellis sub triennii spatio infeliciter gestis, caeterisque tam domesticis quam externis casibus, sub idem tempus accidentibus, Lestko Niger Cracoviensis, Sandomiriensis et Siradiensis Dux vexatus, gravi moerore [1]) et mentis angustia agi [2]) coepit adeo, ut sensim in viribus deflueret. Altiori deinde morbo et aegritudine correptus, ultima Septembris die, in castro Cracoviensi, sacro percepto viatico, animam exhalat, et in Sanctae Trinitatis monasterio ordinis Praedicatorum, in parte chori sinistra, quem locum vivens delegerat, iusto et ducali honore sepelitur. Post cuius mortem, quoniam non haeredem, non superstitem, non successorem, propter simultates dudum inter illum et barones ac militares exortas, reliquerat, bellicus illico stridor et civilis commotio inter Poloniae Principes ebullivit, dum Cracoviensis, Sandomiriensis, Lublinensis et Siradiensis Principatuum, qui caeteris in Poloniae Regno praestant, vacantem ex morte Lestkonis Nigri successionem sibi, alius potentia, alius opibus fretus, alius germanitatem, alius consanguinitatem, alius electionem, alius designationem, praetendens, destinat. Paulus interim episcopus Cracoviensis [3]) et barones, militaresque Principatuum, Cracoviensis, Sandomiriensis et Lublinensis (iam siquidem Siradiensis, sequestro [4]) a tribus caeteris facto, in Wladislai Loktek Cuyaviensis Ducis ditionem concesserat) de futuro Duce sibi provisuri, conventum apud Sandomiriam agunt, et Boleslaum Masoviae Ducem, fastidito germano suo Duce Cunrado, pro quo toties periculis se, cum proprio Duce Lestkone Nigro pugnando, addixerant, et cui identidem iureiurando se astrinxerant, mores illius perosi, et ne quid gravius Principatu adempto [5]), pro vastatione hostili suo Masoviae Ducatui irrogata, in eos consuleret, in Ducem deligunt et assumunt: quem pro ge-

[1]) moeroris *Cod. Rozr.* [2]) angi *Cod. Rozr.* [3]) Cracoviensis *deest in Cod. Aut.* [4]) Siradiensi sequestrato *Cod. Rozr.* [5]) adepto *Cod. Rozr.*

rendo Principatu honestis nuntiis a Masovia accersitum, in Cracoviam deducunt, et tam arcis quam civitatis Cracoviensis sibi assignant possessionem. Boleslai Masoviae Ducis electionem et substitutionem per Paulum episcopum et barones, militaresque Cracovienses et Sandomirienses factam, cives Cracovienses velut sibi perniciosam, ne, baronibus suadentibus, Boleslaus novus Princeps in eos pro Cunradi fratris sui repulsa animadverteret, irritaturi, Henricum quartum Wratislaviensem Ducem in Cracoviam accersunt, spondentes se illi et arcem et urbem Cracoviensem, caeterasque munitiones conquisituros: qui confestim congesto exercitu, versus Cracoviam ire pergit. Advenienti vero eo, Cracoviensis civitas per cives, carnificum maxime opera, qui tunc inter caeteros mechanicos praestabant, portis patefactis, quas Boleslaus Masoviae Dux [1]) occluserat, tradita est. Boleslaus Masoviae Dux ex castro Cracoviensi prorumpens, ad Cracoviensium et Sandomiriensium militum castra, ad faciendum [2]) Duci Henrico quarto Wratislaviensi resistentiam, se recepit; sed nec [3]) illic perseverandum duxit [4]), verum altera die, militibus acies instruentibus, et ne se desereret, summopere precantibus, operamque suam pro repulsione Henrici quarti Wratislaviensis Ducis pollicentibus, furore et indignatione plenus, quod se non ad Principatum, sed ad bellum, cuius incertus eventus foret, accersissent, discedit. Cuius discessu barones et militares Cracovienses et Sandomirienses perculsi, ad Henricum quartum Wratislaviensem Ducem Cracoviae consistentem, cui etiam arcem Cracoviensem, Boleslao Duce Masoviae recedente, a Sulkone milite de Myedzirzecz, a Boleslao Masoviae Duce [5]) commissam didicerant consignatam, insignes nuntios mittunt, certasque illi, si apud ipsos principari velit, proponunt conditiones. Quibus ab Henrico quarto Wratislaviensi Duce (nihil enim praeter aequum continebant) approbatis, universorum pari consilio, voto et consensu Henricus quartus Wratislaviensis Dux in Cracoviensem, Sandomiriensem et Lublinensem Principem delectus est et assumptus, qui rebus apud Cracoviam compositis, Wratislaviam revertitur.

Fundatio monasterii ordinis Praedicatorum in Tschozow alias Derschow.

Octava Maii, Msczugius tunc Pomeraniae Dux pro die illa agens in castro suo Szwyeczye [6]), de consensu Wislai episcopi Wladislaviensis, in titu-

---

[1]) Dux *deest in Cod. Aut.* [2]) ad Cracovienses et Sandomirienses milites, facturus *Ed. Lips.* [3]) se recepit, et in castro Sandomiriensi parvo tempore commoratus, non *Cod. Rozr.* [4]) diutius ducens *Cod. Rozr.* [5]) Duce *deest in Cod. Aut.* [6]) in civitate sua Swieczie *Ed. Lips.*

lum et honorem gloriosissimae Virginis Mariae, fundat monasterium ordinis Praedicatorum in Tschczow alias in Derschow [1]), donans monasterio et fratribus monasterii praefati aream [2]) et inhabitationem a pede montis prope Wislam [3]) siti versus orientem, usque ad cimiterium parochiale versus occidentem; a meridie autem a platea civitatis, quae a foro directo tendit versus Wislam, usque ad aggerem inter duo fossata positum inter aquilonem; dans [4]) eis potestatem et licentiam in universo Principatu suo ligna, lapides, cementum recipiendi et scidendi et comburendi, in [5]) Wisla et in rivulis, fluviis et torrentibus et quibuslibet aquis circum civitatem Tschczow fluentibus liberam piscaturam, item per Wislam naulum et transitum liberum absque omni thelonei et nauli solutione.

Kazimirus Opoliensis et Bithomiensis Dux non sine iniuria Regni Poloniae et sui ignominia Bohemiae Duci se subiicit.

Quam pluribus largitionibus, donis et promissis, Kazimirus Opoliensis et Bithomiensis Dux, Wladislai quondam Opoliensis Ducis filius, a Wenceslao Bohemiae Duce pellectus, stirpis suae regiae et prosapiae nobilissimae, quam a Regibus Polonorum ducebat, oblitus, non bello victus, non irruptionibus hostilibus fractus, non denique aliqua probabili aut evidenti necessitate prostratus, sed temerariam et avaram secutus mentem, dominio et ditioni praefati Wenceslai Ducis Bohemiae (necdum enim in Regem [6]) evectus erat) se subiicit, se illius et Bohemiae Regni, non in sui solum, sed et stirpis suae et Ducum Poloniae dedecus, Regnique Poloniae enormem iniuriam atque offensam, vasallum et subiectum professus.

Vitricum suum Zawissium Bohemiae Dux minus verae fraudis insimulatum captivat et obtruncat.

Vitricum suum Zawissium de Roszemberk [7]), matris videlicet suae Kunegundis maritum, multorum Bohemorum simultate et invidia, partim iusta partim ficta, Wenceslaus Bohemiae Dux apud se insimulatum perosus, etiam illum de capitaneatu Bohemiae, in quem illum evexerat, deiicit. Qui noviter editi a se de filia Wladislai Hungariae Regis, quam nonnulli monialem pro-

[1]) Thsczow sive Derschaw *Ed. Lips.* [2]) arcem *Ed. Lips.* [3]) prope fluvium Wisla *Cod. Rozr.* [4]) dans insuper *Cod. Rozr.* [5]) nec non *Cod. Rozr.* [6]) Regnum *Ed. Lips.* [7]) Rozemberg *Cod. Rozr.*

fessam fuisse astruunt, et quam secundo matrimonio duxerat, filii solennitatem baptismalium acturus, WenceslaumDucem Bohemiae ad illam, simulque socerum suum Wladislaum Hungariae Regem, et Henricum quartum Wratislaviensem Ducem invitat. Verum antéquam solennitas huiusmodi advenisset, Wenceslaus Bohemiae Dux Zawissium de Roszemberk, quasi cum Wladislao Hungariae Rege socero suo et Henrico Wratislaviensi Duce in suum interitum, in baptismalibus futuris efficiendum, conspirasset, captivat, et biennio in Pragensi castro vinculis et carcere excruciatum, ante castrum suum Friburg, ut de illo Wenceslao Duci cederet, perductum, renitentem, capite truncavit.

Lithuani Szambiensem oram spoliant.

Lithuanorum Dux et exercitus in numero octo millium hominum Szambiensem [1]) regionem ingressus, caedibus, flammis et spoliis eam vastavit. Cruciferis autem decernere [2]) cum hostium multitudine non audentibus, exercitus Lithuanicus spoliis onustus in propria rediit, quinquaginta tamen de suis desideratis, qui per Cruciferos fuerant intercepti.

Ploczensis et Chelmensis episcopi, qui de finibus suorum episcopatuum frequenter concertabant, per Wladislaviensem episcopum pacificantur.

Diuturna concertatio, quae inter Ploczensem et Chelmensem episcopatus et eorum pontifices super finibus diocesum agebatur, per medium Wislai [3]) Wladislaviensis episcopi et Fratris Meinkonis de Querdinworth Magistri Prussiae generalis, Octavo Idus Decembris intercepta et extincta est. Thomas siquidem tunc Ploczensis episcopus ex sententia praedictorum arbitrorum, parti diocesis suae, possessionibusque et decimis, quam et quas in terra obtinebat Culmensi [4]), cedens, a Wernero Culmensi episcopo pro compensatione et vicissitudine villam Orszechow cum mensuris episcopalibus et iure patronatus, item tricentos mansos in terra Lubawiae suae diocesi Ploczensi contiguae, nondum tunc cultos recipit, ex quibus temporis processu villae locatae sunt Ploczcensis ecclesiae servientes ditioni [5]).

---

[1]) Sambiensem *Ed. Lips.* [2]) decertare *Ed. Lips.* [3]) Volmiri *Ed. Lips.* [4]) Chelmensi *Ed. Lips.* [5]) *Res haec in Codd. Roer. Lis. et Ed. Lips. ad annum 1269 erronee est apposita.*

ANNUS DOMINI 1290.

Wladislaus Loktek Cuyaviae Dux, aegre ferens successionem sibi ab Henrico Wratislaviensi Duce in Principatus fraternos praereptam, exercitu collecto, dum milites Henrici fudisset, victor pro Principe a Cracoviensibus suscipitur; brevi vero a copiis Henrici latenter Cracoviam per quosdam cives intromissis, Principatus pro Henrico recuperatur, Wladislao in habitu monachali salvo vix aufugiente.

Oppressum per substitutionem Henrici quarti Wratislaviensis Ducis in Cracoviensem et Sandomiriensem Ducatus, et Boleslai Masoviae Ducis cessionem, civile bellum rursum erupit, per Wladislaum Loktek Cuyaviensem Ducem, et qui iam Siradiensem Ducatum obtinebat, reintegratum. Qui graviter et irato animo ferens, Lestkonis germani sui Ducatus, se, qui et germanus et propinquior censeri debebat, praeterito, per Henricum quartum Wratislaviensem Ducem occupatos, omnibus viribus, omnibusque conatibus ad consequendum illos, et ad excludendum Henricum quartum de Cracoviensi sede operam intendit: ad quod non solum suapte, quoniam [1]) natura ferox, manu et lingua promptus erat, sed omnium Masoviae, Lanciciae et Maioris Poloniae, item Pomeraniae Ducum solatia sua illi ad rem pollicentium movebatur. Primo itaque vere, ex propriis et acquisitis terris congesto exercitu, Kazimiro Lanciciae, Boleslao et Cunrado Masoviae, Ducibus [2]) in personis propriis, Przemislao vero Maioris Poloniae et Msczugio Pomeraniae, Principibus [3]) per milites illi solatia [4]) ferentibus, versus Cracoviam, praesidium Henrici quarti deiecturus, contendit. De hac hostilitate Henricus quartus Wratislaviensis Dux [5]) et nuntiis Cracoviensium, et rumore certior factus, nequiens propter valetudinem, qua iam corripiebatur, belli impendentis munus obire, Henricum Legniczensem, Premislaum [6]) Sprotaviensem, Duces cum suarum gentium copiis ad Cracoviam tuendam transmittit. Quos, rebus apud Cracoviam bene ordinatis, relictisque nonnullis militibus, qui cives et populares in fide continerent, in Slesiam revertentes Wladislaus Loktek Cuyaviensis Dux, cum caeteris Ducibus, circa oppidum Schyewyor [7]) stativa agentes invadit, illis quoque in arma ruentibus, atrox praelium inter fratres et milites, Quarto Calendarum Martii, committitur. Et post multam stragem utrinque provenien-

---

[1]) qui *Cod. Rozr.* [2]) Ducibus *deest in Cod. Aut.* [3]) Principibus *deest in Cod. Aut.* [4]) auxilia *Cod. Rozr.* [5]) Dux *deest in Cod. Aut.* [6]) Przemislaum *Ed. Lips.* [7]) Sziewior *Cod. Rozr.*

tem, Wladislao Loktek et his, qui illum comitabantur, cessit, licet non incruenta, victoria, plurimis Slesianorum militum caesis, aut in fuga captis. In eo praelio Premislaus [1]) Sprotaviensis Dux, filius Cunradi Ducis Glogoviensis, vix adolescentiam pertingens, occiditur, et in Slesiam relatus, in monasterio Lubensi, cui ad id, in quo concidit, bellum iturus, duas villas, videlicet Lyoszoszkowicze [2]) et Zirkow testamento donaverat, sepelitur. Boleslaus Opoliensis Dux capitur vulneratus. Duo quoque certamina, alterum apud Skalam, alterum apud Swetnicz, per milites edita, duas quoque strages in Slesiae militibus effecerant, Wladislaus Loktek Cuyaviensis Dux victoria et spoliis hostium potitus, maiori spe et fiducia potiundi Cracoviensis et Sandomiriensis Principatus, ex Schyewyor [3]) Cracoviam divertit; cui velut victori, et tam Pauli episcopi, quam baronum et militarium Cracoviensium adhaerentiam sortito, Cracovienses cives adversari non ausi, portas aperiunt, et tam arce, quam urbe Cracoviensi susceptus, Princepsque Cracoviensium declaratus, in castro Cracoviensi consedit, baronibus et militaribus magis, quam civibus Cracoviensibus, propensiori illum colentibus fide et devotione. Nihil sua et suorum clade, quam apud Schyewyor [4]) pertulerat, Henricus Wratislaviensis Dux perfractus, novas copias Cracoviam, spem deditionis haud ambiguam nonnullis civibus Cracoviensibus afferentibus, sub Henrici Ducis Legniczensis ductu [5]), cum solus adversa valetudine detineretur, transmittit. Exercitus itaque Ducis Wratislaviensis Henrici latenter Cracoviam adveniens, a civibus Cracoviensibus partes Henrici Ducis [6]) Wratislaviensis sectantibus, nocte in urbem exceptus, parum abfuit, ut Wladislaum Loktek inter praesidia militum in civitate obversantem, vivum non caperet. Qui cum nonnullis militibus, pedester hostium manus, quorum ingressum [7]) tardius persenserat, in fratrum Minorum Sancti Francisci habitu, illum per murum suo coenobio coniunctum, demittentium, aegre effugit. Plures tamen sui milites dum resistunt, repugnantque, aut caesi a Slesitis sunt aut capti. Sed neque Paulo episcopo Cracoviensi parsum, qui et ipse velut praecipuus Henrici Wratislaviensis Ducis adversarius, rebus omnibus exutus, captivis addictus [8]), et aliquanto tempore velut captivus habitus est, captivitatis calamitatem tertia iam vice expertus. In bona deinde rebellium militum, et qui Wladislao Loktek Duci Cuyaviensi se addixerant, aut qui in ditionem Henrici Wratislaviensis Ducis detractabant concedere, per Slesiae et Henrici Wratislaviensis Ducis milites [9]) animadversum est; et agri eorum pervastati, et curiae eorum aedesque incen-

---

[1]) Przemislaus *Ed. Lips.* [2]) Liossoskowicze *Cod. Rozr.* [3]) Sziewior *Cod. Rozr.* [4]) Sziewior *Cod. Rozr.* [5]) ducatu *Cod. Aut.* [6]) Ducis *deest in Cod. Aut.* [7]) adventum *Ed. Lips.* [8]) captus et abductus *Cod. Rozr.* [9]) milites et exercitum *Cod. Rozr.*

sae. Quibus malis militares attriti [1]), Henrico Duci [2]) Wratislaviensi se rursus subiiciunt, qui episcopum Cracoviensem Paulum et omnes milites captos relaxans, praesidium forte militum in Cracovia iussit consistere, quod et Wladislaum Loktek Ducem Cuyaviensem ab invasione arceret, et desciscendi a se occasionem militibus praecideret. Fratribus Minoribus, qui Wladislaum Loktek et suos nonnullos milites servaverant, peracto bello, gratiae habitae, eorumque coenobio tam largitiones, quam immunitates ducales concessae.

Henricus quartus Probus moritur, Ducatibus Wratislaviensi Cunrado Glogoviensi, Cracoviensi vero et Sandomiriensi Przemislao Maioris Poloniae Ducibus legatis; Wratislavienses tandem Cunradum Ducem perosi, Henrico Legniczensi Duci se subiiciunt.

Valetudinem adversam ex veneno sibi per suos Slesitas subministrato, a qua plus quam semestri detinebatur spatio, Henricus quartus Probus alias Pius Dux Wratislaviensis intelligens sensim invalescere, et vim veneni augeri et diffundi, Thoma Wratislaviensi episcopo et primoribus baronibus accersitis, cum nullum superstitem relinqueret, Wratislaviensem Ducatum patruo suo Cunrado Glogoviensi, Cracoviensem vero et Sandomiriensem Przemislao Maioris Poloniae, Ducibus testamentali ordinatione consignat. Caeteras res suas partim ecclesiis, partim consorti suae Mechtildi [3]), partim miserabilibus personis partitus, Undecimo Calendas Augusti in castro Wratislaviensi decedit, et in ecclesia Sanctae Crucis a se noviter erecta et dotata sepelitur. Post cuius obitum Cunradus Glogoviensis Dux, cum se ab Henrico quarto haeredem et in Wratislaviensem Ducatum successorem nosset declaratum, Wratislaviam advenit, sperans se Wratislaviensem Ducatum pacifice et absque competitore possessurum. Principatum autem illius nonnullis tam militaribus, quam civibus Wratislaviensibus magnopere, quod et in guerras bellaque et dissensiones proclivus, et in sermone parum verax foret, fastidientibus, quibusdam vero approbantibus, re ex altercationibus et iurgiis iam in seditionem spectante, Henricus Legniczensis Dux [4]), filius Boleslai Saevi Rogatczae [5]), moribus et virtute inter Slesiae Principes spectatior, per maiorem et saniorem militarium et civium Wratislaviensium partem accersitus advenit, et Cunradum Glogoviensem Ducem [6]) patruum germanum, in Wratislaviensis Ducatus possessione aliquanto tempore haerentem [7]) ex Wratislavia discedere

[1]) attoniti *Cod. Rozr.* [2]) Duci *deest in Cod. Aut.* [3]) Methildi *Cod. Rozr.* [4]) Dux *deest in Cod. Aut.* [5]) Rogatka *Cod. Rozr.* [6]) Ducem *deest in Cod. Aut.* [7]) permanentem *Cod. Rozr.*

coëgit. Veritus siquidem Cunradus Dux Glogoviensis, ne ab Henrico Duce [1]) Legniczensi vinciretur, per unam portam Wratislaviensem civitatem [2]) egreditur, dum per alteram Henricus Legniczensis Dux [3]), militaribus et civibus in obvium illi effusis, ingrederetur. Militari itaque et civili favore Henricus Legniczensis Dux [4]) in Wratislaviensem Ducatum succedens, plenam et pacificam illius obtinuit aliquanto, non tamen diuturno tempore, propter insidias, quas illi pro deiectione sua Cunradus Glogoviensis Dux molitus est, possessionem. Ducatus Cracoviensis a Przemislao Maioris Poloniae, cedentibus sibi de illo Henrici quarti Wratislaviensis qui in praesidio erant militibus, obtentus; Sandomiriensem vero, Wladislao Loktek Cuyaviensi Duce illum favore Sandomiriensium militum praeocupante, consequi non valuit.

Relicta Henrici quarti, Mechtildis [5]) ad patrem suum Ottonem Longum ex Wratislavia, solutione dotis habita, divertens, et in viduitate Domino serviens, mortua [6]) in monasterio Leninensi sepelitur.

Andreas Dux Hungariae Regis Wladislai fugiens insidias, primum ad Kunegundim materteram suam in Sandeczensi monasterio ordinem professam divertit; postea vero bonis Chroberz provisus, ibidem ab Hungaris per fratrem corruptis submergitur: quem etsi Kunegundis potuit, monita tamen divinitus, tres ob causas distulit vivificare.

Germanum fratrem Andream ducali tantummodo nomine in eam diem contentum, Wladislaus Hungariae Rex de Regni ambitu habens delatum et suspectum, cum et ingens in se propter execranda facinora primorum Hungariae odium, et in Andream fratrem, ipsum ad succedendum, fratre depulso aut capto, in Regnum, notorius favor, suspicioni delationique fidem faceret, ad occidendum illum carnifices clandestine subornat [7]). Quo periculo Andreas cognito, cum non reperiret Hungariae locum, in quo securus a fraternis insidiis consisteret, paucis [8]) consciis, ad Poloniam contendit. Et primum ad materteram suam Kunegundim Cracoviensem Ducissam, in monasterio sanctimonialium in Sandecz antiqua consistentem, pervenit, a qua per signa in corpore demonstrata recognitus, causis itineris et fugae expositis, benigne diebus pluribus habitus est; qua etiam intercedente, mansio illi per Przemislaum Cracoviensem et Maioris Poloniae Ducem apud curiam ducalem [9]) Chroberz, consignatis introitibus aliis, qui suae conditioni suppeterent, concessa

---

[1]) Duce *deest in Cod. Aut.* [2]) Wratislaviensi civitate *Cod. Rozr.* [3]) Dux *deest in Cod. Aut.* [4]) Dux *deest in Cod. Aut.* [5]) Methildis *Cod. Rozr.* [6]) moritur et *Ed. Lips.* [7]) destinat et subornat *Cod. Rozr.* [8]) cum paucis *Cod. Rozr.* [9]) regalem *Cod. Rozr.*

est. Verum quo vitam tutatum servatumque venerat, illic illi [1]) brevi erepta est. Nonnulli siquidem Hungari a Wladislao Hungariae Rege corrupti et immissi, ad Andream Ducem in Chroberz, quasi sui fidissimi, per Wladislaum Regem Hungariae, nisi aufugissent, ultimo supplicio propter favorem in Andream depromptum se simulantes plectendos, perveniunt. Qui charissimo affectu ab Andrea Duce, velut compatientes et unanimes, licet pectus proditione [2]) refertum gestarent, tractati, viso opportuno tempore, Ducem Andream comprehensum in flumine Nida, qui villam Chroberz circumfluit, nihil praesentem et hospitalem veriti Deum, submergunt, scelereque huiusmodi patrato, antequam vulgaretur, Hungariam, carnificii sui meritum ab Hungariae Rege Wladislao, cuius mandato illud egerant, percepturi, diffugiunt. Corpus Andreae Ducis a nautis in flumine [3]) repertum, primum apud monasterium fratrum Minorum in Korczin, post paucos vero dies, providente devotissima femina Kunegundi Cracoviensi Ducissa sua matertera, ad monasterium Sandeczense decima octava Novembris die deductum est. Pro cuius a morte resuscitatione sanctimonialium importunis precibus devicta ferventissima orationis supplicatione [4]) in privato oratorio instante, tres moniales variis et vicariis exauditis vocibus, videlicet Gertrudis, Aldegundis et Grzimislawa, ad oratorium praedictum, in quo et corpus praefati Andreae Ducis iacebat exanime, accurrunt. Et videntes feminam beatam Kunegundim splendore illustratam coelesti, etiam illam cum quibusdam personis, quarum neque essentiam, neque personam videre poterant, colloquentem, quaerentem quoque et responsa accipientem, percipiunt. Vident et in corpore Andreae Ducis filii Stephani Hungariae Regis, pridem undis apud Chroberz suffocati, vivificationis et resurrectionis signa: ad quod benedicta [5]) femina Kunegundis Cracoviensis Ducissa accedens [6]), et pedes illius tangens, surgere illud prohibuit. Quiesce, quiesce, inquit, quoniam ita clementissimo tuo et meo Salvatori beneplacitum est et tuae salvationi congruum, in pace. Et illico signis vitae ad imperiosa verba evanescentibus, funeri sua et mortis signa reddita sunt, corpusque sepulchro mandatum. Cum autem femina benedicta Kunegundis per religiosas et devotas sui ordinis sorores, cur mortuum corpus nepotis sui Ducis Andreae resurgere non sinisset, quaereretur, silentio multifariis vicibus quaestionem absolvit. A sororibus autem identidem vexata, rupto silentio, quaerentium molestias evasura, tres fuisse causas divinitus sibi revelatas, propter quas mortui Andreae Ducis cadaver ad preces suas vivificatum non exstitit, edixit. Unam, quod mors illi salubris, et nullo peccato mortali pro ea vice ir-

---

[1]) illic ibi ei *Cod. Rozr.* [2]) proditionis *Cod. Aut.* [3]) in flumine Nida *Cod. Rozr.* [4]) supplicationis oratione *Ed. Lips.* [5]) beata *Ed. Lips.* [6]) cum religiosis et devotis sororibus accedens *Cod. Rozr.*

retito, acciderat: cui si vita donaretur, plerisque scitus erat inquinandus sceleribus. Secundam, quia multus Christianorum sanguis sui occasione veniebat fundendus. Tertiam, quod vivificatio illius in vulgarem gloriam apud Polonici et Hungarici generis populares homines, quae meritum praeteritorum feminae benedictae operum mutilasset, verteretur.

Msczugius Pomeraniae Dux Przemislaum secundum Poloniae Ducem successorem designat.

Videns Msczugius [1]) Pomeraniae Dux se filiis et filiabus orbum esse (vixerat enim incontinenter et lubrice, fovendo pro concubina sponsam Christi sanctimonialem de coenobio [2]) Stolpiczensi Sulkam nomine), Przemislaum secundum Maioris Poloniae Ducem, propter identitatem et propinquitatem sanguinis, sibi designat successorem [3]), et ei de Principatu Pomeraniae cedit. Cui milites Pomeraniae [4]), iubente Msczugio [5]), fidelitatis et homagii praestiterunt iuramentă.

ANNUS DOMINI 1291.

Donatione illicita et iniusta Griphinae Ducissae olim Lestkonis Nigri relictae, et cessione Przemislai Maioris Poloniae Ducis odio Wladislai Loktek facta, Ducatus Cracoviensis in potestatem Wenceslai Bohemiae Ducis venit; cuius exercitus aspirans ad Ducatum Sandomiriensem, dum oppidum Wisliciense deditione, castrum vero Oblekom expugnatione cepisset, a Sandomiriensi castro turpiter per Loktek repulsus, in Bohemiam redire, praesidio Cracoviae imposito, cogitur; et Wladislaus Loktek omnia per Bohemos acquisita praeter Cracoviam recuperat.

Funesto Marte, per funestas concertationes et praelia inter propinquos et cognatos Polonorum Duces gesta, apud Cracoviensem et Sandomiriensem Ducatus, et pro illorum consecutione et ambitu, ferociter detonante, cum Wladislaus Loktek Cuyaviensis Dux, cui iam Sandomiriam et Siradiam obtinenti, sola Cracovia deerat, a Przemislao Maioris Poloniae Duce occupata, multifarie Przemislaum praefatum Maioris Poloniae Ducem pro illius cessione, armis et bello lacessitum iri contenderet, ampliori quoque Ducatibus ipsis perni-

---

[1]) Msczugius Swantopelci filius *Cod. Rozr.* [2]) monasterio *Cod. Rozr.* [3]) haeredem et successorem *Cod. Rozr.* [4]) universi Principatus praedicti Pomeraniae *Cod. Rozr.* [5]) Duce eorum Msczugio *Cod. Rozr.*

cies accesit. Ducissa namque Griphina Lestkonis Nigri Cracoviensis et Sandomiriensis [1]) Ducis relicta, sive eiectionem et expulsionem de dotalitii sui bonis, si Wladislaus Loktek Cuyaviensis Dux consequeretur Principatus, verita, sive guerris intestinis, quae post mortem mariti intumescebunt, et damnis ex illorum continuatione provenientibus, afflicta, ad Wenceslaum Bohemiae Ducem, nepotem suum ex sorore sua germana Kunegunde genitum, nuntios mittit, donans illi donatione perpetua, ex auctoritate, quam in se per Lestkonem Nigrum maritum olim suum, literis etiam publicis attestantibus, astruebat transfusam, Cracoviensem et Sandomiriensem Ducatus, et rogans, ut vel per se veniat, vel gentes suas mittat, ad capessendum Ducatuum praefatorum, antequam ab aliis iniustis dominis occupentur, possessionem. Ludibrio et cachinno alius hanc donationem excepisset, cum monstro persimile foret, matronam Bulgariae ortam, Polonorum Principatus donandi et conferendi potestatem nactam esse, quam false sibi a Lestkone Nigro Duce viro suo ementiebatur, literis, si quae extabant, vitiatis et praeter mariti voluntatem falso signatis, attributam, quamvis nec Lestko Niger Dux praefatus, orbus ipse, et ad principandum in Cracoviensi et Sandomiriensi Ducatibus accitus, poterat in fratrum suorum germanorum et caeterorum Poloniae Ducum, stricta illum affinitate contingentium, praeiudicium, Griphinae Ducissae huiusmodi facultatem contulisse. Wenceslaus tamen Bohemiae Dux, qui ad occupandum Polonorum Principatus vehementer flagrabat, et qui anno superiori suum consobrinum, fratremque Nicolaum, de Oppaviensi Ducatu per iniuriam eiecerat, tenuissima hac occasione, quasi iure iusto et legitimo pellectus, temerariam materterae suae Griphinae Lestkonis relictae, caduco et labili et plusquam arundineo fundamento innixam, acceptat de Cracoviensi et Sandomiriensi Ducatibus donationem, et Thobiam Pragensem episcopum cum exercitu Cracoviam destinat. Poterat Przemislaus Maioris Poloniae Dux, in cuius ditione Cracovia consistebat, Thobiam episcopum Pragensem et exercitum Bohemicum a Cracoviensi arce, urbe et Ducatu excludere, copiis et milite et omni apparatu bellico Bohemis superior et instructior: livore tamen, quo in Wladislaum Loktek Cuyaviae Ducem agebatur, ne Cracoviensis illi ad reliquos, quos obtinebat, Principatus accederet, perustus, Thobiae Pragensi episcopo de arce et urbe atque Cracoviensi Ducatu cedit, et illius sibi, Griphina Ducissa Lestkonis relicta, et nonnullis militibus et civibus Cracoviensibus, Wladislao Cuyaviae Duci infestis, procurantibus et faventibus, tradit possessionem. Cracoviensi autem arce et urbe in possessionem recepta, pro consequendo Sandomiriensi Ducatu Bohemicus exercitus versus Sandomiriam, militibus aliquibus Cracoviensibus auctus, progressus, Visliciam oppidum, natura et situ, flumine

[1]) Sandomiriensis et Siradiensis *Cod. Rozr.*

insuper Nida longo et porrecto ambitu circumquaque oppidum [1]) stagnante, forte, deditione capit; castrum insuper Oblekom prope fluenta Wislae situm, in quo praesidium Polonicum habebatur, expugnat. A Sandomiriensi vero castro et oppido per Wladislaum Loktek Ducem Cuyaviensem et eius milites, dum illud expugnare, deditione non proveniente, contendit, turpi repulsa et ignominiosa strage [2]), plurimis Bohemis militibus partim desideratis, partim vulneratis et captis, discedens in Cracoviam et deinde in Bohemiam, praesidio militum Bohemiae in castro et civitate Cracoviensi relicto, redit, Griphinam etiam Ducissam Lestkonis relictam, ne quo pacto donatio de Ducatibus Cracoviensi et Sandomiriensi Wenceslao Bohemiae Duci per eam facta, ad irritum recideret, secum ducens: quae apud Bohemos Pragae annis aliquot contemptui et ludibrio habita, tandem moritur et in monasterio Minorum Sancti Iacobi, iuxta sororem suam Kunegundim, matrem Wenceslai Bohemiae Ducis, sepelitur. Ex eo tandem tempore Wenceslaus praefatus Bohemiae Dux se Ducem Cracoviensem et Sandomiriensem gessit et titulavit. Exercitu Bohemico et eius ductore Thobia Pragensi episcopo ex Cracoviensi ora discedente, continuo Wladislaus Loktek Cuyaviae Dux armis et potentia adeo in Bohemos superior evasit, ut et praesidium Bohemicum de Visliciensi oppido expelleret, et Visliciensi oppido in suam ditionem redacto, caeteras a Bohemis possessas munitiones et praesidia everteret, expugnaretque, et usque ad Cracoviensis civitatis suburbia cuncta aut vastaret, aut suis cogeret servire tributis. Propter quod militibus et civibus Cracoviensibus querelis de sua oppressione Wenceslaum Bohemiae Ducem fatigantibus, Thobias Pragensis episcopus cum novo exercitu Poloniam ad Cracoviensem Ducatum transmittitur, solatium [3]) gravatis pace per treugam composita, aut defensionem laturus. Sed Wladislao Loktek Cuyaviensi Duce omnem compositionem et sufferentiam aspernante, et continuas in rebelles et Bohemos apud Cracoviam agentes, excursiones edente et congressus, Thobias episcopus Pragensis re infecta Pragam regreditur [4]), denuntians Wladislai Loktek Cuyaviensis Ducis potentiam insolentem et fortem, cui a se resisti non posset, et ad illius oppressionem domationemque fortioribus copiis, quam quae sibi mandatae fuerant, opus fore.

Radolphus Romanorum Rex moritur: cui Adulfus Comes de Anaxone succedit.

Sextadecima mensis Iulii die Radolphus [5]) Romanorum Rex aegritudine

---

[1]) illud *Cod. Rozr.* [2]) et ignominia strageque *Ed. Lips.* [3]) auxilium *Cod. Rozr.* [4]) revertitur *Cod. Rozr.* [5]) Rudolphus *Cod. Rozr.*

et senio gravatus, imperiali benedictione non habita, Erfordiae moritur, et in Spiram civitatem Alsaciae deductus, propter strenuitatem in sepulchris Imperatorum condigno honore sepelitur. Qui quamvis Comes de Anusberk [1]), tenuis et modicae substantiae fuerit, ex sua tamen probitate Regnum Almaniae in magna pace annis decem et septem, recuperatis etiam nonnullis terris ab Imperio alienatis, possedit. Electores Imperii tam ecclesiastici quam laici [2]), conventu celebrato, Adulfum [3]) Comitem de Anaxone [4]), virum strenuum in armis, sed in potentia debilem, eligunt in Imperatorem. Paucos siquidem habebat introitus, et parum in parentela radicatus; in corde tamen fuit magnificus et virtute plenus: qui respectus electores Imperii ad eligendum eum pertraxerat.

Cunradus Glogoviensis Dux clandestinis incursionibus Ducatum Legniczensem affligit et cum germano Henrici Legniczensis Ducis conspirat; postea tamen germani secum paciscuntur et infesti Cunrado redduntur.

Deiectione sua a Wratislaviensi Principatu Cunradus Glogoviensis Dux per Henricum quintum Legniczensem Ducem irrogata, cuius sibi fuerat ab Henrico quarto vocato Probo Wratislaviensi Duce in extremis agente, successio demandata, gravi exacerbatus irritatione, consternatusque, omnes cogitatus suos conatusque ad guerram et hostilitatem Henrico quinto Wratislaviensi et Legniczensi Duci opportune [5]) inferendam, intendit. Quam propalam et vi aperta, quod Henricus tam opibus quam gentibus excelleret, perficere desperans, versutiis et dolis agendum duxit. Nam et Ducatus Wratislaviensem et Legniczensem per nocturnas, clandestinasque excursiones, praedationes, captivationes et incendia plurimum et multifarie vexavit, afflixitque, et cum Boleslao Swidniczensi Duce [6]) Henrici quinti germano, qui et ipse iniquo erat in Henricum fratrem, felicitati illius magnopere invidens, animo, occultis conglutinatus foederibus, captivitatem aut necem Henrico quinto moliebatur. Conspirasse fratrem suum Boleslaum Swidniczensem Ducem adversum se in suam perniciem ignorans Henricus [7]), ferri sibi praesidium et se ab illo tam armis quam consiliis contra Cunradum Glogoviensem Ducem iuvari et defendi, crebris nuntiis, precibusque optat, facilius mutuo et fraterno auxilio Ducis Cunradi insidias superaturus. Quo operam suam, dummodo sibi aliquam sortem de Wratislaviensi Ducatu, iuxta se ac illum contingente, donare consentiat,

---

[1]) Anusberg *Ed. Lips.* (Habsburg *rectius*). [2]) saeculares *Cod. Rozr.* [3]) Adolphum *Ed. Lips.* [4]) de Nassovia *rectius.* [5]) opportuno tempore *Cod. Rozr.* [6]) Duce *deest in Cod. Aut.* [7]) Henricus *deest in Cod. Aut.*

devovente, foedus secum paciscens, duas illi civitates Iawor et Strzegom ex pacto donat. Qui donatione huiusmodi suscepta, astringit se iureiurando, omnem defensionem et assistentiam Henrico quinto contra Cunradum Glogoviensem Ducem praestiturum.

Wladislaus Hungariae Rex germani sui Andreae Ducis occisor occiditur: in cuius locum Andreas Venetus sanguinis Regum Hungariae substituitur.

Nona Iulii mensis die Wladislaus Hungariae Rex, Andreae Ducis germanus et occisor, in tabernaculo suo prope castrum Kirilzstegi quiescens, a Comanis, et signanter a Barbusz [1]), Trantek et Kementhe, eorumque cognatione, quorum ritui et moribus, ecclesiae prohibitionem habens ostentui, se addixerat, diris vulneribus multipliciter sauciatus occiditur et in Canadino sepelitur: iusto atque innoxio Andreae Ducis filii Stepani Hungariae Regis sanguine pro ultione ad Dei tribunal de terra vociferante, et sanguini innocenti Andreae Ducis parentatur. In cuius locum, quoniam orbus moriebatur, Andreas de Venetiis, ex semine Regum Hungariae ducens originem [2]), decimo octavo post Wladislai necationem die, in Regnum substituitur et coronatur. Cuius ea fertur fuisse (quam superficietenus attigisse sat erit) originis propago. Cum Hungariae Rex Andreas, huius nominis secundus, quarti Belae Regis et Colomani Ducis uxore prima Gertrudi, beatae Elisabeth genitrice, absumpta, facto in Terram Sanctam passagio, in revertendo, hospitio per Marchionem Estensem exceptus, filiam suam rarae pulchritudinis illic offendisset, accipit illam in coniugem et in Hungariam deducit, tractatque ut Reginam. Verum Andrea Rege rebus humanis exempto, Regina in paternam domum, priviginis cogentibus, reversura, se gravidatam episcopis et baronibus Hungariae significans, et ad patrem reversa edidit infantem, nomen Regum Hungariae illi Stephanus imponens. Qui ad aetatem legitimam perveniens, avum Marchionatu privare nititur Estensi, a quo pulsus, ad Iacobum Aragonum Regem, sororem suam ex primo matrimonio, filiam Andreae Hungariae Regis habentem pro uxore, se contulit. Ubi aliquanto tempore exacto, in Italiam redit, et a Ravennatibus in potestatem assumitur. Sed inde iterum pulsus, Venetias se confert, et a potente ac divite Venetiarum cive, qui illum sanguinis fuisse regii noverat, collectus, etiam in generum ascitus est, filia sua illi desponsata: ex qua filium suscipiens, avitum nomen illi Andreas optavit. Qui cum adolevisset, suffragio amicorum matris in pulcherrimo comitatu Hungariam ad Wladislaum Regem venit, et tam moribus quam virtute, quis et

---

[1]) Barbusis *Ed. Lips.* [2]) genus et originem *Ed. Lips.*

unde esset, se et Regi et baronibus insinuans, Pannoniorum diadema, Wladislao occiso, cum nemo alius de sanguine regio superstes foret, adeptus. Qui anno secundo regni sui Austriam cum exercitu valido ingressus, ipsam vastavit. Contra quem Bonifacius Papa octavus, a Iohanne et Henrico Hungariae baronibus frequenti studio sollicitatus, Carolum undecim annorum adolescentem, a Regibus Hungariae per lineam maternam descendentem, adiungens Legatum de latere in subsidium, transmittit in Hungaria regnaturum. Sed resistentiam faciente Andrea Rege, nullo profectu habito, exclusus est.

Saraceni residuum Regni Hierosolymitani conquirunt.

Sub hoc tempore Tripolis, Accon [1]) et Tyrus, civitates Terrae Sanctae munitissimae, et a Christianis in eam diem, licet Hierusalem amissa, possessae et defensae, vi praelii a Zoldano captae sunt, triginta millibus Christianorum et amplius a Saracenis, qui de illis varia et indicibilia [2]) constituebant ludibria, occisis. Quibus conquisitis, nihil de Regno Hierosolymitano remansit, quod non fuerit a Saracenis occupatum.

Cruciferi dum Lithuaniam igne, spoliis et caedibus aliquoties feliciter affecissent, Dux Lithuaniae Cuyaviam similiter impune vastat et praedam abducit.

Cruciferi Sanctae Mariae de Prussia, duce Fratre Bertholdo de Brunhavim [3]) commendatore Kinsbergensi usi, terras Lithuaniae praedatum ingressi, castro Koleyn conquisito et exusto, multis Lithuanis peremptis, et septingentis captis, in [4]) Prussiae oram revertuntur. Invasionem autem Cruciferorum Lithuani in terras suas prohibituri, castrum Mingedin exstruere coeperunt. Cuius exstructionem commendator Kinsbergensis Bertholdus aversurus, novo comparato exercitu, illuc ire pergit. Sed Lithuanorum multitudine, quae aedificantes observabat, deterritus, in alia loca divertens, castrum Lithuanicum Mederabe conquirit. Ubi omnes Catholicorum captivos solvit, barbaros [5]) obtruncat aut captivitati reservat. Vix dum Bertholdus commendator Kinsbergensis ex Lithuania redierat, cum [6]) continuo Magister Prussiae Memer [7]) cum forti et numeroso exercitu Lithuaniam aggressus, duos districtus Pastonow et Gerszow [8]) in cinerem redigit, et cum multa praeda capti-

---

[1]) Achon *Cod. Aut.* [2]) inenarrabilia *Cod. Rozr.* [3]) Bartholdo de Brunhauin *Cod. Rozr.* [4]) in *deest in Cod. Aut.* [5]) barbaros vero *Cod. Rozr.* [6]) et *Cod. Aut.* [7]) Meiner *rectius.* [8]) Posthonow et Gierschow *Cod. Rozr.*

vorum et pecorum revertitur. Agit et tertiam, Magistro reverso, Henricus commendator de Balga in Lithuanos expeditionem, et mille quingentis et viginti militibus assumptis, duos districtus Onkaim [1]) et Mingedin igne et caedibus vastat. Post paucos deinde dies Lithuanorum Dux Vithenen, hostiliter terram Cuyaviensem ingressus, caedibus et spoliis circa oppidum Brzescze patratis, hominum et rerum praedam non parvam secum abduxit. Et licet Wladislaus Loktek et Kazimirus Cuyaviae et Lanciciae Duces cum militibus suis eos fuissent insecuti, Magister quoque Prussiae Menhardus accersitus tempestive advenisset, re tamen nulla memorabili edita, omnes abiere retrorsum. Communi naturae vitio (ut reor) Lithuanorum insultu, tumuluario quidem et repentino, quod illos tunc Lithuanorum latebat tenuis et incognita conditio, territi, eos persequi, ac cum illis decernere [2]) destiterunt.

ANNUS DOMINI 1292.

Wenceslaus Bohemiae Dux cum ingenti exercitu oppressis a Wladislao Loktek auxilium laturus, Cracoviam venit; postea Siradiensi oppido non sine iactura suorum capto, in Bohemiam, re parum prospere gesta, revertitur.

Crebra et identidem repetita suorum [3]), qui Cracoviam observabant, Wenceslaus Bohemiae Dux querela et prece, de ferendo angustiatis et oppressis per Wladislaum Loktek Cuyaviae Ducem, suffragio, victus, quam maioribus copiis ex Bohemis et Moravis convenire iussis, versus Poloniam, ad ferendam suis opem, ire pergit. Et cum propriae copiae ad id bellum gerendum languidae viderentur, Ottonem Longum Brandeburgensem Marchionem, suum in pueritia curatorem, in sui solatium [4]) conducit, bipartitoque exercitu, per Opoliensem Ducatum traductis copiis, post Assumptionis Dominae nostrae diem, Cracoviam perveniunt. Ubi a Cracoviensibus militibus et civibus honore iusto Wenceslaus Bohemiae Dux exceptus, aliquot hebdomadis illic, de ordine belli contra Wladislaum Loktek Cuyaviae Ducem gerendi consultando, exegit [5]). Et nonnullis versus Sandomiriam, caeteris versus Siradiam (ambae enim arces et civitates a Wladislao Loktek tenebantur) exercitum promovendum censentibus, Visliciensi oppido itineri versus Sandomiriam afferente et obiiciente discrimen, versus Siradiam itum est, et agri tantummodo villarum et oppidorum, quae Wladislao Loktek parebant, populati, ustique: Wladislaus enim Loktek Cuyaviensis Dux in pugnam universae dimicationis cum Wenceslao

---

[1]) Okain *Ed. Lips.* [2]) decertare *Cod. Rozr.* [3]) militum suorum *Cod. Rozr.* [4]) auxilium *Cod. Rozr.* [5]) commoratus est. *Ed. Lips.*

Bohemiae Duce et eius exercitu prudentissima consultatione non veniens, in singulis locis et stativis, quoties se offerret occasio utilis et opportunitas, Bohemicum et Almanicum exercitum nocturnis invasionibus lacessebat. Sed et milites pabulatoresque, longius pabulandi aut populandi gratia a castris progressos, obterebat, fundebatque, tantumque metum hostibus locorum imperitis, peritus ipse iniecerat, ut vigiliae in castris Bohemicalibus [1]) et Almanicis duplicarentur, et nemo pabulatum auderet, nisi sub forti militum conductu, prodire. Sub tot et tantis difficultatibus Wenceslaus Bohemiae Dux cum Ottone Longo Brandeburgensi Marchione Siradiam perveniens, oppidum Siradiense obsidione cingit et in die Sancti Wenceslai conquirit. Arcem vero Siradiensem conquirere se posse desperans, palude enim et undis undique consepta, praesidio insuper forti militum munita, aut impossibilem aut diuturnam, difficilemque sui conquisitionem portendebat, in Bohemiam, parum prospere re gesta, militibus aliquibus in Cracovia pro tuendis subiectis remissis, ex stativis apud Siradiam habitis, gloriabundus, quod oppidum Siradiense nec arte nec natura emunitum cepisset, redit. Quo abscedente [2]), Wladislaus Loktek Cuyaviensis Dux in Siradiensi et Cracoviensi Ducatibus principari non desiit, pertinaciusque in Bohemos et rebelles grassatus.

Kunegundis Ducissa Cracoviensis in monasterio Sandeczensi moritur et sepelitur: cuius sanctitas etsi multis et variis miraculis declarata sit, negligentia tamen Polonorum canonisatio illius procurata non est.

Magnae sanctitatis et religionis, miraeque devotionis in Deum, femina et virgo Ducissa Kinga Boleslai Pudici Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis relicta et filia Belae Regis Hungariae, cum annos tredecim in monasterio Sandeczensi in maxima [3]) abstinentia et proprii corporis mortificatione exegisset, gravi infirmitate anno prope uno vexata, vicesima quarta Iulii devotissime moritur et in monasterio Sandeczensi sepelitur: diem et horam mortis suae habens multo ante tempore divina revelatione patefactam. In hora transitus sui felicis Christianus canonicus Visliciensis, vir religiosus et devotus, Visliciae in oratione positus, vidit animam eius ex corpore egressam, niveo candore in coelum, canentibus agminibus sanctis: R e g n u m m u n d i, deferri. Quod cum magna admiratione cerneret, dictum illi est: animam illam beatae Kunegundis esse in illo momento a corpore solutam. Quae quidem visio etiam pluribus aliis devotis personis monstrata est. Et quemadmodum in vita pietas Agni coelestis stupendis miraculis eam extulerat, ita et post felicem obi-

---

[1]) Bohemicis *Cod. Rozr.* [2]) discedente *Cod. Rozr.* [3]) magna *Cod. Rozr.*

tum amplioribus prodigiis, varios curando languores coruscabat. Ab anno siquidem mortis suae usque ad annum Domini Millesimum tricentesimum vicesimum nonum, meritis suis octuaginta [1]) mortui vitae pristinae redditi sunt, sexaginta caeci illuminati, quindecim captivi a vinculis soluti, septingenti insuper homines utriusque sexus a variis aegritudinibus curati, ut satis mirandum sit, aetatis illius praelatos et Principes Poloniae canonisationem tam sanctae, tamque venerabilis Ducissae propter candorem virgineum, quem annis multis in thoro servavit coniugali, inter martyres computandae, non procurasse. Tantam siquidem circa illam Regis aeterni benignitas magnitudinem suae gratiae [2]), consolidando contractos, restaurando paralyticos, suscitando mortuos, mundando leprosos, liberando energuminos [3]), illuminando caecos, erigendo claudos et collapsos, et multiplices aegritudines suis sanando meritis, multipliciter noscitur effudisse, ut ex illis praestetur certa et evidens fiducia, quod quae in vita praesenti dignitate praefulgebat regia, per gratiam Regis coelestis glorificationem sit amplissimam inter superos consecuta. Nec mirum: coluit enim assidue et custodivit integritatem mentis, et nobilissimo pudore integerrimae virginitatis castimoniam sub nimio et arduo labore transegit. Expers palmae non credenda martyrii, quae puritate mentis duplici cum mortificatione, carnis suae videlicet et mariti, assidue cum oculis, cum naribus, cum caeteris sensibus, cum quiete et otio, cum silentio et solitudine, cum ipso denique fastu et apparatu regio, cum cibis et potibus opipare conditis, cum rerum temporalium affluentia et successuum felicitate, vestium, gemmarum et unionum pompa [4]) confligens nocte atque interdiu, momentisque singulis animi et corporis perferebat cruciatus, sanguineam rosam praeseferens, centeno fructu et geminata laurea, virginitatis videlicet et sanguinis, meruit coronari. Virginitatem enim magnopere custodiens, mente et spiritu hostem saevum, quocumque se verteret, secum ferebat, assiduo premebatur certamine, sine induciis bellum gerens, non vespere, non nocte, non diluculo, non meridie, non mane respirasse permissa: sed singulis diebus atque horis, fornacis medio succensa, auri instar probata, purior prodibat. Cogita, quanti officii labor sit et fatiga! Haec constante matrimonio vixit modeste, abstinenter, castigate; non cultus in ea luxuriosior, non conversatio cum viris, sed nec cum viro licentiosior, non convictus splendidior. De qua sane et suis [5]) virtutibus atque sanctis operibus tanta dici possunt, ut ad longum usque volumen excrescerent.

---

[1]) octingenti *Cod. Rozr.* [2]) gloriae *Cod. Rozr.* [3]) energumineos *Cod. Rozr.* [4]) purpura *Cod. Rozr.* [5]) eius *Ed. Lips.*

Iterum pacta iure iurando inter Henricum Wratislaviensem Legniczensemque et Boleslaum Swidniczensem Duces germanos contra Cunradum Glogoviensem Ducem, nullo tamen profectu, firmantur.

Repressurus graves praedas, excursiones et incendia Henricus quintus Wratislaviensis et Legniczensis Dux, quae sibi et Ducatibus suis per Cunradi Glogoviensis Ducis subministrationem irrogabantur, germanum suum Boleslaum Swidniczensem Ducem, cuius mentem largitione duorum oppidorum, Iawor videlicet et Strzegom, se crederat sibi in totum conciliasse, de ferendo contra Cunradum Glogoviensem Ducem, quemadmodum iureiurando pollicitus erat, auxilio [1]), requirit. Qui nunc languorem, nunc militum renitentiam, nunc intemperiem aëris allegans, cunctando, tempusque extrahendo, Henricum fratrem Wratislaviensem Ducem [2]) fallebat. Pro exploranda itaque et sananda Boleslai Swidniczensis Ducis [3]) mente, alter instituitur conventus: in quo Boleslao Swidniczensi Duce [4]) tenuem se sortem ab Henrico Wratislaviensi Duce [5]) recepisse causante, recusanteque succursum, Henricus Wratislaviensis et Legniczensis Dux [6]) tria rursum illi oppida, videlicet Reychembach, Frankensten [7]) atque Strzelin ad priora adiicit, novumque et iteratum iusiurandum accipit, pollicentem se omnibus viribus et potentiis, rebus quoque [8]) fortunis et proprio corpore se Henricum contra Cunradum adiuturum. Parem tamen altero iuxta ac priori sacramento dans virtutem: praevaricato utroque, cunctatorem se magis, quam adiutorem negotiis Ducis Henrici praestabat.

Pauli episcopi Cracoviensis mors et factum in episcopo detestabile: cui Procopius Ruthenus succedit.

Paulus Cracoviensis episcopus cum annos duos de triginta [9]) Cracoviensem obtinuisset sedem, penultima die mensis Novembris, in curia sua episcopali in Tarszek [10]) moritur et in Cracoviensi ecclesia tumulatur. In cuius locum Procopius ortus de Russia, cantor Gnesnensis, praepositus Sandomiriensis, canonicus Cracoviensis, et Lestkonis Nigri Cracoviensis, Sandomiriensis et Siradiensis Ducis cancellarius, et ipsius Lestkonis Ducis ex parte ma-

---

[1]) auxilio *deest in Cod. Aut.* [2]) Ducem *deest in Cod. Aut.* [3]) Ducis *deest in Cod. Aut.* [4]) Duce *deest in Cod. Aut.* [5]) Duce *deest in Cod. Aut.* [6]) Dux *deest in Cod. Aut.* [7]) Reymchembach, Frankesten *Cod. Rozr.* [8]) atque *Ed. Lips.* [9]) duos et triginta *Cod. Rozr.* [10]) Tharschek *Cod. Rozr.*

tris cognatus, et canonica electione et Principum Wladislai Loktek et Wenceslai Cracoviensis et Sandomiriensis Ducum favore [1]), nobilis de stirpe Ciphorum, succedit, per Iacobum Swinka Gnesnensem archiepiscopum confirmatus. Hic autem Paulus episcopus in tantam venationis fervore ferebatur erupisse insaniam, ut conditionis pontificalis oblitus, tractando in districtu Kelcziensi [2]) venationes, venatorem qui feram incautius, ne usque ad casses procederet, dispulerat, lancea manu gestata indignabundus transfoderet, non veritus hominem pro bestia perdere, quem Unigenitus redemit sanguine suo [3]).

Nicolaus quartus Papa moritur, et motu terrae in Italia multa castra et oppida invertuntur eo tempore.

In Parasceve die, Nicolaus Papa quartus, cum annis quatuor, mensibus citra duobus sedisset, Romae moritur et apud Sanctam Mariam maiorem sepelitur. Cardinales autem de communi consensu Perusium se transferunt, et illic conclave ingressi, discordibus votis usi, nullatenus de futuro Summo Pontifice concordare potuerunt, et vacavit ecclesia integro biennio. Quo quidem tempore in Italia magni fuerunt terrae motus, sed maxime versus Neapolim in valle de Bivano. Ruerunt enim illic et castra et villae multae, et personae plurimae simul cum illis perierunt [4]).

Thomas secundus episcopus Wratislaviensis vita functus, Iohannem Romkam habuit successorem.

Idibus Martii Thomas secundus episcopus Wratislaviensis, cum annis viginti duobus sedisset, moritur et apud maiorem ecclesiam Wratislaviensem sepelitur. Cui Iohannes vocatus Romka, unanimem electionem sortitus, succedit de annuentia et consensu Henrici Wratislaviensis, Boleslai Swidniczensis et Cunradi Glogoviensis, Ducum, aegre ab illis obtento, qui potius Cunradum Ducem Zegani, filium Cunradi Glogoviensis Ducis, praepositum Wratislaviensem, succedere maluissent. Ab archiepiscopo Gnesnensi Iacobo Swinka confirmatus et consecratus, nobilis Polonus de domo Szulima [5]).

---

[1]) consensu et favore *Cod. Roer.* [2]) Kielcensi *Cod. Roer.* [3]) quem unigenitus Filius Dei pretiosissimo sanguine suo redemit. *Cod. Roer.* [4]) corruendo perierunt. *Ed. Lips.* [5]) Sulima *Cod. Roer.*

Meinhardus Prussiae Magister ex coniuratione Pruthenorum et Lithuanorum quin occideretur, parum abfuit.

Prussiae Magister Meinhardus, dum exercitu non parvo collecto, Lithuaniam populaturus, ad fines illius pervenisset, coniuratione per unum de Pruthenis, de qua inter Lithuanos barbaros, et Pruthenos quamvis baptisatos convenerat, detecta, ad notitiam perlata, celerrime in Kinsberg nocte et interdiu revertitur. Et coniuratione oppressa, ingens periculum depulit: quoniam et per Lithuanos a fronte, et per Pruthenos proprios, qui ad gentilitatis errorem relabi statuerant, a tergo, nisi sibi celerrime consuluisset, debebat invadi.

ANNUS DOMINI 1293.

Luthke (cuius parentem Pakoslaum Henricus quintus Wratislaviensis et Legniczensis Dux ad summos dignitatum gradus extulerat et postea iuste iudicio in mortem condemnaverat) oblitus beneficiorum in se per Henricum collatorum, eundem dominum et benefactorem suum in balneo nudum captivat et hosti suo Cunrado Glogoviensi Duci praesentat: quem Cunradus diro et novo genere vinculi inclusum adeo premit, ut et multa in sui liberationem dederit, et pristinum robur, quoad vivebat, assequi propter eam captivitatem nequaquam potuerit.

Intelligens Cunradus Glogoviensis Dux conspirationes, quas cum Boleslao Swidniczensi Duce contra Henricum quintum Wratislaviensem et Legniczensem Ducem, et in eius captivitatem vel mortem congesserat, cunctatione et astu callido Boleslai Swidniczensis Ducis, qui suis tantummodo consulebat profectibus, et per hostilitatem Ducis Glogoviensis Cunradi, castra civitates et oppida ab Henrico Wratislaviensi et Legniczensi Duce sub praetextu ferendi auxilii, pro suo libito emungebat, retardatas et neglectas esse, exquisito, continuoque studio, quonam pacto cogitata perficeret, intentus, Boleslao Swidniczensi Duce omisso, qui illum crebris fallacibus promissis deluserat, consiliarium quendam Henrici quinti Wratislaviensis et Legniczensis Ducis Luthkonem nomine, inter paucos Henrico quinto carum et inter consiliarios praecipuum, in illius captivitatem aut necem accendit [1]). Erat in consilio et obsequiis Ducis Henrici quinti, priusquam ex morte Hen-

[1]) incendit *Cod. Rosr.*

rici quarti Probi Wratislaviensem consequeretur Ducatum, miles quidam Pakoslaus [1]) Luthkonis parens, de stirpe et genealogia [2]) Habdank, qui et famulatu et industria, factivitateque adeo sibi Henricum quintum devinxerat, ut caeteros suos consiliarios favore et authoritate anteiret. Is cum quendam alium vicinum [3]) militem sive casu, sive arrogantia, incertum est, occidisset, fratres et consanguinei occisi, quorum multitudine praestabat occisus, Pakoslaum occisorem coram Henrico quinto, moesto nimium et pro casu, qui Pakoslao acciderat, anxio, sollicitoque, et eius tribunali conveniunt. Causam itaque Pakoslaus a Duce Henrico quinto, flentibus, querentibus et iustitiam expetentibus [4]) amicis occisi, dicere iussus, insolenti et superba responsione utitur. Et in favore Principis, amicorumque multitudine, insolentiam suam nutrientium [5]) confidens, tumide et iactanter respondet: se militem occidisse, et occisionem a se [6]) patratam nullo pacto inficiari velle. Amicis occisi iustam pronuntiationem post confessata ferri petentibus, Henricus quintus Dux, Pakoslao verbis correpto, monet: ut amicis consultis, aliter de se factae querelae respondeat. A iudicio itaque disgressus, amicis consultis, arrogantius edit responsum, profitens se obiectum homidicium perpetrasse, et haud multum a magnitudinis ducalis fastigio se distare credens, inficiari noluit crimen. Ea responsione Dux Henricus quintus turbatus, partibus iudicis omissis, partes amici assumit et Pakoslaum obiurgat. Stultissime, inquit, virorum, quis te spiritus exagitat, ut proprio ore, propriaque confessione in necem tuam debaccharis? Secede itaque a tribunali meo, et saltem pro vice tertia tibi, vitaeque tuae, dum licet, consule, positaque dementia, ad bonam mentem redi, de caetero me magis iustum iudicem, quam misericordem Ducem, nisi tibi mitiori responsione prospexeris, experturus. Non movit Pakoslaum tam clemens et repetitus monitus, sed deliberatione cum consultoribus habita, occidisse se vicinum gloriabundus et stomachans fatebatur. Expetentibus itaque amicis occisi, Henricus quintus Dux in Pakoslaum sententiam pronuntiat, et ex propria confessione in mortem condemnat [7]), atque ex atrio per scalas in Legniczensis castri, ubi iudicium agebatur, medium deductum capite obtruncat: et quem plurimis beneficiis ornaverat, extulerat, hoc uno fatali et extremo casu damnat. Sed nec Pakoslao perempto favorem remittit: unicum enim filium Pakoslai, vicesimum agentem annum, qui Luthko vocabatur, pro familiari continuo suscipit et propensiori gratia pertractat. Verum a consiliariis identidem, ne a se damnati Pakoslai filium versari apud se et in camera sua patiatur, ne in ultionem paternam quicquam moliretur adversi,

---

[1]) Paccoslaus *Cod. Aut.* [2]) genologia *Cod. Aut.* [3]) vicinum suum *Cod. Rozr.* [4]) expostulantibus *Ed. Lips.* [5]) nutrientibus *Cod. Aut.* [6]) occisionem suam *Cod. Rozr.* [7]) damnat *Cod. Rozr.*

argutus: Vehementer, inquiunt, suspicamur Luthkonem necem patris iniquo animo laturum, et eius interitum tibi imputaturum fore, cogitaturumque omni tempore et hora, quo pacto illam tuo periculo vindicet, maiora [1]) in te quam caput ausurus: aspernabatur Henricus Dux [2]) sibi fideliter suadentium et periculum suum portendentium consilia, tutiorem se factum ratus et gratia quam patri vivo praestiterat, et benevolentia quam in filium depromebat. Luthkonem tamen advocat et praesentibus consiliariis, in hunc alloquitur modum. Vidisti, inquit, quantis desideriis et laboribus aestuaverim, quantosque conatus adhibuerim, ut parentem tuum Pakoslaum ex morte, quam ipsemet sibi, et occidendo innoxium, et homicidii profitendo in iudicio crimen, consciscebat, eriperem; novisti quoque patrem tuum sua superbia, arrogantique dementia, damnationem sibi nexuisse. Ex duobus itaque unum infra tempus bimestre elige: aut damnationem patris iuste a nobis factam perpetuo obliviscere, aut ex curia nostra, nunquam ad illam reversurus, secede. Lapso tandem constituto ad respondendum spatio, Luthek [3]) adveniens, et iuste legitimeque patrem damnatum, iusteque [4]) interiisse, publica voce perhibet [5]), et se illius necem non verbo, non facto, non publice, non occulte, sed neque nutu memoraturum, aut ulturum, molesteque laturum, iureiurando confirmat, obsecrans Henricum Ducem, ne se et fidem suam suspectum iri permittat, se ea conditione, eaque mente fretum esse, ut fidelissime, constanter et sincere, obliterata paterna nece, sit illi famulaturus. Excussit haec Luthkonis vox Henrico Duci lacrymas, et complectens illum ait: In parentis me habebis loco, ea sumpturus ex me beneficia, pro quibus et tu et cognati, necessariique tui, perpetuas mihi agere gratias poteritis. Nec sermoni ducali virtus [6]) defuit: nam et Luthkoni plerasque donationes liberaliter contulit, et ipsum suis intimis consiliariis inseruit, brevique effecit, ut auctoritate et favore fere singulos excederet. Hunc itaque [7]) Cunradus Glogoviensis Dux, tam promissis, quam blanditiis, in captivitatem aut necem sui domini et benefactoris, Henrici quinti, asserens non esse ferendum, ut sui parentis indignae non parentetur [8]) morti, subornat. Qui opportunum tempus ad exequendum ea, quae cum Cunrado Duce Glogoviensi pepigerat, observans, in dominum suum Henricum quintum, in balneo ad fluenta Odrae prope Wratislaviense castrum corpus curantem, cum satellitibus armatis advenit. Cuius etsi a ministris Henrici quinti praevisus fuerit, et Duci Henrico denuntiatus adventus, bonum tamen et quietum eos habere animum, et omnem suspicionis pavorem deponere iussit, cum Luthko suus familiaris et curiensis ac consiliarius exi-

---

[1]) maiore *Cod. Rozr.* [2]) Henricus Dux *deest in Cod. Aut.* [3]) Luthko *Cod. Rozr.* [4]) iureque *Cod. Rozr.* [5]) prohibet *Ed. Lips.* [6]) virtus, veritasque *Cod. Rozr.* [7]) igitur *Ed. Lips.* [8]) compateretur *Cod. Rozr.*

stat, et impossibile sit illum quicquam sinistri moliri. Verum Luthko omnium beneficiorum et parenti et sibi praestitorum oblitus, balneum, in quo Dux lavabatur Henricus, gentibus circumdat, et familiaribus Ducis fugientibus et resistentiam, cum nudis contra armatos iniquum [1]) foret certamen, facere non audentibus, Henricum Ducem et dominum suum, nona Octobris die captivat. Quem etsi unus ex familiaribus defendere nisus fuisset, et suo corpore ducale praetexisset, a Luthkone tamen et suis variis vulneribus confossus, interiit. Captus itaque Henricus quintus Dux, et ex balneo ignominiose nudo corpore tractus, in equum imponitur, et vili palliolo superiniecto, tota die illa et nocte subsequenti, qua captus est, equitare cursu vehementi coactus, in Sandwoth adducitur et Duci Glogoviensi Cunrado per Luthkonem praesentatur, infelicitate sua ab eo proditus, cuius parentem in summum gradum provexerat et ipsum quoque proditorem promovere maturabat. Quem illico Cunradus Dux [2]) Glogoviam perducens, in dira coniecit vincula, vinctum quoque et catenatum, non solum horrendo carceri, sed et in vas ferreum angustum et ex omni parte coarctatum, duo tantummodo foramina, et haec ipsa plurimum brevia et stricta, habens, unum quo escam exciperet, spiraroque posset, aliud, quo alvum purgaret, et in quo non sedendi, non standi aut iacendi, sed vix aegre haerendi, relicta erat facultas, includit: ubi per menses sex adeo tortus, vexatusque est, ut de scapulis et femore eius et sanies et multitudo vermium scaturiret. Mortem itaque et crudeles passiones evasurus, dum videret germanum suum Ducem Boleslaum Swidniczensem pro sua liberatione nullam operam navasse, triginta marcarum millia in pontis medio supra flumen Czarna, qui Legniczam circumfluit, ex composito primum solvit, deinde infrascriptos districtus, castra et oppida, videlicet Namyslowiam, Berolthow, Kruczbork, Biczinam, Kunczestad, Roszemberk [3]), Haynowiam et Boleslawiam, cum terminis et distinctionibus suis Duci Cunrado Glogoviensi donat et inscribit, illisque perpetuo renuntiat. Post liberationem continuo languore afflictabatur, quem illi feralis captivitas causaverat, nec ad diem mortis ad vigorem pristinum poterat restitui. Balneorum fomenta Polonorum Principibus inamica [4]) et execrabilia, et sub illarum usu, scrupulosiori ad sui custodiam utendum illis cura: tres enim constat Polonorum Principes sub balneandi tempore periclitatos fuisse. Unum hunc, de quo modo narrationem absolvimus, Henricum quintum in valitudine et substantia; alterum [5]) Lestkonem Album Cracoviensem, Sandomiriensem et Pomeraniae Ducem ac Poloniae

---

[1]) iniquum enim *Cod. Rozr.* [2]) Glogoviensis Dux *Cod. Rozr.* [3]) Namisłoviam, Berelchow, Kruczborg, Byczynam, Kunczestadt, Rozemberg *Ed. Lips.* [4]) inimica *Cod. Rozr.* [5]) item *Ed. Lips.*

Monarcham, in vita; tertium Henricum cum barba Wratislaviensem Ducem in corpore prope ad mortem vulneribus lacero [1]).

Wladislaus Loktek pro Principatu Cracoviensi et Sandomiriensi plures refert de Bohemis triumphos: cuius potentiam Thartarorum ingens multitudo terram Sandomiriensem ingressa, praedis inde abactis diminuit.

Apud Cracoviensem et Sandomiriensem oras, coeptum inter Wladislaum Loktek Ducem Cuyaviensem, et Wenceslaum Bohemiae Ducem, pro Principatibus ipsis bellum accerrime gerebatur, et per Wenceslai Ducis Bohemiae absentiam, qui sub eo tempore cum Adulfo [2]) Romanorum Rege in Miszna apud Grunhaim [3]) agebat conventum, et affinitatem modico duraturam tempore, dando filiam suam Agnethem Ruperto filio Regis, iungebat, pars Wladislai Loktek Cuyaviensis Ducis plures ex Bohemis referebat triumphos. Supervenit tandem Thartarorum ingens exercitus [4]) in aliquot agmina divisus, et nonnisi ad Sandomiriam grassatus, correpta praeda et hominum utriusque sexus magna multitudine capta et servituti mancipata, in Thartaricos campos, unde ebulliverat, rediit. Quae res vires et potentiam Wladislai Lokyetkonis Ducis, cui circa oram Sandomiriensem parebatur, plurimum hebetavit.

Cruciferi castrum Mingede conquirunt et multos Lithuanos trucidant; Dux autem Lithuaniae Vithenen, dum vastat Prussiam, victus fuga evasit.

Cunradus Stange commendator de Ragnetha, circa festum Sancti Iacobi Apostoli, in Lithuaniam cum gentibus suis, licet paucis, veniens, castrum Mingede, quamvis multiplici Lithuanorum praesidio septum, impugnans comprehendit, et magnam multitudinem Lithuanorum, paucis diffugientibus, aut capit, aut occidit. Quorum secutus vestigia Vithenen Dux Lithuaniae cum multitudine Ruthenorum et Lithuanorum Pruthenicam oram diebus octuaginta vastat: infra quos a Cruciferis invasus, victus succubuit, et pluribus de suis amissis, cum paucis fugiens, evasit.

---

[1]) lacerato. *Ed. Lips.* [2]) Rudolpho *Cod. Rozr.* [3]) in Missna apud Grunhain *Ed. Lips.* [4]) multitudo et exercitus *Cod. Rozr.*

ANNUS DOMINI 1294.

Vithenen Dux Lithuaniae Lanciciam clandestine ingressus, ecclesiam collegiatam spoliat, domibusque incensis et eadem ecclesia conflagratur. Caede autem ingenti edita, dum cum praeda rediret, praelio conserto cum eo, Kazimirus Dux Lanciciae occiditur: cui in Ducatu Lanciciensi germanus suus Wladislaus Loktek succedit

Non defuit et hoc anno divina indignatio, per rabiem barbaricam desaeviens in Polonos. Vithenen enim Lithuaniae Dux cum mille octingentis equitibus [1]), ex Lithuanis, Pruthenis et Samagitis collectis, in Lanciciensem terram impetum fecit. Quam dum feria quinta Pentecostes per silvas et nemora, Duce Masoviae Boleslao permittente et favente, tam silenti et ignoto agmine, ut quoslibet praetereuntes fallerent, ingressi fuissent, primum ad ecclesiam collegiatam Lanciciensem accurrunt, populique utriusque sexus praesentiam, qui illuc gratia celebrandi festi confluxerat, aut trucidant, aut captivant; praelatos, canonicos et sacerdotes Domini miserabiliter captivant, vestes sacras, vasa et clenodia diripiunt, caeteros, qui ad ecclesiam confugerant et in illa se viriliter defensabant [2]), vicinis domibus quae ecclesiam circumstant, incensis, in ecclesiam Lanciciensem incendium inferentibus, suffocant et exstinguunt. Ad rura deinde et vicos discurrunt, et praeda plurima ex hominibus et pecore comparata, citato cursu redibant. Non tulit et suam et gentis suae calamitatem Kazimirus Lanciciensis Dux, sed cum singulis terrae Lanciciensis militibus barbaros persequi coepit. Quos cum in Zukow villa, prope oppidum Sochaczow supra fluvium Bszura sita [3]), secundum alios circa villam Troyanow, consecutus fuisset, paucitate sui agminis et hostili multitudine minime pensata, in barbaros irruit. Et magna strage edita, multisque captivis per fugam fervente praelio elapsis, a multitudine barbarica victus, succumbit, et inter consertissimos [4]) hostes audacissime inter primos pugnans, nobilem excipit mortem. Quo occidente, fuga passim per Polonos fieri coepta est, et plures ex Polonis, dum mortem honestam vitant, in mortem turpem incidunt et in flumine Bszura, ultra quod pugnatum est, aquis plus tunc solito ex imbribus inflatis, submerguntur. Lithuani et praeda et victoria potiti, eam tunc ex captivis Polonis praedam asseruntur retulisse, ut culibet barbaro viginti Christiani Poloni in sorte cesserint. Non reliquit Kažimirus Lanciciensis Dux aliquem superstitem, propter quod Lanciciensem terram

---

[1]) militibus *Ed. Lips.* [2]) defendebant *Cod. Rozr.* [3]) Bzura situm *Ed. Lips.* [4]) confertissimos et primos *Ed. Lips.*

Wladislaus Loktek Cuyaviensis Dux germanus suus, legitime in se devolutam accepit.

Cunradus Dux Masoviae fundator monasterii in Blonye moritur.

Duodecimo Calendas Novembris Cunradus Dux Masoviae et dominus Czirnensis, filius Semoviti in Iaszdow a Lithuanis occisi, in monasterio fratrum Canonicorum regularium in Czirwensko [1]) moritur et in eodem monasterio iusto honore sepelitur. Construxit hic monasterium in Blonye, et tam introitibus, quam clenodiis et ornamentis munificentia ducali dotavit.

Caelestinus quintus eremita in Summum Pontificem eligitur: qui cum brevi Papatui cessisset, in locum eius Bonifacius octavus succedit, et Caelestinum vinculis, in quibus mortuus coruscat miraculis, veritus, ne Papatum repeteret, includit.

Biennio et amplius, Cardinalium collegio super electione Summi Pontificis per varias voluntates diviso, ad persuasionam Latini Ostiensis [2]) episcopi, fratrem Petrum de Murone, eremiticam vitam ordinis Sancti Damiani, sub regula Sancti Benedicti agentem, virum maximae abstinentiae et orationis, totum Deo consecratum, in partibus Aprucii, in magna vitae austeritate in eremo habitantem, septima die Iunii eligunt in Papam. Qui ex eremo Aquilam veniens, in die Decollationis beati Iohannis Baptistae, in ecclesia Sanctae Mariae de Colomadio, Caelestinus quintus vocatus [3]), consecratur in Papam: ubi et curiam suam aliquanto tempore tenuit, et Cardinales illuc ex Perusio venire fecit. Verum licet opera viri sancti fecerit et a primi status innocentia non recesserit, eandem humilitatem, eandem puritatem observando, decipiebatur tamen [4]), velut vir in regimine pontificali inexpertus, et ob [5]) impotentiam senectutis, cum aetatis decrepitae foret, in gratiis et signaturis, non sciens versutiis et fraudibus curiae occurrere: propter quod fere a singulis Cardinalibus, periculo, in quo status Ecclesiae versabatur, intellecto, edita constitutione, ut Papa posset cedere Papatui, in vigilia Sanctae Luciae, Neapoli in praesentia Cardinalium cedit Papatui. Et Papatus deponens insignia, praebuit humilitatis exemplum stupendum cunctis, imitabile paucis, cum a septima die Iulii, usque ad decimam nonam vel citra Decembris [6]) sedisset. Cardinales deinde ad electionem alterius procedentes, Benedic-

---

[1]) Czirwiensko *Cod. Rozr.* [2]) Hostiensis *Ed. Lips.* [3]) vocatur *Ed. Lips.* [4]) tamen *deest in Cod. Aut.* [5]) ob *deest in Cod. Aut.* [6]) Decembris diem *Cod. Rozr.*

tum Gayetani, tituli Sancti Martini in Montibus presbyterum Cardinalem, natione Campanum de Anania oriundum, longo tempore curiae experientiam habentem, in Papam eligunt, quem Bonifacium octavum appellant. Qui praedecessorem suum Caelestinum ad eremum latenter fugientem, schismati praecavens, cum ab aliquibus dubitabatur, an cedere Papatui potuisset, capit et in castro Fumonis sub honesta custodia includit, ubi vivens tandem Quatuordecimo Calendas Iunii, anno uno, mensibus quatuor, diebus viginti octo exactis, moritur et in monasterio Sancti Antonii de Ferentino, ordinis sui, Millesimo ducentesimo nonagesimo sexto anno sepelitur; multis deinde coruscans miraculis, a Clemente quinto sub nomine Sancti Petri canonisatur. Bonifacius ex Neapoli curiam in Urbem transferens, illic suam mansionem figens [1]) aliquanto tempore, Sextum librum Decretalium composuit. Idem Caelestinus [2]), ut aliqui aiunt, in ecclesia Sancti Petri, ubi crucifixus refertur, in monte trans Tyberim extra Urbem, post cessionem Papatus, sanctiori vitam solitariam ducere devotione cupiens, inhabitavit. Quem Bonifacius successor, suspicatus et veritus, ne unquam alio spiritu ductus, Papatum repeteret, comprehendit, et vinctum squalore carceris miserabiliter extinguit. Hic successor, cessori tyrannicam pro beneficio reddit vicem. Quo metu posteri docti, in sua vocatione cum diuturniori vita consultius manere deligunt, quam ea contempta, intempestivam sibi conscire mortem, et ex benefactoribus facere tyrannos.

Iudaeorum Rabbi et Prophetae diem certum Iudaeis praedixerant, in quo signum redemptionis sanctae Crucis ferventissime orantibus in syndonibus apparuit: quo viso, nonnulli eorum turbati, nonnulli baptisati fuere.

In quarto mense, qui apud Iudaeos vocatur Chamucz [3]), ultima die ipsius mensis, in qua die praedixerunt Rabbi Iudaeorum, quod Iudaei debebant habere signum redemptionis suae a Deo miraculose factum; ad quorum proclamationem omnes Iudaei fecerunt suas poenitentias in ieiuniis multis cum satisfactionibus et eleemosynis, quasi ad Deum reversi, orantes, ut sibi praedictum signum suae salutis ostenderet, in quo anno, mense et die assignatis, intraverunt synagogas suas ad orandum Deum, induti syndonibus albis lineis seu sericeis [4]), prout est moris apud eos in die expiationis, scilicet in die decima mensis septimi. Et tunc altissimo Deo cooperante, qui nullum tempus sine bonitatis suae testimonio reliquit, in syndonibus quae servaban-

---

[1]) agens *Cod. Rozr.* [2]) Caelestinus *deest in Cod. Aut.* [3]) Chamicz *Cod. Rozr.* [4]) sericis *Cod. Rozr.*

tur, apparuerunt signa crucis in omnibus, et ubicumque erant, etiam in illis syndonibus, quae condebantur [1]) in suis apothecis. Quo signo viso, multi eorum fuerunt turbati. Quorum quidam dicebant, quod hoc fuerat factum diabolica arte, nimirum cum praedecessores eorum de Christo, maxima miracula faciente „In Belzebub eiicit Daemonia“ (Mathaei nono capitulo), id ipsum dicebant[2]). Nonnulli dubitabant, non audentes loqui, nec aliquid circa hoc iudicare. Alii vero crediderunt hoc signum fuisse veri Christi crucifixi, et disposuerunt se ad eius fidem cum baptismo recipiendam; isti tamen fuerunt pauci, iuxta illud (Hieremiae tertio capitulo): „Assumam vos, unum de civitate, duos de cognatione, etc.“ Et attendendum, quod inter duos praedictos terminos, qui per praedictos Rabbones in suis libris et tractatibus assignati fuerunt, fuit terminus alius a duobus Iudaeis in Hispania, qui Prophetae dicebantur, assignatus: quorum unus erat in civitate Abulensi provinciae Compostellanensis, et alius in villa, quae dicitur Aylon, Saguntinensis diocesis, Tholetanensis provinciae. Qui quidem duo tam magnalia loquebantur semper prophetice, et [3]) quandoque futura prognosticabant et occulta revelebant, secundum morem eorum honeste vivebant, quod ab omnibus Iudaeis regionis reputabantur semper Prophetae. Et isti duo assignaverunt tempus ad videndum signum suae redemptionis in anno a creatione mundi Quinquies millesimo [4]) quinquagesimo quinto, secundum eorum computationem: qui quidem annus concurrit cum anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto [5]), praesenti.

Menhardus Prussiae Magister certa castra et districtus, sed et castrum Wyszen in Masovia conquirit et exurit.

In fine hiemis Prussiae Magister Menhardus[6]) hostilibus armis terras Lithuaniae invadens, duos districtus Pastow et Gersow [7]) iterum vastat, et castrum Lithuanicum Mingedin bombardis quatit et impugnat. Duobus autem castris inferioribus conquisitis et exustis, dum tertii expugnatio difficilior videretur, captivis Lithuanorum in Prussiae castra remissis, ad castrum Wyszen [8]) Masoviae Ducis Boleslai exercitum ducit, illudque iuxta ac barbaricum et hostile, propterea quod Lithuani in eo habebant receptaculum et frequentius etiam ex illo terras Poloniae et Prussiae infestabant, oppugnat (nec Bo-

---

[1]) condebantur *deest in Cod. Aut.* [2]) id ipsum dicebant *deest in Cod. Aut.* [3]) Prophetae, ut *Cod. Rozr.* [4]) V. millesimo *Cod. Aut.* videlicet millesimo *Cod. Rozr.* [5]) quarto *Cod. Rozr.* [6]) Meinardus *Ed. Lips.* [7]) Pasthow et Gierszow *Cod. Rozr.* [8]) Wiznense *Cod. Rozr.*

leslaus Masoviae Dux legationibus ac nuntiis fatigatus, facinus id rescindere volebat) conquirit et exurit. Lithuanorum castro [1]) Kymel, Ludovicus de Ragnetha commendator, armis sub idem tempus quaesito [2]), eandem incensionis infert sortem.

Mortuo Mszczugio Pomeraniae Duce, Przemislaus Maioris Poloniae Dux eidem in Principatu succedit.

Octavo Calendas .... [3]) Msczugius Dux Pomeraniae moritur et in monasterio in Oliwa in praedecessorum suorum sepulchris sepelitur. Post cuius mortem Dux Maioris Poloniae Przemislaus, ad quem successio Ducatus Pomeraniae, tam sanguinis quam designationis iure pertinebat, in Gdansk venit [4]) et totius Ducatus Pomeraniae accepit plenam et pacificam possessionem; civitatemque Gdansk primus blancis muniri procuravit.

---

[1]) castrum *Cod. Aut.* [2]) conquisito *Cod. Rozr.* [3]) *Mensis deest in omnibus Codd. et in Edit. Lips.; ast* Vetus Chronicon Olivense (*apud.* Theod. Hirsch: Scriptores rerum Prussicarum. *Tom I. pag. 694) refert, Msczugium Ducem Pomeraniae* VIII Calend. Ianuarii *vita functum esse.* [4]) venit Gedanum *Ed. Lips.*

LIBER OCTAVUS.

ANNUS DOMINI 1295.

Przemislao Posnaniensi Duci ob singularis virtutis et pietatis specimen, diadema universali et concordi voto baronum Poloniae decernitur; atque ipse per Gnesnensem archiepiscopum in Regem, consors vero sua in Reginam Poloniae coronantur.

Benignitas Agni coelestis ex inscrutabili providentiae suae arcano cuncta prospiciens, cunctaque ratione gubernans, multifariis scissuris, calamitatibus et guerris, quae in Regno Poloniae a tempore, quo vir Sanctus et Protomartyr Poloniae inclytus Cracoviensis episcopus Stanislaus ab impio Rege Boleslao, felici cruore [1]) membratim truncatus est, miseratione solita compatiens, et propitiam atque placatam de scelere in Sanctum suum commisso, se demonstrans, lacerum et ex eorum, qui in regionibus Polonorum principabantur, malitia monstruosum et deforme Regni Poloniae corpus reintegrare et priscam illi gloriam, priscumque tribuere disponens splendorem, parva illi primum, quo altior eius futurus notari posset profectus, indidit initia: quod saepe in rebus ad summum proventuris, humile exordium habentibus, videmus contingere. Suscitavit namque spiritum viri heroici et ea tempestate illustris, Przemislai Posnaniensis Ducis, qui ex patre eiusdem nominis Przemislao Maioris Poloniae Duce, de vetusta Regum Poloniae domo ducente originem, viro spectatae pietatis atque [2]) virtutis, et ferventissimi religionis Christianae cultoris, et ex Elisabeth Ducissa, femina religiosa atque devota, editus, eiusdemque matris solerti studio et cura ab ineunte aetate, virtuosis moribus (pater enim ante nativitatis suae diem obierat) eruditus, ad hoc unum sollicitum studium animumque intenderat, ut reliquias patriae non tam

[1]) tenore *Cod. Rozr.* [2]) et *Cod. Rozr.*

miserandae, quam miserabilis servaret, simulque illam ad culmen regium et ad unam Monarchiam redigeret, sanctam illam et futuram felicem ratus [1]), si suo Ducatu, suisque consiliis et auspiciis, pro pluribus Principibus unum Regem et Monarcham sortiretur. Irritabant ingentis spiritus virum Prussia, Slesia, Saxonia, Wratislaviaque ademptae; lugebat Cracoviam, caeterasque Regni Poloniae provincias, obeunte sine liberis Lestkone Nigro Cracoviensi et Sandomiriensi et Siradiensi Duce, quinto consanguinitatis gradu eum contingente, mutuis cladibus collidi, et plusquam civili belli gladio in propria viscera converso, discerpi. Grandi itaque et supra vires, supraque aetatem animo fretus, quamvis varios et frequentes videret naturales dominos in Regni Poloniae provinciis principari, non cupidine [2]) terreni imperii, non ambitione regii fastus [3]), sed sola pietate charitateque in patriam permotus, magnis ausibus, universi Regni Poloniae, Divinitate inspirante, se constituit in animo et destinat Monarcham. Ad quod assequendum [4]) non solum illum proprius et divinitus infusus agitabatur instinctus, sed etiam praelatorum et baronum Poloniae et Pomeraniae invitabat mira affectio et consensus. Paternis enim clarissimis moribus et institutis maternis non contentus, adiectione propriorum radiabat: unde facile in se tam primorum quam inferiorum favorem converterat; illeque unus inter Poloniae Principes dignus visus, habitusque, cuius tempora regio insigni adornarentur. Iam annum aetatis agebat tricesimum octavum; iam in Pomeraniae Ducatum [5]), mortuo Mszczugio sine liberis, iuxta pacta inter eos in vita stabilita, successerat [6]); iam matrimonii iure virginem Richszam [7]) filiam Regis Sueciae, feminam honestis moribus plenam, consilio et ordinatione Boleslai Ducis Calissiensis patrui sui germani, copulaverat, ex qua unicam filiam, nomen maternum imponens ei, Richszam genuerat: cum universorum praelatorum et baronum Poloniae concordi voto, deliberatione et pari consensu diadema decretum, qui caeteris religione, innocentia, fide, iustitia, integritate, clementia praestaret. Itaque cum praeclaras suorum maiorum imagines, tum res a se feliciter iusto bello, paceque gestas, tum denique omnibus in rebus modestiam suam suspicerent, par omnibus visum fuit, sibi uni genus Polonicum, salutesque [8]) illius committere. Et ut cunctis sua ordinatio innotesceret, regiaque veneratione a singulis coleretur, Anno Nativitatis Domini nostri, Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, die Solis vicesima sexta mensis Iunii, alias die Dominico, in festo [9]) Sanctorum Iohannis et Pauli Martyrum, celeberrimus pater Iacobus Swinka Gnesnensis archiepis-

---

[1]) illam felicemque futuram ratus *Cod. Rozr.* [2]) cupidine tamen *Cod. Rozr.* [3]) ambitione terrenorum dominiorum et regii fastus *Ed. Lips.* [4]) consequendum *Ed. Lips.* [5]) iam Pomeraniae Ducatum *Cod. Rozr.* [6]) obtinebat *Cod. Rozr.* [7]) Richscham *Ed. Lips.* [8]) salutemque *Cod. Rozr.* [9]) festo *deest in Cod. Aut.*

copus in ecclesia metropolitana Gnesnensi, celebratis ex more de Spiritu Sancto missarum solenniis, praefatum Przemislaum Ducem in Regem, Ducissam vero et consortem suam Richszam in Reginam Poloniae, inungit, sublimat et diademate regio, quod, mirum dictu, studio arteque virorum ecclesiasticorum per plures transactas aetates servatum custoditumque est, coronat: assistentibus sibi Iohanne Gerbisch Posnaniensi, Iohanne Romka Wratislaviensi, Goslao Ploczensi, Cunrado Lubuczensi, episcopis, palatinisque et baronibus Poloniae principalioribus, ac multitudine populi copiosa. Procopius autem Cracoviensis et Wislaus Wladislaviensis, episcopi, caeterique partium Cracoviensium barones, etsi coronationi praefatae non aderant, expresse tamen et concorditer in illam consenserant, et de eius consummatione festos laetosque ducebant dies. In hunc itaque morem sceptra regalia, honosque regius et dignitas Poloniae, favente Divinitate, reddita sunt, quibus per annos prope ducentos caruerat. Celebris quoque dies ille et annus mirum in modum insignis habitus est, in quo quasi quadam detestanda et perniciosa Principum pluralitate dispulsa, et vulnere veteri curato, Poloniam clementia Salvatoris ad florentem tranquillumque statum et ad ubertatem, pondusque culminis regii perduxit.

Premislao Rathiboriensi Duci in aegritudine divus Stanislaus apparuit: a quo ad celebrationem sui festi invitatus, in vigilia diei nomini eius sacri moritur.

Premislaus [1]) Rathiboriensis Dux, rarae in beatissimum Stanislaum Cracoviensem praesulem vir devotionis, et monasterii sanctimonialium in Rathibor ordinis Praedicatorum fundator et dotator, cum in omni vita sua Sanctum Stanislaum mira devotione coluisset, in honorem suum annis singulis, in die sui natalitii, a Ratiboriensi castro usque ad monasterium Praedicatorum, grandem cereum vires suas excedentem deferre solitus: apparuit ei in extrema aegritudine laboranti beatus Stanislaus, et benignius consolatum, ut se ad festum suum celebrandum praeparet, admonuit. Cui respondenti: Quomodo potero id facere, cum sim valitudinarius et gravi aegritudine oneratus? Sanctus Dei adiecit: Ego te, inquit, adiuvabo, praestaboque vires. Dux Premislaus se id facturum devovens, in vigilia beati Stanislai moritur, nulla prole derelicta [2]), et in die suo festo, quamvis et duo germani sui fratres, videlicet Kazimirus Bithomiensis et Myeczslaus [3]) Theszinensis [4]), Duces et Rathiborienses barones, diutius in adversum niterentur, corpusque in alium

[1]) Przemislaus *Ed. Lips.* [2]) relicta *Ed. Lips.* [3]) Mieczlaus *Ed. Lips.* [4]) Thessnensis *Cod. Rozr.*

diem sepeliendum servari vellent, in monasterio Praedicatorum in Rathibor, Ducibus et baronibus sententias mutantibus, sepelitur, festum beatissimi Stanislai non annue, sed continue de caetero celebraturus.

Przemislaus Poloniae Rex lacerum Regni corpus reintegraturus, intestina mala aequis conditionibus componit, externa autem bella prorogat; cuius regia auctoritas Marchionibus Brandeburgensibus adeo fuerat invisa, ut in necem Przemislai conspirarent.

Coronationis solenniis rite magnificeque peractis, Przemislaus Rex Poloniae cum praelatis et baronibus suis volvebat, agitabatque deliberationes, quatenus aegrum, lacerumque sui Regni corpus debita soliditate componeret, et terras ab eo abstractas et per Almanos occupatas, eidem reuniret. Maior tamen et praecipua omnibus cura fuit, ne ex intestina Warcislai [1]) et Msczugii Pomeraniae Ducum discordia, Pomeraniae Ducatus et praesertim civitas cum castro Gdansk in Cruciferorum ditionem perveniret. Licet enim per Ducem Boleslaum Calissiensem, germanum patruum Przemislai Regis praefati, Cruciferi non sine strage plurimorum fuissent ex castro Gdansk, cuius occupatio tunc illis in magnum discrimen cesserat, eiecti, civitatis tamen praedictae Gdansk situ contemplato, quod maritima esset et facile opibus mari importandis excelleret, continuis studiis ad eius occupationem anhelebant. Quid tamen Przemislaus Rex primum ageret, quove se verteret, ignorabat, caeteris Regni provinciis, mutuis aut exteris stragibus laborantibus et suffragia per legatos implorantibus, distentus. Placuit tamen consiliariis, Regique, per conditiones pacis nonnulla minores morbos habentia componi, ut fortior ad expedienda caetera posset praestari vacatio; placuit et bella sive cum finitimis, sive cum propriis gerenda in longum, quo tenerum et molle Regni Poloniae corpus coalesceret et in virile robur evaderet, differri. Verum licet cunctis in circuitu finitimis tyrannis et nationibus Przemislai Regis in solium regale sublimatio fuisset invisa et molesta, et varii ad rescindendum eam, tam inter Poloniae Duces, qui fremebant se gloria regali per Przemislaum anteiri, quam inter finitimos, quibus mox terribilis et suspecta coepit esse regalis potestas, coquerentur [2]) rumores: Marchionibus tamen de Sgorzelyecz [3]) alias de Brandeburg, videlicet Ottoni Longo, et alteri Ottoni et Iohanni, maioris suspicionis atque odii subministravit ardorem, verentibus, ne regia dignitate et accessione multarum terrarum, ipsius regimen sponte subeuntium, auctus, eos de Marchionatu praedicto, captata opportunitate tem-

[1]) Warccyslai *Cod. Aut.* [2]) conquerentur *Ed. Lips.* [3]) Zgorzelecz *Cod. Rozr.*

poris, exterminet, quos privatus et vix sextum decimum agens annum, ex munitionibus Strzelcze et Drzden [1]), male per eos possessis, exturbaverat, periculum sibi et suis dominiis, nisi per eos Rex Przemislaus, cuius clarissimam indolem adhuc in puero habebant perspectam, morte summoveretur [2]), eventurum rati, in necem eius instigatione diabolica [3]) conspirant, propositum scelestae rei celerrime, antequam prodi posset, executuri.

Procopio Cracoviensi episcopo succedit Iohannes Muskata.

Cracoviensium episcopus Procopius, cum annis duobus, mensibus tribus in Cracoviensi sede sedisset, moritur et in ecclesia Cracoviensi sepelitur. Cui Iohannes vocatus Muskata [4]) Magister Artium, archidiaconus Lanciciensis, nobilis genere, natione Wratislaviensis, deferens pro armorum insigniis, in campo coelestino novem lilia glauca, succedit, in die Sancti Benedicti confessoris concorditer electus.

Cruciferorum Magister castri novi consummationem Boleslao Masoviae Duci prohibiturus colligit exercitum: sed conspiratione domestica ab incepto revocatur.

Moleste ferens Boleslaus Masoviae Dux castri sui Wiszna destructionem per Magistrum Cruciferorum factam, aliud rursum castrum coepit fabricare: cuius consummationem Menhardus Cruciferorum Magister prohibiturus, omnes homines Prussiae servos et liberos cogit in arma. Sub quo tempore Zambienses et Noctagenses Prutheni, clandestina conspiratione inita, apostatando a fide, Fratres Cruciferos in Barthensten [5]) nihil tale suspicantes, comprehendunt et occidunt; in aliis quoque locis populationes, caedes et spolia in Cruciferos et caeteros Christianos utriusque sexus peragunt. Quo malo commendator Kinsbergensis [6]) cognito, expeditione contra Ducem Boleslaum Masoviae omissa, in Prussiam reversus, gliscentem seditionem oppressit, et capita conspirationis instaurato iudicio punivit. In Lithuaniam deinde traducto exercitu, munitionem quandam, ex qua Lithuani diffugerant, exurit; castrum vero Kymel, a quo saepius Cruciferi [7]) repulsi fuerant, occisis multis Lithuanis, qui illud defendebant, conquirit [8]).

---

[1]) Drzen *Cod. Rozr.* Drdzęn *Ed. Lips.* [2]) morte subita tolleretur e medio *Cod. Rozr.* [3]) diabolica inspiratione et instigatione *Ed. Lips.* [4]) Muscatha *Ed. Lips.* [5]) Bertensten *Ed. Lips.* [6]) Kinigsbergensis *Cod. Rozr.* [7]) Cruciferi *deest in Cod. Aut.* [8]) conquirunt. *Cod. Aut.*

ANNUS DOMINI 1296.

Przemislaus Rex Poloniae sigillum regale confici et insigniis ornari iubet.

Natalem Domini, qui in diem Dominicum cadebat, et sequentes solennitates Przemislaus Rex Poloniae circa ecclesiam Posnaniensem exegit, et celebri ac devota religione in veneratione Divinitatis usus, in erogandis pro Christi nomine eleemosynis, supplendisque quorumlibet egentium necessitatibus, munificum se universis atque liberalem praestabat, primitias regiminis sui in administranda iustitia, in defendendo pupillo et vidua, caeterisque sanctis et iustis operibus, coelorum Regi, ut suum stabiliretur imperium, et suis coeptis assisteret Divinitas, devovens atque consecrans, ampliori cultu et veneratione in Deum, largiori dextera in egenos, et propensiori pietate in patriam, nisi fatis appetitus fuisset, usurus. Ne autem pietas sua, quam erigendo Regnum [1]) Poloniae et ex iure ducali ad fastigium regale vindicando, monstraverat, processu temporis decideret, in sigillo Maiestatis, ordinatione sua pulcherrime fabricato, literis capitalibus in gyrum circum circa aquilam hunc textum inscribi in parte una iussit: Reddidit ipse solus victricia signa Polonis. In altera autem parte, sedebat in throno regio imago regalis, tenens in manu dextra sceptrum, in qua etiam consistebat galea cum insigniis Polonicalium armorum, in laeva vero tenebat pomum cruce signatum, cum titulo literis capitalibus inscripto: Sigillum Przemislai Polonorum Regis et Ducis Pomeraniae.

Przemislaus Polonorum Rex in Rogoszno a Marchionibus Brandeburgensibus, accedentibus domesticis de domo Zaramby et Nalancz, misere occiditur.

Celebrato autem catholico et patrio [2]) ritu Salvatoris Natali, Przemislaus Rex [3]) primum ex Posnania Gnesnam contendit, ubi aliquanto tempore, quantum expeditio rerum publicarum permittebat, commoratus, pro diebus Carnisprivii in Rogoszno descendit, et curiam regalem illic celebrans et victoribus certaminum praemia proponens. Cognito autem per exploratores Otto Longus, et alius Otto, et Iohannes Cunradi, Marchiones de Brandeburg, Przemislaum Regem in Rogoszno solatiis deditum, absque cuiuslibet hostilitatis suspicione consistere, et vitae salutisque suae custodiam pro explorato

---

[1]) in erigendo Regno *Cod. Rosr.* [2]) primo *Cod. Calv.* [3]) Rex Poloniae *Cod. Rosr.*

habentes neglectum iri, loci insuper, qui nullo vallo aut muro septus erat, debilitate provocati, non propriis solum, sed aliunde quaesitis gentibus glomerati, per noctium latebras et silvarum abdita, ne a quoquam conspecti temeritatis suae poenas solverent, potius quam inferrent, feria quarta Cinerum, Sexto Idus Februarii, quae fuit dies Sanctae Dorotheae virginis, in Rogoszno, die illucescente, tam inopinate et latenter, ut singulos fallerent (ita enim inter eos [1]) conventum sancitumque erat) perveniunt, atque in Regem Przemislaum in cubiculo regio quiescentem, proditorie et fallaciter, nullis enim illum [2]) literis aut nuntiis diffidaverant, in suosque milites variis hospitiis et locis disiunctos et ex hesterna crapula et mero gravi sopore mersos, ebrietate graves, omnes certe inermes, incompositos atque imparatos, insiliunt et irruunt. Et quamvis rei atrocitate, novitateque Rex Przemislaus perculsus, a quibus quantisque hostibus peteretur, penitus existeret ignarus, dispulso tamen pavore, ut erat vir animi, roborisque praeclari, cum suis, quos pro facienda hostibus resistentia, exhortatione, sermone, opereque animabat, in hostes insilit, et congressione facta, multos ex illis aut vulnerat, aut prosternit. Militis autem magis, quam Regis aut Ducis, Przemislaus Rex officiis adversus hostes usus, abundante hostium multitudine, pluribus sagittarum gladiorumque ictibus petitus, ad extremum fortissime, ut stirpi suae conveniens erat, dimicans, cadit, corpore ex multitudine vulnerum in terram defluente. Ab hostibus autem semivivus exceptus, grandem illis voluptatis iucunditatisque materiam praebuit: satagebant enim illum, in triumphi speciem, in penates suos et terras deducere vivum, magnum suis et exteris [3]) populis spectaculum, simulque maximum famae et nominibus suis monumentum apud Almanorum nationes praebiturum. Verum dum ex lethalium vulnerum multitudine languidatum ac pene iam emortuum [4]) Saxones servare et in regionem eorum ducere conati, equo imposuissent, et imbecillior foret, quam qui equo insidere, aut curru vehi posset, moribundus titubante corpore defluxit in terram. Dum insuper nulla vitae regiae spes in crastinum duraturae posset portendi, in rabiem furoris conversi, in corpus captivum et saucium, suapteque moriturum saeviunt, et illud pluribus pugionibus confodiunt et crudelissima nece Sexto Idus Februarii extinguunt: eo uno illos ad tantum scelus et nefas irritante, quod Rex Przemislaus non incruentam illis victoriam, dum plures et notabiles de suis desiderarent, reliquisset. In hoc autem tam nefando execrandoque scelere, etsi Theutonicorum erga Polonos malignus, invidusque perspici possit animus, qui orientem gloriam Regni Poloniae, quantum in ipsis erat, extinguere, pessumque dare [5]) conati sunt, crudelitas

---

[1]) illos *Ed. Lips.* [2]) illi *Cod. Rozr.* [3]) caeteris *Ed. Lips.* [4]) mortuum *Cod. Rozr.* [5]) rescindere ac pessundare *Ed. Lips.*

tamen Iohannis Comitis Brandeburgensis praefati non satis admirari potest: qui cum esset praefati Przemislai Poloniae Regis nepos germanus ex sorore sua germana Constantia, patris sui filia, quam Cunradus Marchio Brandeburgensis desponsaverat, susceptus, in necem tamen avunculi germani et Christi Domini, privato etiam officio sibi venerandi, dextram extendere et sanguinis sui parentem cruento mucrone de rerum natura tollere non expavit, pietatis violator acerrimus et honoris sui atque famae proditor malignus. Habet et nonnullorum assertio, quosdam Poloniae barones et milites de armis Nalancz et Zaramby [1]), necis praefati Przemislai Regis fuisse contubernales et consocios, et praefatorum Ottonis Longi, et alterius Ottonis, atque Iohannis Brandeburgensium Marchionum consiliorum participes et patrati sceleris adiutores: sive quod Rex ipse Przemislaus, velut vegetioris ingenii, quaestus eorum et lucra abrogaverat, aut verisimiliter credebatur abrogaturus: sive quod in eos, aut eorum affines pro quibusdam excessibus animadverterat: sive quod eo sublato, alium, cuius favore statum et fortunas suas auctum iri succedere sperabant. Neque enim tanti Regis occisio provenire credenda est, nisi hostium machinationem domesticorum et familiarium adiuvisset accessio. Fama insuper est, usque ad tempora Kazimiri secundi et optimi Poloniae Regis, nobiles domorum et familiarum praedictarum in horrorem patrati sceleris ea poena et nota mulctatos [2]) esse, ut neque inter equestrium ordines aciebus instructis consisterent, neque rubeo colore in vestibus uti auderent: quae tandem per praefatum Regem Kazimirum cum [3]) Russiae Principibus pugnaturum, fuit abolita [4]). Funestum autem Przemislai Regis corpus exanime dum ex Rogoszno Posnaniam duceretur, plurimas tam ecclesiasticis quam saecularibus personis excussit lacrymas, lamentantibus cunctis, tam optimum Regem et rei publicae Regni Poloniae restauratorem atque parentem tam crudeli et subita nece concidisse, et Polonorum provinciis novam orbitatem induxisse. Sepultus est autem in ecclesia cathedrali Posnaniensi, in sepulchro patrum [5]) suorum, Regum Poloniae, Iohanne episcopo, praelatisque et canonicis Posnaniensibus, nec non baronibus Poloniae eius cohonestantibus exequias, et omnia funeralia iusta illi lege atque ordine, iuxta magnificentiam regio corpori debitam, soluta. Vixit annos triginta octo, menses tres, dies viginti quatuor; regnavit vero mensibus septem, diebus undecim. Vir a Polonica gente summis per omnes successiones et aetates celebrandus, efferendusque laudibus, qui illam [6]) prostratam et exanguem erexit et vicinarum regionum dominam reddidit, ac spiritum vitalem per multa saecula feliciter victurae, lucem quoque

---

[1]) Nalencz et Zarembi *Cod. Rozr.* [2]) et mulcta notatos *Cod. Rozr.* [3]) dum cum *Cod. Rozr.* [4]) pugnatum fuit, abolita est. *Cod. Rozr.* [5]) praedecessorum *Cod. Rozr.* [6]) patriam *Cod. Rozr.*

ex caligine, libertatem ex servitute, ex moerore gaudium, primus infudit. Quamobrem ut olim propemodum infelicissimi habebamur, collisi omnibus scopulis, navi fracta hinc inde fluctuabamus, et illud Herculis verbum nobis verius ac ipsi accidisset: „Finis unius mali, gradus erat futuri“; ita beati nuncupari possumus, qui omnes procellas, Dei clementia et Przemislai Regis provida ordinatione, nedum placatas, sed in levem, placidumque zephyrum aspicimus conversas. Habuit, habetque nonnullorum scrupulosius singula rimantium aestimatio, quod tam crudelis, tamque subita mors Przemislao Polonorum Regi ob necem in Lukerda consorte sua prima patratam acciderit, facinus detestabile pari poena Divinitate ulciscente, quam ipse male suspectam habens, vel ut aliis placet, ob sterilitatis opprobrium exosam ducens, iugulari procuraverat; post cuius mortem a militibus Pomeranis accersitus, aliquanto tempore Pomeraniae tenuit Principatum.

Marchiones Brandeburgenses praeposituram Santhoczensem episcopatus Posnaniensis abstrahunt et capitulo Soldinensi applicant.

Non quievit posthaec Marchionum Brandeburgensium praefatorum furor, sed in altiorem facem excandescens, ab humanis ad divina perturbanda iura prorupit. Praeposituram enim Sancti Andreae Santhoczensem [1]), villa Kyowo, caeterisque redditibus insignem, cuius praepositus in clero et populo, et in singulis ecclesiis infra Odram, Inam [2]), Drawam, Wartham, et Nothesz fluvios constitutis iurisdictione ordinaria utebatur, ad collationem, provisionem et omnimodam dispositionem Posnaniensis episcopi pertinentem [3]), abstrahunt; et ne quid commune cum Polonis habere viderentur, praeposituram praedictam et eius iurisdictionem capitulo ecclesiae Soldinensis attribuunt et applicant. Ex quo deinde magnam diocesis Posnaniensis in Santhoczensi castellania, et quicquid gentium infra flumina praedicta situm est, passa est sui corporis sequestrationem: pro qua rescidenda tam Andreas Symonowicz, quam Domancus Posnaniensis antistes, nullum diligentiae humanae in Apostolico Consistorio, distracta et alienata repetens, genus omisit [4]). Sed his Iohannes Lodzya [5]) succedens, rem optime actam et usque ad fines victoriae magnis sumptibus et fatigis prope perductam [6]), prosequi destitit, dissimulatione sua et neglectu scissuram et iniuriam ecclesiae suae nutriens et tam parta, quam paritura confundens.

[1]) Santhocensis *Cod. Rozr.* [2]) Iuam *Cod. Rozr.* [3]) pertinentes *Ed. Lips.* [4]) amisit. *Cod. Aut.* [5]) Lodza *Cod. Aut.* [6]) deductam *Cod. Rozr.*

Wladislaus Loktek Dux Cuyaviae eligitur in Regem Poloniae.

Ne autem Regnum Poloniae per occisionem Przemislai Regis divisionum, guerrarumque laqueis contingeret involvi, et per Principes tyrannosque vicinos in praedam, direptionemque exponi, praelati baronesque Poloniae Regni et Ducatus Pomeraniae, conventione generali in Posnania pro die Sancti Adalberti celebrata, id primum sibi agendum praecipuum existimarunt, ut aliquem Principem prudentem, animosum et maturum in Regem substituant: attento, quod Rex Przemislaus nullum virilis sexus, praeter unicam filiam Richszam nomine, reliquerit haeredem. Et quamvis aliquorum haberet assertio, iniquum iniustumque fore, filiam Przemislai Regis a sorte Regni excludi et haereditatem paternam sibi auferri, beneficiaque quam plurima Przemislai Regis per surrogationem externi Principis simul cum stirpe sua regia obliteratum, extinctumque iri: periculorum tamen ingentium moles, quo[1]), nisi probatae virtutis vir substitueretur, Regnum Poloniae verebantur pessundari, et filiae Regis Przemislai, quae octavum tunc agebat annum, iuvenilis aetas illos a coepta sententia desistere coëgit. Votis igitur singulorum scrutatis, omnium deliberatione, consilio et assensu Wladislaus cognomento Loktek Cuyaviae Dux, Kazimiri Ducis Cuyaviensis, filii Cunradi Cuyaviae et Masoviae Principis, sextum a Boleslao Poloniae Rege Sancti Stanislai interfectore consanguinitatis ducens gradum, cum esset inter fratres suos, Lestkonem Nigrum Cracoviensem, Sandomiriensem et Siradiensem, Zemomisl, Kazimirum et Semovitum Lanciciae, Cuyaviae et Dobrzinensem, Duces tertius natu, in Regem et dominum Poloniae eligitur, assumitur et nominatur: tum quod Princeps esset rarae et singularis animositatis et prudentiae, tum quod illi post mortem germani sui Lestkonis Nigri Cracoviensis, Sandomiriensis et Siradiensis Ducis[2]), item ratione suae consortis Hedvigis, filiae olim Boleslai Pii Calissiensis et Posnaniensis Ducis, dictorum Posnaniensis et[3]) Calissiensis Ducatuum iure iusto et legitimo debebatur successio. Hic quoque unus credebatur, qui distractum in plures Ducatus Poloniae Regnum ad unius corporis reduceret compaginem, et adunaret illud in verae stabilitatis unitatem. Constituuntur et in terra Pomeraniae tres capitanei, Petrus Swancza cancellarius Pomeraniae, Laurentius et Iaszko de Slaw, eisque et gubernatio et defensio terrae illius, interim quo Dux Wladislaus Loktek aliter disposuerit, mandatur. Auctoritate igitur electionis huiusmodi de se factae, tam Cracoviensis, Sandomiriensis, Lanciciensis et Siradiensis, quam Maioris Poloniae et

---

[1]) qua *Cod. Rozr.* [2]) Ducis *deest in Cod. Aut.* [3]) et *deest in Cod. Aut.*

Pomeraniae Ducatuum sortitur possessionem, et omnes in illius obedientiam et ditionem accedunt; castra quoque omnia Ducatuum praedictorum in potestatem suam traduntur, praeter aliqua castra in Cracoviensi et Sandomiriensi Ducatibus, de quibus se Wenceslaus Bohemiae Rex post mortem Lestkonis Nigri Cracoviensis, Sandomiriensis et Siradiensis Ducis intromiserat, et ratione illorum se non solum Bohemiae Regem, sed Cracoviensem et Sandomiriensem Ducem et Marchionem Moraviae intitulabat.

Cruciferi Prussiae ecclesiam Culmensem a iurisdictione Gnesnensis archiepiscopi abstrahunt et Rigensi subiiciunt. Causa haec praeposito, decano et scholastico Wladislaviensibus sopienda committitur.

Conversationem et omnem communionem Polonorum Magister et Cruciferi Sanctae Mariae de Prussia perosi, Culmensem etiam ecclesiam a metropolitani sui Gnesnensis ditione, sub qua annis plusquam tricentis constiterat, sequestrant, et ecclesiae Rigensi, eiusque archiepiscopo in Livonia illam subiiciunt. Neque puduit illos pro acceptis beneficiis referre iniuriam, et ex iusto Gnesnensis ecclesiae corpore in corpus adulterinum per remotissima terrarum, mariumque spatia Culmensem ecclesiam transferre. Eam iniuriam Iacobus Swinka Gnesnensis archiepiscopus molestius ferens, causam Culmensi [1]) episcopo super [2]) subiectione metropolitica coram Dobegneo [3]) decano, praeposito ac scholastico Wladislaviensibus movet, auctoritate rescripti apostolici, cuius talis extat tenor:

„Bonifacius episcopus servus servorum Dei, Dilectis filiis Decano et Prae„posito ac Scholastico ecclesiae Wladislaviensis, salutem et apostolicam be„nedictionem. Sua Nobis venerabilis frater noster Iacobus Archiepiscopus „Gnesnensis petitione monstravit, quod venerabilis frater noster Episcopus „Culmensis eius suffraganeus de provincia Gnesnensi se non esse praetendens, „ab ipsius Archiepiscopi iurisdictione in his, quae ad legem metropoliticam „pertinent, se abstrahere nititur, sibique tanquam metropolitano subesse, inde„bite contradicit. Quocirca Discretioni vestrae per apostolica scripta manda„mus, quatenus partibus convocatis, audiant causam, et appellatione remota, „fine debito decidatis [4]): facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmi„ter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel ti„more subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, coga„tis veritati testimonium perhibere“.

---

[1]) Chelmensi *Cod. Aut.* [2]) sub *Cod. Rozr.* [3]) Debegneo *Cod. Rozr.* [4]) decidant *Cod. Rozr.*

Wladislaus Loktek accepta multarum terrarum possessione, non scripsit se Regem, sed haeredem Regni, cum iactura Reipublicae.

Post electionem autem de se ad Regnum Poloniae factam, Dux Wladislaus Loktek in partes Maioris Poloniae ex Cuyavia domicilio suo, nuntiis et literis praelatorum et baronum partium illarum evocatus, post festum Paschae advenit, et in Posnania (ille enim locus tunc insignior habebatur) mansionem suam figens, omne illic tempus expendit aestatis; expost vero in Kalisch et deinde in Pomeraniam divertit, de castris et dominiis ad se devolutis disponens et novos capitaneos substituens, benemeritos de se nobiles donationibus [1]) villarum et possessionum remunerans et iudicia iusta querulantibus decernens. Et in Gdansk perveniens, a Duce Lestkone filio Ducis Zemomisl, suo nepote germano, qui terram ipsam ratione materni generis ut propriam et haereditariam usurpare moliebatur, item a baronibus et nobilibus universis, item ab omnibus ordinibus et statibus, cum solenni processione, quae illi ad medium milliare occurrerat, suscipitur, et claves castri Gdansk per Ducem Lestkonem sibi traduntur. Egressus autem ex Pomerania nobilem Woyslaum terrae Pomeraniae capitaneum gneralem constituit et sibi illius terrae omnimodam gubernationem et ordinationem committit, Lestkone Duce nepote proprio inde, ne res statum terrae perturbantes moveret, secum educto. Quamvis autem omnium terrarum Maioris Poloniae et Pomeraniae nactus fuisset plenam et pacificam possessionem, diademate tamen regio, occupante Rege Bohemiae Wenceslao Cracoviensem, Sandomiriensem et Siradiensem Ducatus, distulit insigniri, succedere tempus ratus, quo praedictis Ducatibus in suam obedientiam plene reductis [2]), eius coronatio posset, circumscripta qualibet ambiguitate tergiversantium, expleri. Unde non se Regem Poloniae, sed Ducem et haeredem Regni eiusdem scribere et gerere contentus, sua cunctatione magnum et suis et publicis rebus (ut in subsequentibus narrabimus) dispendium attulit et iacturam.

Goslao episcopo Ploczensi succedit Iohannes Altus.

Episcopus Ploczensis Goslaus dum annos sedecim sedisset, moritur, et in Ploczensi ecclesia sepultus, Iohannem Altum [3]) habuit successorem: ex patre Alberto et genere nobili ortum ducens, ob proceritatem corporis Altus

---

[1]) donatione *Ed. Lips.* [2]) redactis *Ed. Dobr.* [3]) longum *Ed. Lips.*

cognominatus, a Iacobo Swinka archiepiscopo Gnesnensi confirmatus et consecratus, nobilis de domo Szulima [1]).

Fundatio ecclesiae collegiatae in Gluschin.

Decimo septimo Calendas Novembris, Iohannes Posnaniensis episcopus de ecclesia parochiali in Gluschin suae diocesis fundat collegiatam ecclesiam, praepositum et tres canonicos in ea instituendo et certas decimas, reditus et proventus eisdem assignando.

Henricus quintus Dux Wratislaviensis commisso iure tutorio liberorum suorum Boleslao Swidniczensi Duci, etiam illi castro Sobotha, licet invitus, cedens moritur, molestiis carceralibus, quibus eum ipse Boleslaus frater olim incluserat, confectus.

Molestiis et tormentis transactae captivitatis Dux Henricus Wratislaviensis, filius Boleslai, se in corpore suo et valitudine debilitatum et confectum intelligens, et sensim se ad portas mortis appropinquare agnoscens, accersito germano suo, Duce Boleslao Swidniczensi, huiuscemondi verba facit: Quamvis, inquit, angustiarum et acerbitatum mearum, huius quoque mortis, quae adventat, te cooperatorem noverim: excessurus tamen e vita et tribunal aeterni Iudicis petiturus, singula tibi indulgeo, et trium natorum meorum, Boleslai, Henrici et Wladislai (tot enim relinquebat) tibi curam et tutelam mando, rogans, ut te fidelem et propitium nepotibus tuis patruum geras. Qui etsi ad id se pronum offerret, tutoriam tamen subire, nisi sibi de castro Sobotha perpetuo cederet, recusabat. Qua re vehementius Dux Henricus, quam conveniebat, incensus, adiecit: Prioribus, inquit, malis, quae a te pertuli, non contentus, etiam quae residua sunt, auferre conaris. Dum itaque re infecta Dux Boleslaus Swidniczensis discederet, nobiles et cives Wratislavienses persuaserunt Duci Henrico etiam de castro Sobotha ratione tutoriae cedendum esse: ne ex orphanitate plura amittere cogerentur. Duce itaque Swidniczensi Boleslao revocato, sic illum Dux Henricus est allocutus: Ex quo, inquit, absque castri Sobotha renuntiatione tutoriam puerorum meorum abnuis suscipere, non solum castrum Sobotha tibi resigno, sed et natos meos, deinde universos nobiles, vasallos, cives et subditos, et universa, quae ditionis meae sunt, tuae fidei simpliciter trado. In hunc itaque modum tutoria cura, Dux

[1]) Sulima. *Cod. Rosr.*

Boleslaus Swidniczensis, in se suscepta, Dux Henricus Wratislaviensis post triduum, Octavo videlicet Kalendas Martii [1]) moritur et in monasterio sanctimonialium Sanctae Clarae sepelitur, tres filios (ut praemisimus) et quinque filias relinquens: Hedvigim, quae desponsata fuit Marchioni Brandeburgensi, quo mortuo intravit ordinem Sanctae Clarae in Wratislavia, Annam in virginitate mortuam, Helenam [2]) et Elisabeth ordinem Sanctae Clarae in Gnesna professas, et Eufemiam alias Offkam, Ottoni Marchioni Carinthiae desponsatam.

Lithuani cum Pruthenis mutuis se spoliis et caedibus affligunt.

Vithenen Lithuaniae Dux terram Culmensem in frequenti exercitu ingressus, Magistro Prussiae detractante pugnam, eam spoliis, caedibus et igne, et praesertim Golubyensem districtum affligit, deinde in Livoniam copias ducit. Quo comperto, Siffridus de Balga commendator et alius commendator de Kinsberg [3]), Lithuaniam ingressi, castrum Garthin obsident. Quo non quaesito, caedibus, spoliis et exustionibus factis, dum comperissent Ducem Lithuaniae, Livonia non vastata, in propria reversum esse, quam celerrime redeunt, mille animas captivorum secum ferentes.

ANNUS DOMINI 1297.

Wladislaus Loktek Ducatus Slesiae invadit et depopulatur.

Pomeraniae terra, eiusque castris et civitatibus, Wladislaus Loktek haeres et dominus Regni Poloniae unicus, ordinatis et utcunque poterat, bono modo compositis, in partes Maioris Poloniae et deinde in terras Cracovienses divertit; plures enim in oris illis habebat barones, qui illum nimia colebant affectione. Sed et in Cracoviam liber illi patebat ingressus, universis in suum Principatum et regimen, quam in Wenceslai Bohemiae Ducis, propensiori favore inclinatis, magisque sibi in Ducatibus Cracoviensi, Sandomiriensi et Siradiensi, quam Duci Bohemiae Wenceslao, ubicumque divertebat, praeter municipia, quae per Bohemos [4]) tenebantur, parebatur. Sed neque Bohemiae Ducis praefectos, aut eos, quorum [5]) sciebat de Polonis partium Wenceslai Ducis esse, sinebat pacificos consistere; sed continuis invasionibus per se et

---

[1]) Octavo videlicet Martii die *Ed. Lips.* [2]) Elenam *Cod. Aut.* [3]) Kingsberg *Cod. Rozr.* [4]) Barones *Ed. Lips.* [5]) quoscumque *Cod. Rozr.*

gentes suas, quas praedarum et spoliorum assiduitate sibi illexerat, lacessebat. Animadvertens autem Slesiae Principes de eius in Regnum Poloniae assumptione facere iocos, fabulas et derisiones tam ex Polonis, quam ex Hungaris, qui secum voluntarie militabant, et quos (ut praemisimus) spoliorum impunitate alebat, iusto collecto exercitu, contra Slesiam instituit expeditionem: tum ut Duces Slesiae sibi tanquam totius Regni Poloniae, cuius ipsi extant membra, domino parere induceret, tum ne suum et gentium suarum militare robur pacis voluptate languesceret. Slesiam autem ingressus, maiorem partem aestatis illic absumpsit, et Slesiae Ducatuum plurimas oras igne et spoliis, praesertim tamen Ducatum Wratislaviensem Henrici mortui vastavit, ultum iri cupiens iniuriam, quam sibi praedictus Henricus Wratislaviensis Dux post mortem Lestkonis Nigri germani sui, Cracoviensem civitatem et Ducatum occupando, irrogaverat, atque plurimis praedis, spoliis et captivis onustus, ad propria cum omni suo exercitu rediit sanus et incolumis.

Boleslaus Swidniczensis Dux Cunrado Glogoviensi Duci bellum indicit: quod ut sopiretur, Cunradus illi duo oppida restituit, circa quae duo castra erigit et alias civitates muro cingit.

Varii etiam dissensionum et deinde bellorum motus inter Boleslaum Swidniczensem et Cunradum Glogoviensem, Duces suborti sunt. Dux enim Swidniczensis Boleslaus, moleste ferens germanum suum Henricum Ducem Legniczensem et Wratislaviensem captivitatis molestiis vexatum et extinctum, et notabili portione Ducatus Wratislaviensis exutum, guerrare [1]) illum coepit. Et tractatibus pacis interpositis, duo oppida, videlicet Haynow et Boleslaw illum restituere compulit: et Boleslaw quidem pro se et filiis retinuit, et in districtu eius castrum Kliczdorff erexit; Haynoviam vero pueris Henrici Ducis Wratislaviensis, fratris sui, servavit: in cuius etiam limitibus castrum Koczonow construxit. Iustitia autem et modestia suos et nepotum [2]) Principatus gubernans, sub brevi tempore magnas opes habuisse creditus est: unde castra et civitates Bregam, Nyempcz, Grotkow muris notabilibus erigens, praecipus inter Duces illarum partium habebatur; unde et Duci Bohemiae Wenceslao, terris suis vastationem minitanti, congregato Principatuum suorum exercitu, occurrere usque ad locum Landishute [3]) gradiens, et cum eo decernere [4]) paratum se ostendit. Ad civitatem quoque Wratislaviensem, rebellionem sibi tanquam tutori nepotum molientem, cum notabili exercitu ac-

[1]) molestare *Cod. Rozr.* [2]) nepotum suorum *Ed. Lips.* [3]) Landishuth *Cod. Calv.* [4]) decertare *Cod. Rozr.*

cedens et obsidione eam stringens, non prius supplicibus civibus temeram [1]) mentem ignoscere, aut civitatem Wratislaviensem ingredi consensit, donec altitudo murorum civitatis quatuor cubitis fuit detruncata.

Bruno Magister Livoniae Lithuanos profligat, et Meiner Magister Prussiae moritur, cui Ludovicus de Schippin succedit. Lithuani autem in pugnam redeuntes, Brunone Magistro occiso, Livonitas caedunt; postea Rigenses Cruciferos Riga eiecturi, dum castrum Novum Molendinum obsident, a Gottfrido Magistro generali victi sunt.

Prima Iunii die Livoniae Magister Bruno, circa flumen Tredira cum Lithuanis Livoniam hostiliter vastantibus pugna conserta, mille quingentis occisis, reliquos egit in fugam, et de suis tria millia per Lithuanos capta et coniecta vinculis, in libertatem vindicat. Decedit eo anno Prussiae Magister Meiner, et Ludovicus de Schippin sufficitur. Lithuani posthaec Livonitarum, a quibus victi fuerant, paucitate comperta, in pugnam redeunt; et Magistro Livoniae Brunone occiso, omnem eius exercitum deleverunt. Quae [2]) victoria Rigenses cives tunc cum Cruciferis gravi odio et armis dissidentes, in quorum solatium [3]) Lithuanorum Dux Vithenen cum gentibus suis accersitus, venerat, plurimum exhilaravit [4]): quoniam sperabant se Cruciferos de Riga eiecturos; qui etiam propriis armis, absque Lithuanorum adiutorio, Cruciferos Livonitas uno [5]) certamine conflixerant; petito posthaec et accepto Lithuanorum suffragio, obsident Rigenses [6]) castrum Novum Molendinum et fortiter illud impugnant. Provenissetque illius conquisitio, nisi Magister generalis Ordinis Gottfridus de Hoenlech [7]) exercitum sub ducatu fratris Bruhan misisset: qui ultima Iunii cum Rigensibus et Lithuanis congressus, et obsidionem solvit, et Rigenses atque Lithuanos cecidit.

Dux Bohemiae in Regem et uxor eius in Reginam coronantur.

Quarto Nonas Iunii in Pentecostes festo Dominico die Wenceslaus Bohemiae Dux se in Regem, et coniugem suam Iuttham in Reginam, in Pragensi ecclesia per Maydburgensem archiepiscopum procuravit coronari, et extunc se Regem Bohemiae gerere coepit. Post triduum vero nova Regina, sed vetus coniunx, Iuttha defuncta est.

---

[1]) temeratam *Ed. Lips.* [2]) Qua *Cod. Rozr.* [3]) auxilium *Cod. Rozr.* [4]) exhilarati *Cod. Rozr.* [5]) vero *Cod. Rozr.* [6]) Rigense *Cod. Rozr.* [7]) de Hohenlohe *rectius.*

Albertus Austriae Dux Adulfum Regem occidit et in locum eius succedit.

Nonnullorum Electorum Principum Imperii, qui conditionem Adulfi [1]) Romanorum Regis despectum iri moliebantur, Albertus Dux Austriae, filius Radulphi [2]) Romanorum Regis, fultus praesidio, contra praefatum Adulfum Romanorum Regem consurgit; et prope Wormatiam in loco, qui dicitur Hasenpul, exercitibus utriusque magna pugna Tertio Nonas Iulii concurrentibus, Adulfus Rex succumbens occiditur, et in locum eius Albertus Austriae Dux victor ab Electoribus Maguntiae electus surrogatur. Cuius electionem etsi Bonifacius octavus et approbare negasset, consurgentibus tamen inter Papam Bonifacium et Philippum Franciae Regem guerris, Papa non solum electionem suam approbavit, sed et Regnum Franciae illi subiiciendum decrevit. Quae res multorum malorum, quae secuta sunt, fuit seminarium et origo.

ANNUS DOMINI 1298.

Ob desidiam Wladislai Loktek magna praedonum licentia, et pestis animalium.

Siluit terra Poloniae anno illo, nec cum externis per circuitum hostibus bella gessit; Wladislaus quoque Loktek dominus Regni Poloniae ab expeditionibus in vicinas hostilesque terras quievit. Milites autem sui, spoliis et rapto vivere assueti, externis deficientibus, in proprios et domesticos manus convertunt: et in terris Maioris Poloniae, in quibus Wladislaus Loktek frequentius manere consueverat, maior oppressio pauperum, et bonorum ecclesiasticorum direptio crescebat. Et quamvis haec iniussu Wladislai fierent, expers tamen culpae putari non poterat, qui huiusmodi oppressiones et spolia sua dissimulatione alebat. Accesit et alia Regno Poloniae tunc pernicies: nam in animalium, brutorum et pecorum corpora pestis, sive ex inclementia coeli, sive in expiationem humanorum scelerum divinitus immissa, tantum debacchata est, ut plurimi etiam ex locupletibus ad inopiam redigerentur, et in variis locis agrorum intermitteretur ex mortalitate et penuria iumentorum et boum, cultura. In Pomeraniae quoque terram [3]) Saxones et alii hostes saepius grassati, praedis et spoliis eam [4]) vehementer premebant: domesticorum

---

[1]) Adolphi *Ed. Lips.* [2]) Rudolphi *Ed. Lips.* [3]) terras *Ed. Lips.* [4]) eas *Ed. Lips.*

insuper [1]) praedonum terrebatur [2]) continua vexatione. Adeoque, Duce Wladislao Loktek maleficorum et praedonum negligente coërcere excessum, furor processit, ut terra Pomeraniae ad quandam vastitatem videretur redacta: dissolutum enim se tunc Wladislaus Dux agebat Principem et in mulieres male temperatum.

Lithuani terram Culmensem lacerantes a Cunrado commendatore profligantur.

In festo Sancti Michaëlis, Lithuani irruptione in terram Chelmensem [3]) facta, novae fundationis oppidum Strasburg [4]) vastant, caedunt et diripiunt, vasa sacra contaminant. Quos Cunradus de Sak [5]) commendator cum Culmensibus militibus in nemoribus consecutus, prosternens confligit, et omnem praedam hominum, rerum et pecorum reducit.

Aspirans ad Regnum Poloniae Henricus Slesiae Dux promittit perpetuo cancellariatum Regni episcopo Posnaniensi.

Henricus Dux Regni Poloniae, Pomeraniae et Slesiae haeres ac dominus Glogoviensis, in festo beati [6]) Iohannis apud Kosthan agens, patentibus literis se obligat et inscribit: quod si regias infulas Regni Poloniae fuerit assecutus, cancellariatus Regni Poloniae apud Posnaniensem episcopum pro perpetuo remaneat, promittens illi assignare reditus iuxta quaslibet civitates, ubi frequentius cum curia illum demorari continget [7]). At ego felix et auspicatum Regnum Poloniae dixissem, si eius diademata Henricum Ducem cum barba, et suam nobilissimam et beatam consortem Hedvigim sortiri contigisset, cuius praefatus Henricus Glogoviensis Dux [8]) extabat pronepos.

Glogoviensis Dux Cunradus veneno extinctus, relictis duobus filiis et tribus filiabus, moritur.

Glogoviensis Dux Cunradus, quem in superioribus diaconii gradu et [9]) spe consequendae Bambergensis ecclesiae insignitum monstravimus, a nonnul-

---

[1]) quoque *Ed. Lips.* [2]) terrebantur *Ed. Lips.* [3]) Culmensem *Ed. Lips.* [4]) Strzasburg *Cod. Aut.* [5]) Szak *Cod. Aut.* Sag *Cod. Calv.* [6]) Sancti *Cod. Rozr.* [7]) contingeret. *Ed. Lips.* [8]) Dux *deest in Cod. Aut.* [9]) ex *Cod. Rozr.*

lis suis militaribus venenatus, apud Glogoviam moritur et in ecclesia collegiata Glogoviensi, quam cum Thoma Wratislaviensi episcopo communiter fundaverat, sepelitur, duos filios superstites ex Salomea filia Wladislai Ottonis Maioris Poloniae Ducis, cum tribus filiabus, Anna, Eufemia et Hedvigi, susceptos relinquens, Henricum Glogoviensem, Cunradum Stinaviensem, qui et gibbosus corpore, ob eam deformitatem Dux Kokirlensis nuncupatus, in praepositum Wratislaviensem processu dierum, quo deformitas ipsa minus haberet probri, promotus, post obitum patris et in vita huiusmodi Ducatus sortitos. Tertius vero Przemislaus Sprotaviensis Dux in praelio apud Sewyor [1]) habito, aetatem iuvenilem agens, occiderat.

Fundatio monasterii fratrum Minorum in Radzeyow.

Sextodecimo Calendas Martii, Wladislaus dictus Loktek Dux Regni Poloniae et Pomeraniae fundat monasterium fratrum Minorum in Radzeyow [2]), in diocesi Wladislaviensi.

Iohanni Posnaniensi episcopo succedit Andreas Symonowicz.

Iohannes Gerbisch episcopus Posnaniensis, cum annis duodecim sedisset, moritur et in Posnaniensi ecclesia sepelitur. Cui Andreas canonicus Posnaniensis, ex patre Simone vocatus Symonowicz, nobilis genere de familia Zaramba [3]), per electionem canonicam succedit, a Iacobo Swinka Gnesnensi archiepiscopo confirmatus et consecratus.

ANNUS DOMINI 1299.

Cum Wladislaus Loktek multis iniuriis ecclesiam et clerum Posnaniensem afficeret, episcopus Andreas omnem diocesim ecclesiastico supponit interdicto: cui reconciliatus Wladislaus Loktek damna omnia reficit.

Invalescente dietim oppressione, crescentibusque gravaminibus, quibus ecclesia Posnaniensis, nonnullique militares, per Wladislaum Loktek, suosque

---

[1]) Szyewyor *Cod. Rozr.* [2]) Radzieiow *Cod. Rozr.* [3]) Zaremba *Cod. Rozr.*

milites et curienses erant affecti, eo malignitatis deventum erat, ut iuribus divinis et humanis nefarie violatis, etiam ab aedibus sacris non abstineretur. Sed et ipse Wladislaus Loktek Dux in vitia militum prolapsus, virginum et ingenuarum matronarum pudicitiam violenter prostituebat: cerneresque quasi contagione quadam et impunitate scelerum singula vel iam deformata esse, vel prope deformanda. Quapropter Andreas episcopus Posnaniensis, ecclesiae suae, clerique et populi suae diocesis iniurias et oppressiones, pro quibus apud Wladislaum Loktek saepe literis et nuntiis, tandem personaliter questus, nullam poterat correctionem, emendam et iustitiam referre, in animum inducens, tolerantiaque tot malorum Maiestatem supernam credens offensurum, defensionis [1]) suae dexteram [2]) extendens, generali diocesim suam Posnaniensem supponit interdicto, et in omnibus locis, in execrationem horum, quae gerebantur, malorum, prohibet celebrari Divina. Quae res Wladislaum Loktek et in eorum, quae gessit et geri non prohibuit, poenitudinem, et si quae gerenda meditabatur, cautelam induxit. Unde et per certas ecclesiasticas, saecularesque personas reconciliari ecclesiae et Andreae Posnaniensi episcopo, et ecclesiasticum tolli interdictum, restitutione ablatorum perprius impensa, obtinuit. Huius autem anni maiorem partem praefatus Wladislaus Loktek in partibus Maioris Poloniae absumpsit, dirigendo et ordinando negotia publica, et pro hiemis tempore in oras Cracovienses remeavit.

Lithuani terram Prussiae et Noctangensem regionem vastant et praedantur.

Sexingenti Lithuani equestres terram Prussiae ingressi, illam barbarica vastabant tyrannide. Contra quos commendator de Brandenburg [3]), collecta equestri et pedestri suorum multitudine, egressus, apud Noctangensem [4]) regionem aliquandiu latuit, Lithuanos illuc advenientes facilius [5]) ex improviso obtriturus. Verum Lithuanis venire tardantibus, gentes crucifericae ad propria dilabuntur. Lithuani interim superveniunt et Noctangenses [6]) vastant et [7]) praedantur; ducentos quoque et quinquaginta de Christianis aut occidunt, aut captivant.

---

[1]) defensionem *Ed. Lips.* [2]) dexterae *Ed. Lips.* [3]) Brandeburg *Ed. Lips.* [4]) Noctagensem *Cod. Rozr.* [5]) facile *Cod. Rozr.* [6]) Noctagenses *Cod. Rozr.* [7]) ac *Ed. Lips.*

Archiepiscopus Rigensis per Cruciferos captivatur.

Iohanes dictus Zwerin archiepiscopus Rigensis per Magistrum Livoniae et Fratres Cruciferos Domus Theutonicorum Sanctae Mariae, quia ipsorum crudeli proposito in subiicienda ipsis Fratribus civitate Rigensi, aut funditus delenda, renuebat consentire, captivatur. Quod malum non solum in persona ipsius Iohannis Zwerin, sed etiam in aliis duobus, videlicet Iohanne Vechta [1]) et Alberto archiepiscopis [2]) antecessoribus suis attentaverant. Superioribus quoque annis Fridericum de Hazeldappe episcopum Darbatensem [3]) a suo episcopatu proiectum excluserant.

---

[1]) Veclita *Ed. Lips.* de Fechten *rectius.* [2]) archiepiscopo *Cod. Rosr.* [3]) Darbacensem *Cod. Rosr.*

Index ogólny do wszystkich tomów Dziejów Długoszowych dołączonym zostanie do tomu ostatniego.